BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
29
C. 4. c. 6
Digitized by Google

Digitized by Google

603868

ANTONII DADINI ALTESERRÆ

ANTECESSORIS OLIM TOLOSANI

OPERA OMNIA

TOMUS VIII. VOLUM. II.

RECITATIONES QUOTIDIANÆ

in varias partes digeſtorum & codicis.

CURA ET SUMTIBUS

MICHAELIS MAROTTA

Juriſconſulti & in ſupremis Neapolitanis tribunalibus cauſarum patroni.

EDITIO PRIMA NEAPOLITANA. M DCC LXXVII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

LUDOVICO
XIV.
REGI
CHRISTIANISSIMO.

REX CHRISTIANISSIME,

Primum lectionum juris civilis tomum veſtræ Majeſtati nuper obtuli. Modo ſecundum, jam octogenario major, offerendum mitto. Nimium felix ſi illum eadem comitate, qua priorem, excipias. Quam dulce laboris præmium placere Principi, & in ejus conſpectum non vacuis manibus venire! Opportune incidi in diem quo, reſtitutis fere Galliarum finibus, jus civile Romanum reſtituiſti, tam celeri ſucceſſu, ut numquam exulaſſe videatur, tantum poteſt nutus Magni Principis! Audiuntur leges etiam in urbe regia, non tanquam peregrinæ, immo tanquam propriæ, vel ſaltem renatæ in meliori ſolo. Exploſus error veterum, regiam Majeſtatem offendi, ſi lex aliena admittatur. Rectior inſedit ſententia, patrium & ſuum eſſe quidquid prodeſt reipublicæ; & legem Romanam accipi non quaſi legem, ſed quaſi rationem ſcriptam, quæ communis eſt omnibus mortalibus, quæ non jubet, ſed ſuadet. Per vos feliciter inſtauratus modus docendi jus κατὰ πόδα a Juſtiniano impoſitus, quem ſemper ſecutus ſum, qua religione par erat, rejecta mole commentariorum, qui magis ingenium obruunt quam ſublevant, & magis tenebras legibus quam lucem offundunt. Miramur hæc omnia, REX CHRISTIA-

Digitized by Google

NISSIME, *in his maxime, quod inter bellicos tumultus pacis & diſciplinæ ſtudia concepiſti, ea magnitudine animi qua præ^as Juſtinianum æmulatus, qui confecto bello Perſico & Vandalico, recepta Carthagine, magnum juris civilis opus condidit. Nec non inter hæc de profliganda hæreſi, & reconciliandis hæreticis laboraſti, ut lethalem luem tolleres, ſalvis ſubditis. Tandem ubique victor hoſtium te ipſum viciſti, tot victoriis modum impoſuiſti, ne his fruerentur barbari, data occaſione inſultandi fidelibus. Tot nominibus de republica Chriſtiana, ac de litteris optime merito Principi quidnam reponi poteſt? Res, fateor, excedit repenſam. Votis & laudibus tantum locus datur. Inter omnes grati animi deſiderio certans veſtræ Majeſtati longos annos ac æternam regnaturam prolem intimis votis exoptat*

L. 2. C. de vet. jur. enucleand.

Veſtræ Majeſtâti,

Addictiſſimus & Obſervantiſſimus Subditus
ANT. DADINUS ALTESERRA, U. J. Profeſſor
& decanus univerſitatis Toloſanæ.

Toloſæ 30. *jul.* 1682.

AD

AD TITULUM

DE USURIS

DIG.

L. 1.

IN bonæ fidei judiciis uſuræ debentur ex mora officio judicis, & uſurarum modus conſtituitur ex conſuetudine regionis, ubi contractum eſt, ita tamen ut legem non offendat, ex *init. h. l. l. mora*, §. *in bonæ fidei*, infr. *h. tit.* in actione contraria negotiorum geſtorum, quæ eſt bonæ fidei, ſi quis pro abſente pecuniam mutuam acceperit, ut pro eo urgens æs alienum exolveret, vel de ſuo ad hoc pecuniam impenderit, ei debentur uſuræ, quæ in regione frequentantur; *l. & in contraria*, infr. *h. tit.* Uſurarum modus eſt varius, modo gravior, modo levior pro conſuetudine regionum; *l.* 3. ſupr. *de eo quod cert. loc.* & in actione tutelæ, quæ eſt bonæ fidei, tutor qui pecuniam pupillarem in ſuos uſus convertit, præſtat legitimas uſuras, pro more regionis, aut quincunces, aut trientes, vel leviores; *l. tutor qui repertorium*, §. † *quæ autem*, *verſ. ex ceteris*, *de adm. tutor.* in bonæ fidei judiciis uſuræ præſtantur pro conſuetudine regionis, ita ut legem non offendat, id eſt modo non excedant legitimum modum uſurarum, quæ ſunt centeſimæ; *l. eos qui*, §. *ſuper*, *l. ult. C. h. tit.* in bonæ fidei judiciis uſuræ non ſunt in obligatione, debentur ex mora officio judicis: in ſtrictis judiciis uſuræ non debentur, niſi ex ſtipulatione: puta in mutuo uſuræ non debentur, niſi in ſtipulatum deductæ ſint; *l. quamvis* 3. *C. h. tit. l.* † *idemque*, §. *ſi quis Titio, mandat. l. ſi pro patre*, §. *ſed utrum*, *de in rem verſ. l. Titius*, *de præſcript. verb. l.* *) 3. *C. de nautic. fœn.* Plaut. in *Aſinar.* (1. 3. 95.) *Nam ſi mutuas non potero, certum eſt ſumam fœnore.* In actionibus bonæ fidei, tantum

valet officium judicit, quantum ſtipulatio in ſtrictis judiciis; *l.* † *quia tantumdem, de negot. geſt.* in bonæ fidei judiciis, uſuræ praſtantur pro conſuetudine regionis, ita ut legem non offendat, id eſt modo non excedat legitimum modum uſurarum, qui eſt centeſimarum, quia non tanta eſt auctoritas conſuetudinis, ut rationem vincat, aut legem; *l. 2. C. quæ ſit long. conſuetud.*

§. *ſocius.*

IN bonæ fidei judiciis uſuræ debentur ex mora officio judicis. Hujus regulæ ſunt exceptiones nonnullæ: prior quæ proponitur in *hoc* §. eſt in actione pro ſocio. Si ſocius pecuniam communem invaſerit, hoc eſt in uſus ſuos converterit, etiam mora non interveniente, ea ſc. quæ fit per interpellationem congruo loco & tempore, præſtat uſuras, quia mora contrahitur re, id eſt

† *De his, quæ vi metusv. cauſ.* Et v. ſi ſacit.

facto ſine interpellatione; *l. ult. C.* † *quod. met. cauſ. l. ult. C. de condict. ob turp. cauſam.* Furtum rei communis committitur, & ejus nomine cum ſocio furti agi poteſt; *l. rei communis, & ſequ. pro ſoc.* & fur ſemper eſt in mora; *l. in re furtiva, §. pen. de condict. furtiv.* Socius, qui in re communi reddenda moram fecit, uſuras præſtat, non quaſi uſuras, ſed quaſi intereſſe, quod ſocii interſit; *l. ſocium, pro ſoc.* Depoſitarius etiam praſtat uſuras ex mora, quia ſibi gratulari debet, quod furti cum eo non agatur; *l. Quintus, depoſit. l. 3. C. eod. l. inficiando, de furt.*

§. *nec tamen.*

IN bonæ fidei judiciis uſuræ debentur ex mora officio judicis ; tamen judex addictus judicio bonæ fidei, non poteſt jubere, id eſt pronuntiare, reum cavere datis fidejuſſoribus, de ſolvendis uſuris futuris, id eſt futuri temporis, poſt tempus, quod datur condemnatis judicati faciendi cauſa, quod eſt duorum vel quatuor menſium, non ſolum ea ratione, quam adducit Papinianus, quia actori ſufficit actio judicati, ut *hic & l. ult. C. de re judic.* ſed & alia, quæ eſt Pauli, quia nihil pertinet ad officium judicis tractatus futuri temporis, ex *h.* §. judex datus non poteſt cognoſcere de his quæ contingunt poſt ſententiam, quia ſtatim atque ſententiam pronuntiavit functus eſt officio ſuo, id eſt deſinit eſſe judex; *l. judex poſteaquam, de re judic. l. non quemadmodum, de judic. l. ædiles 25. §. item ſciendum, de ædil. edict.* Opponitur *l. 1. C. de ſentent. quæ ſine certa quantit. prof.* quæ ait, ſententiam non eſſe contra jus ſeu contra juris formam, qua judex legem dicit de uſuris dependendis quoad pecunia condemnationis ſoluta ſit, ſtatuit ergo judex de futuris uſuris quoad judicato ſatisfiat. Verum ſpecies eſt de actione judicati, cui judex addictus eſt: judex addictus actioni judicati ſtatuit de uſuris præſtandis quoad ſors ſolvatur, juxta ſententiam, de cujus executione agitur: judex nihil ſtatuit de uſuris futuris, ſed de uſuris, quæ currunt poſt tempus quod datur a lege judicati faciendi cauſa. Rurſus opponitur *l. pro ſocio*, ſupr. *pro ſoc. l. in omnibus, de judic.* & ſimiles, quibus dicitur, in bonæ fidei judiciis ſæpius judicem ſolere jubere, cautionem interponi de futuro, ut ſi debeatur in diem, ante diem poſtulante creditore, judex jubet caveri de ſolvenda pecunia ad diem, ſi forte debitor non ſit ſolvendo: ſed hoc ita fit, judex jubet interponi cautionem de præſtando damno futuro, damni vitandi cauſa, ut conſulatur partibus, ſi agatur de pecunia, quæ facile interverti poteſt; ſed ſi agatur alia de re, judex non pronuntiat de futuro poſt condemnationem. In bonæ fidei judiciis uſuræ debentur non tantum ex mora, ſed etiam ex pacto; *l. cum quidam, §. ex locato,* infr. *h. tit. l. Publia, §. 1. l. Lucius, 24. in fin. depoſit. l.* † *qui negotia, mandat. l. Titius, de præſcript. verb.* in ſtrictis judiciis non debentur ex pacto, niſi ex ſtipulatione; *l. quamvis 3. C. h. tit.*

§. *Pa-*

Digitized by Google

§. *Papinianus, alias circa.*

HUjus regulæ altera exceptio eſt, in actione tutelæ, quæ eſt bonæ fidei; *l. pro ſocio*, ſupr. *pro ſoc.* in judicio tutelæ tutor, qui pecuniam pupillarem adminiſtravit, præſtat uſuras a die ſuſceptæ tutelæ, in diem ſententiæ, ex *hoc* §. quod probatur etiam *l. Lucius*, §. *quæſitum*, *de adm. tutor.* quæ ait, finita tutela, tutorem eas uſuras præſtare, quæ in tutelæ judicio computantur, id eſt præſtare uſuras, non ſolum in diem judicii accepti, ſed etiam in diem ſententiæ. Et ſi ſine judice tutela reſtituatur, id eſt tutelæ rationes reddantur ſine judice, præſtat uſuras in diem quo tutelam reſtituit, id eſt quo rationes reddidit & reliqua præſtitit. Quod ſi tutor paratus ſit rationes reddere, & pupillus nolit, tutor oblato pretio & obſignato, ab eo tempore non præſtat uſuras, *ex h.* §. *& l. tutor* † *pro pupillo*, *in fin. de adm. tutor.* quia oblatio & obſignatio pecuniæ habet vim ſolutionis, & ſiſtit curſum uſurarum; *l. acceptam*, *C. h. tit. l. obſignatione*, *C. de ſolut.* lex ait usque in diem ſententiæ, quia in actione tutelæ mora re contrahitur, in minoribus mora re contrahitur ex ſolo tempore tardioris pretii ſolutionis; *l. in* † *minorum*, *C. in quibus cauſis in integr. reſt. non eſt neceſſ. l. cum vero*, §. *apparet*, infr. *de fideic. libertat.* ut quadrimeſtre tempus, quod datur condemnatis judicati faciendi cauſa, eſt liberum & ſolutum ab uſuris; *l. ult. C. de uſur. rei judicat.*

L. 2.

NOn tantum in actione in rem, ſed etiam in actione in perſonam, puta in actione ex ſtipulatu, poſt litem conteſtatam omnis cauſa præſtatur, quoniam quale eſt quid cum petitur, id eſt tempore litis conteſtatæ, tale dari debet: ideoque etiam in actione in perſonam, fructus percepti partusque editi poſt litem conteſtatam reſtituuntur, ut *hic*, *& l. videamus* 38. §. *ſi actionem*, infr. *h. tit. l. illud*, *de hered. petit. l. præterea*, *de rei vindic. l. cum fundus*, *de reb. credit. l. ſi fundus*, §. *interdum*, *de pignor.* etiam in actionibus in perſonam, poſt litem conteſtatam omnis cauſa præſtatur. Cauſa eſt rei, quæ petitur, utilitas omnis, quæ circa eam verſatur.

L. 3.

IN fideicommiſſi perſecutione, id eſt in actione fideicommiſſi, quia fideicommiſſum petitur extra ordinem officio judicis; *l.* † *pecuniæ*, §. *actionis*, *de V. S.* ſi heres poſt judicis ſententiam moram fecerit in reſtituendo fideicommiſſo, ex decreto D. Marci Antonini, intermiſſo legitimo tempore, id eſt quadrimeſtri, quod datur condemnatis judicati faciendi cauſa, omnia commoda, id eſt fructus & uſuras, fideicommiſſario præſtat a lite conteſtata usque ad ſententiam: quod ita accipiendum eſt, ſi ante judicis ſententiam heres moram non fecit in reſtituendo fideicommiſſo: puta ſi ineunda ſit ratio legis falcidiæ, quæ nonnumquam totum relictum abſorbet; *l.* 1. §. *hæc verba*, infr. *ſi cui pluſq. per leg. falcid.* Extra hunc caſum non facile id eſt vix evenire poteſt, ut mora non præcedente perveniatur ad judicem, quia plerumque litem moturi, antequam res deduceretur ad judicem, reos conveniebant per juriſperitum, vel amicum, eumque monebant de ſolvendo, vel ſatisfaciendo; *l. quidam*, *de ſervit. urban.* Ceterum ſi antequam ad judicem perveniretur, heres fuerit in mora reſtituendi fideicommiſſi, ex tempore moræ fructus & omnia commoda præſtat fideicommiſſario, nec legitimi temporis, quod datur condemnatis judicati faciendi cauſa, fructibus liberatur, quia, ut ait Papinianus, illa temporis

Digitized by Google

intercapedo, condemnato dilationem afferre debet, judicati faciendi cauſa, non lucrum afferre, id eſt lucrum fructuum, qui interim percipiuntur. Tempus, quod poſt ſententiam judicatis datur a lege, non eſt liberum ab uſuris; *l. ult. C. de uſur. rei judic.* niſi in ipſa ſententia nihil dictum ſit de uſuris; *l. in bonæ fidei*, C. † *de uſur.* quia beneficium legis non debet porrigi in alterius injuriam; *l. impuberi, de adm. tutor.* & tempus illud humanitatis gratia debitoribus indulgetur; *l. cum militi*, §. *ult. de compenſat.* Tempus a creditore datum ad ſolvendum eſt liberum ab uſuris, quia dies adjectus eſt debitoris gratia; *l. cum tempus, de R. J.*

§. *in his quoque.*

IN bonæ fidei judiciis, ut in actione empti venditi, veniunt uſuræ ex mora, ſi mora præceſſit litem conteſtatam; *l. mora*, † §. *in bonæ fidei*, infra. *h. tit. l. Julianus*, §. *veniunt, de act. empt. l. 5. C. eod.* in arbitrariis judiciis, quæ non ſunt bonæ fidei, nec arbitraria, id eſt in ſtrictis judiciis, a tempore litis conteſtatæ uſque ad ſententiam omnis cauſa præſtatur, id eſt fructus & uſuræ, & aliæ acceſſiones; *l. cum fundus, in princ. de reb. cred. l.* † *ſi filius*, §. 1. *de V. O.* Certe poſt rem judicatam, tempus, quod a lege datur condemnatis, a fructibus dependendis immune non eſt: ſic legendum adjecta negativa, ut docuit Ant. Faber, 7. *conject.* 2. in ſtrictis judiciis fructus non veniunt ex mora, ante conventionem judicialem, ſed a lite conteſtata; *l. videamus* 38. §. *ſi actionem*, infr. *h. tit.* Donator etiam non præſtat uſuras ex mora, quia donatio non eſt bonæ fidei contractus; *l. eum qui, de donat.*

† *L. ſi filius, de V. O.* paucis verbis ſe expedit. Extat *l. ſi filiusf.* 78. v. ſi ſacit.

§. *nonnumquam.*

ALiquando in reſtitutione fideicommiſſi veniunt fructus ex tacita voluntate defuncti, etſi nominatim non ſit rogatus reſtituere fructus: ut ſi heres rogatus ſit poſt mortem ſuam, quicquid ex bonis ſupererit Titio reſtituere, ut ea quæ bona fide, id eſt non intervertendi fideicommiſſi cauſa, deminuta ſunt non reſtituit, ita quod ex fructibus ſupererit, id eſt fructus ſuperextantes, reſtituere debet, ex *h.* §. *& l. Titius rogatus*, inſr. *ad Trebell. l. ſed & ſi lege*, §. *quod autem, de petit. hered.* Opponitur *l. deducta*, §. *pen. ad Trebell.* ſi heres rogatus ſit reſtituere quod ex hereditate ſupererit cum moreretur, non videtur rogatus reſtituere fructus ſuperfluos: utraque lex eſt Papiniani, non poteſt is videri ſibi contrarius, & tollenda negativa. Quod probat ratio, quæ ſubjicitur: ea verba fideicommiſſi, *quidquid ſupererit*, deminutionem hereditatis admittunt, id eſt permittunt heredi bonæ fidei deminuere fideicommiſſum, fructuum autem additamentum non recipiunt. Heres rogatus reſtituere quidquid ex hereditate ſupererit, non tenetur reſtituere fructus qui ſuperſunt: ut in *l. Balliſta, eod. tit.* heres rogatus reſtituere, *quanta pecunia ex hereditate ad eum pervenerit*, tenetur reſtituere fructus, perinde ac ſi ſpecialiter rogatus eſſet, id eſt ex tacita voluntate defuncti.

§. *cum Pollidius.*

IN reſtitutione fideicommiſſi veniunt etiam fructus ex voluntate defuncti in hoc caſu, ſi quis heres inſtitutus ſit a propinqua, & rogatus reſtituere filiæ mulieris quidquid ex bonis ejus ad ſe pervenerit, cum adoleverit, certo fundo retento, id eſt prælegato, & a teſtatrice adjectum ſit nominatim, hoc ſibi placuiſſe, ut conſuleretur pupillæ, ne res filiæ tutoribus, ſed potius neceſſitudini, id eſt propinquo committeretur, & quod lubrico, id eſt periculo tutelæ, fidei-

com-

commiſſi remedium, id eſt fidem heredis rogati & propinqui mater prætulerit, hoc caſu fructus omnes, quos bona fide percepit heres, fideicommiſſario, id eſt puellæ, cum adulta fuerit, reſtituere debet, duplici ratione. Prima eſt, quia heres rogatus eſt reſtituere hereditatem retento fundo, & teſtatrix heredem eo fundo contentum eſſe voluit. Secunda, quia fideicommiſſi remedium prælatum eſt lubrico tutelæ, id eſt hujusmodi fideicommiſſum magis eſt tutelæ adminiſtratio, quam fideicommiſſaria inſtitutio, ut *hic*, & *l. Seius Saturninus*, infra. *ad Trebell.* & mater propinquum heredem inſtituit, non ut fructus ſuos faceret, ſed ne lubrico tutelæ res puellæ committerentur. Si fideicommiſſo dies adjectus ſit heredis gratia, fructus medii temporis lucro heredis cedunt: ſi fideicommiſſarii gratia, puta ſi fideicommiſſum pupillo relictum ſit in tempus pubertatis, tunc fructus medii temporis fideicommiſſario reſtituuntur; *l. ſi ita relictum*, §. *Pegaſus*, *de legat.* 2. *l. Javolenus*, *l. Liberto*, §. † *filium*, *de ann. legat.* Cujac. †† 26. *obſ.* 27.

†† V. ſi probat. Et v. eundem Cujac. ſuper §. *Pegaſus*, ab auct. *hic* laudato, tom. 7. col. 1172.

§. *ult.*

SI heres moram fecerit in reſtituendo auro vel argento facto, puta ſcypho aureo vel argenteo per fideicommiſſum relicto, ſi aurum vel argentum factum per fideicommiſſum relictum ſit, ut eo diſtracto, ex pecunia inde refecta ſeu redacta fideicommiſſum ſolveretur, aut alimenta præſtarentur, uſuræ debentur ex mora, quia actio ex teſtamento eſt ſimilis actioni bonæ fidei. Quod ſi aurum vel argentum factum, per fideicommiſſum relictum ſit in uſum fideicommiſſarii, uſuræ non ſine rubore, id eſt verecundia, deſiderantur, ideoque non exiguntur, ex *h.* §. quia uſuræ debentur ex quantitate, id eſt pecunia, non ex corporibus ſeu ſpeciebus, puta ex auro vel argento, quia pecunia parit uſuram, non res, vel corpus, ſed quod vice uſuræ eſt. Si in præſtando auro vel argento heres moram fecerit, præſtatur merces, quia ea vaſa locare potuit; *l. videamus* 19. † *in princ. verſ. præterea*, infr. *h. tit.* quia mora non debet eſſe impunita. Uſuræ debentur ex corporibus, puta ex fructibus perceptis ante litem conteſtatam a malæ fidei poſſeſſore, quia fructus hujusmodi augent hereditatem; *l. heres furioſi*, *de petit. hered.* *l.* 1. *C. eod.* ſpectantur ut corpora hereditaria, non ut fructus.

L. 4.

SI emptor a venditore ſtipuletur fundum dari, vacuamque poſſeſſionem tradi, prioribus verbis ſtipulationis, *fundum dari*, venditor tenetur dare fundum, prioribus verbis ſtipulationis res id eſt traditio rei continetur, non fructus, poſterioribus verbis ſtipulationis, *vacuam poſſeſſionem tradi*, fructus continentur. His verbis venditor tenetur præſtare fructus. Fructus poſtea capti præſtantur actione id eſt condictione incerti ex ſtipulatu ex mora, quia ſi fundus traditus eſſet, emptor fructus percepiſſet. Prioribus verbis ſtipulationis promittitur certum factum, nempe fundum dari, ideoque datur certi condictio; *l. certi condictio*, *de reb. credit.* Poſterioribus, *vacuam poſſeſſionem tradi*, fructus præſtantur condictione incerti ex ſtipulatu, quia factum promittentis eſt incertum, propter incertum fructuum futurorum: omne factum eſt incertum; *l. ubi*, *de V.O.* Poſterioribus verbis ſtipulationis continentur, non ſolum fructus, ſed etiam partus ancillæ, quia ſunt vice fructuum. Prioribus verbis ſtipulationis, *fundum dari*, ſive factum rei promittendi ſpectes, id eſt traditionem vacuæ poſſeſſionis, ſive effectum facti, traditionem transferendi dominii cauſa, traditione transfertur poſſeſſio in emptorem, & per poſſeſſionem dominium; *l. traditio*, §. *ult. de adqu. rer. dom.* Quod ſi emptor a venditore novandi animo ſtipuletur fundum dari, factum tantum tradendi ſtipulari intelligitur. Verum ſi emptor a venditore novandi animo, id eſt novandæ actionis empti, ſtipulatus

Digitized by Google

ſit rem tradi, (Plerumque contractui emptionis addebatur ſtipulatio rem dari ; *l.* 3. §. *ſi emptor* , *de act. empt.* Senec. de benefic. lib. 3. cap. 15. *Utinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret* : & ſi res empta non traderetur , non agebatur actione ex empto, ſed ex ſtipulatu.) factum rradendi tantum, non fructuum præſtationem, ſi res tradita non eſſet, ſtipulari intelligitur, quia non eſt veriſimile, adjecta ſtipulatione actioni ex empto, plus venditorem promiſiſſe per ſtipulationem, quam judicio empti præſtare compelleretur : quæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus apponuntur , jus commune non lædunt , id eſt non mutant naturam contractus ; *l. qui mutuam* , *mandat. l. quæ dubitationis* , *de R. J.* Sed ex his verbis poſterioribus ſtipulationis, *vacuamque poſſeſſionem tradi*, partus quoque veniunt condictione incerti . Etenim ſi ancilla tradita eſſet , ancilla peperiſſet apud emptorem , & partus in ejus bonis fuiſſet . Opponitur *d. l.* 3. §. *ſi emptor*, ſi emptor ſtipulatus ſit vacuam poſſeſſionem tradi , & ex ſtipulatu agat, fructus percepti poſt emptionem non veniunt in actione ex ſtipulatu, quia qui ſtipulatur fundum dari , vacuam poſſeſſionem tradi ſtipulari intelligitur , nec tamen ea ſtipulatione continetur fructuum præſtatio : neque enim plus eſt in ſtipulatione adjecta emptioni , quam in actione ex empto , quia ſtipulatio aſſumit naturam contractus, cui apponitur ; *l. ſi legati ſervi nomine*, *de legat.* 1. *l. Titius rogatus* , *in fin. ad Trebell. l. damni infecti* , *de damn. infect.* ſtipulatio emptionis, naturam emptionis ſequitur, ex *h. l.* ſic ſtipulatio legati, naturam legati ſequitur; *l.* 1. §. *ſi quis*, *ut legat. vel fideic. ſerv. cauſ. cav.* ſed ſupereſt actio ex empto ad fructuum præſtationem. Has leges ita conciliat Cujac. in *hac lege* 4. ſtipulatio appoſita eſt emptioni novandi animo, & in ea veniunt fructus , quaſi in actione empti . Ex quo novatione actio empti tranſlata eſt in ſtipulationem , ut in *l.* 3. ſtipulatione non eſt novata actio empti , & ſupereſt actio empti ad fructus poſtea perceptos conſequendos. Idem in *l.* 28. *de V.O.* fatetur, diverſas eſſe ſententias juriſconſultorum , & Pomponium in *l.* 4. diſſentire a Papiniano & ceteris.

§. *ult.*

SI poſt contractam emptionem ſervi vel ancillæ , ante interpoſitam ſtipulationem , vacuam poſſeſſionem tradi , ancilla pepererit apud venditorem , aut aliquid per ſervum venditori adquiſitum ſit , partus ancillæ & adquiſitiones per ſervum factæ ante interpoſitam ſtipulationem non veniunt in ſtipulatione, & quod emptor ex ſtipulatione conſequi non potuit , judicio empti conſequetur , quia ſtipulatio non eſt interpoſita poſt perfectam emptionem novandi animo , & quod non transfertur in cauſam novationis per ſtipulationem , jure priſtino peti poteſt actione ex empto. Stipulatio interpoſita poſt perfectam emptionem, non novat obligationem & actionem empti & venditi , quia non eſt interpoſita novandi animo. Stipulatio, rem dari, & vacuam poſſeſſionem tradi , ſolebat adhiberi in emptione & venditione , non novandæ actionis cauſa , ſed ut pluribus actionibus agi poſſet ; *l.* 3. §. *ſi emptor* , *de act. empt.* ſtipulatio eſt vinculum & adjectio omnium obligationum.

L. 5.

IN judicio bonæ fidei non veniunt præſtationes , quæ contra bonos mores deſiderantur, ex *h. l.* ut in petirione hereditatis , quæ eſt bonæ fidei , non veniunt fructus qui inhoneſte percipi potuerunt ; *l.* † *ult. & auth. bonæ fidei* , *C. de petit. heredit.* & uſuræ ultra legitimum modum promiſſæ, pro non adjectis habentur, quatenus modum excedunt ; *l. placuit*, infr. *h. tit.*

† Ex §. *ult. hujusce l.* probatur, petitionem hereditatis in bonæ fidei judiciis connumerari. *Auth.* vero *bonæ fidei* deſideratur. *V. l.* 52. *ff. de petit. hered.* & ibi Gothofr.

L. 6.

Digitized by Google

L. 6.

IN actione de in rem verſo, quæ datur in heredem patris vel domini, ex contractu filiif. vel ſervi, veniunt uſuræ, quas pater vel dominus longo tempore ſaltem decennio præſtitit, ex *h. l.* etiam ſi non appareat eas in ſtipulatum deductas. Ex diuturna præſtatione uſurarum debentur uſuræ in futurum, quia ex diuturna præſtatione præſumitur præceſſiſſe ſtipulatio uſurarum: alias obligatio uſurarum non contrahitur citra ſtipulationem, etiamſi aliquando ex pacto præſtitæ ſint *; l. creditor*, C. *h. tit.* & ſi certis annis, id eſt minori tempore quam decennio, nudo pacto penſio præſtita ſit, qui præſtitit non obligatur in futurum *; l. ſi certis annis*, C. *de pact.* vel ſi libertus operas non impoſitas in manumiſſione aliquanto tempore præſtiterit, non tenetur in futurum *; l.* † *operis* 31. infr. *de oper. libert.* ſi heres ex fideicommiſſo inutili per multum tempus, non minus triennio, alimenta annua præſtiterit, tenetur in futurum *; l.* 1. *C. de fideicomm.* Hoc ſpeciale eſt favore alimentorum, ut notat *gloſſ. hic*. Alias tempus non eſt modus tollendæ vel inducendæ obligationis *; l. obligationum* 44. §. † 1. *verſ. placet, de oblig. & act.* Si libertis alimenta præſtita ſint a coheredibus per multos annos, ſtandum eſt diviſioni, & præſtationi alimentorum *; l. quadam*, ſupr. *famil. erciſc.*

§. *Imperator.*

EX præſtatione uſurarum dotis probatur acceptio dotis, etiam ſi non probetur promiſſio dotis. Bonis patris publicatis, filia petebat decies centena dotis, quæ intendebat ſibi a patre doti promiſſa cum nuberet. (Decies centena, inquam, qui erat maximus dotis modus; Martial. libr. 2. epigr. 65. *Centena decies, quæ tibi dedit dotis.* Juvenal. libr. 4. ſatyr. 10. *Et ritu decies centena dabuntur antiquo.* Cui forte convenit ratio decies millium ſeſtertium; Senec. de conſolat. ad † Helviam*: Beatiores ne iſtos putas, quorum pantomimæ decies ſeſtertio nubunt.* Tacit. 2. annal. (cap. 86.) *poſt habitam, decies ſeſtertii dote ſolatus eſt.*) Filia allegabat dotem promiſſam, nec probabat, ſed probabat præſtationem uſurarum. Ex decreto Severi fiſcus debet præſtare dotem filiæ, quia fiſcus ſuccedit cum ſua cauſa & onere *; l.* 3. §. † 4. *l. dicitur, de jur. fiſc.*

L. 7.

OBlatio, conſignatio, & depoſitio pecuniæ, id eſt ſortis, ſiſtit curſum uſurarum, & liberat debitorem*; l. acceptam*, C. *h. tit. l. obſignatione*, C. *de ſolut.* ut in hac ſpecie, debitor uſurarius, id eſt qui debebat pecuniam ſub uſuris, pecuniam obtulit creditori, & eo non accipiente, eam obſignavit & depoſuit. Ex eo die non habetur ratio uſurarum, id eſt uſuræ deſinunt currere, quia oblatio & depoſitio habet vim ſolutionis, & liberat debitorem. Sed ſi poſt depoſitionem pecuniam receperit a depoſitario, & in depoſito non perſeveraverit, ex eo tempore nummi ſteriles non erunt, id eſt ex eo die uſuræ rurſus incipiunt currere, ex *h. l.* ſterilis eſt pecunia, quæ non parit uſuram *; l.* 3. §. *uſuras, de contrar. tutel. & util. act.* pecunia per ſe non parit uſuras, uſura non ex re, ſed ex negotiatione, puta ex ſtipulatione, vel ex mora debetur *; l. ſi navis, de rei vindic. l. ex annuo*, §. 1. *& l. ſeq. de don. int. vir. & uxor. l. uſura, de* † *V. S.* Etiam poſt depoſitionem uſuræ currunt ſi depoſitio non perſeveraverit, quia ultima mora nocet *; l. illud de peric. & commod. rei vend. l. interdum*, § *ult. de V. O. l. qui decem*, §. 1. *de ſolut.*

L. 8.

Equis, id eſt equabus, per fideicommiſſum relictis, poſt moram heredis foetus præſtantur ut fructus: foetus ſecundi, id eſt fructus fructuum, non ſpectantur ut fructus, quia fructus fructuum eſſe non poſſunt, ſicut nec uſuræ uſurarum, ſed ſpectantur ut cauſa, id eſt commoditas; *l. videamus* 19. infr. *h. tit.* Equis per fideicommiſſum relictis, foetus editi poſt moram heredis tantum debentur. Equitio legato, foetus editi etiam ante moram heredis debentur; *l. equis* 39. inſt. *h. tit.*

L. 9.

Pecunia foenebri, quæ erat foenori, ad diem non ſoluta, ſi duplum ſtipulatus fuero, id eſt duplas uſuras, majores uſuras ob moram, in altero tanto, id eſt in duplo ſupra modum legitimæ uſuræ, ſtipulatio non valet, ex *init. h. l.* ob uſuras non ſolutas ad diem, majores uſuræ non infliguntur ultra legitimum modum uſurarum; *l. cum non*, *C. h. tit.* pœna ob pretium non ſolutum ad diem, poteſt excedere modum legitimum uſurarum; *l. Julianus*, §. *ibidem*, *de act. empt.* Opponitur *l. Græce*, §. *ſi quis Stichum*, *de fidejuſſ.* quæ ait, fidejuſſorem, qui pro reo obligato in decem promittit decem aut Stichum, non obligari, id eſt omnino non obligari. Qui pro ſe promittit duplas uſuras ob moram, obligatur uſque ad modum legitimæ uſuræ, ſi forte minores ab initio promiſerit. Aliud in fidejuſſore, qui accipitur in duriorem cauſam, omnino non obligatur.

§. *uſurarum*.

Uſurarum ſtipulatio committitur etiam ſi debitor non interpelletur, quia dies interpellat pro homine; *l. trajectitiæ*, *de oblig. & act. l. magnam*, *C. de contrah. & commit. ſtipulat.* nec inutilis eſt ſtipulatio legitimæ id eſt centeſimæ uſuræ ſub ea conditione concepta, ſi minores ad diem ſolutæ non ſint, ut majores, id eſt centeſimæ, ſolvantur; non enim pœna, ſed foenus uberius, juſta ratione ſortis promittitur, ad modum legitimæ uſuræ. Ob moram in ſolvendis minoribus uſuris, majores in ſtipulatum deduci poſſunt, non enim poena id eſt quaſi pœna committitur ſtipulatio majorum uſurarum, ſed quaſi majorum uſurarum. Si tamen poſt mortem creditoris inculpata fuit mora, ſi non fuit cui uſuræ ſolverentur, quia heres incertus erat, nondum adita hereditate, ſi majores uſuræ ex ſtipulatione petantur, debitor conventus tuetur ſe exceptione doli mali: nihil eſt quod imputetur debitori, ſi non fuit cui ſolveretur; *l. cum quidam*, §. *ſi pupillo*, infr. *h. tit. l.* † *item ait prætor*, §. *hæc autem*, *ex quib. cauſ. majores*, *l. ult. de leg. commiſſor. l. pen. de nautic. fœnor. l.* 1. §. *non exigit*, *ut in poſſ. legat.* Hoc colore mortuo Innocentio V. cum Carolus Rex Neapolis & Siciliæ ſe excuſaret de ſolvendo cenſu quem debebat Pontifici, dictum fuit non teneri pœna commiſſi, quia non erat cui cenſus ſolveretur, ut refert Fulgoſ. *hic.* Opponitur *l. evictis agris*, §. 1. infr. *h. tit.* poſt traditam poſſeſſionem defuncto venditore, cui ſucceſſor incertus fuit, uſuræ medii temporis pretii, quod depoſitum non fuit, præſtantur: ſed nulla eſt pugnantia, quia uſuræ *hic* ſunt vice fructuum, qui percepti ſunt, & qui augent hereditatem.

L. 10.

Partus poſt litem conteſtatam editos quilibet poſſeſſor reſtituere debet, quia in actione in rem veniunt fructus & partus ancillarum, qui ſunt vice fructuum, quia tacite petiti intelliguntur. In judiciis formula ſeu actione, quod

re

Digitized by Google

te mihi dare facere oportet, continetur etiam futurum tempus *; l. ſi ſtipulatus*, 76. §. 1. *de V. O.* id eſt omne incrementum, quod venit poſt litem conteſtatam. Partus, ante litem conteſtatam editos, poſſeſſor non reſtituit, niſi ſpecialiter de his actum ſit, *ex h. l.* † *& l. ædiles* 25. §. *item ſciendum*, *de ædil. edict. l. ult. C. de liber. cauſ.*

L. 11.

SI curator reipublicæ pecuniam publicam fœneravit, uſuras præſtare debet, quæ ſecundum formam, id eſt conſuetudinem regionis, a debitoribus exigi ſolent, etiam ſi non omnia nomina idonea ſint: igitur ſi majores uſuras ſtipulatus ſit a debitoribus ex conſuetudine regionis, ſi ad diem minores non præſtarentur, quidam ceſſaverint in ſolvendis uſuris, quidam non ſolutis ad diem uſuris majores intulerint, illud quod amplius pœnæ nomine a quibusdam exegit, non cedit lucro reipublicæ, ſed prodeſt curatori ad ſupplendum id quod uſurarum nomine competebat, id eſt debebatur, pro his qui ceſſaverunt in ſolvendis minoribus uſuris. Lex ait ſi non omnia nomina ſint idonea, quia † respublica debet omnia approbare, aut omnia improbare, ut in tutore *; l. cum quæritur, de adm. tutor.*

† Ratio hæc non eſt ex mente legis, quæ ait, *etiam ſi omnia nomina idonea ſint*. Bene ſe habet in §. 1. *ejusd. l.* 11.

§. *quid ſi ſervus*.

SI ſervus publicus, qui erat actor reipublicæ, majores uſuras ſtipulatus ſit a debitoribus, & ex pecunia publica contraxerit varia nomina, ex quibus alia ſint idonea, alia non idonea, quamvis ipſo jure obligatio uſurarum reipublicæ adquiſita ſit, tamen majores uſuras, id eſt quod amplius eſt in uſuris, quam in uſuris præſtari ſolitis, compenſat cum defectis nominibus, niſi respublica parata ſit univerſorum debitorum fortunam id eſt periculum in ſe ſuſcipere. Idem fere in tutoribus ex Marcello, ex *h.* §. ſi nomina a tutore contracta, ex pecunia pupillari, partim ſint integra, partim deperdita, & male contracta, tutor eam conditionem deferre poteſt adulto, ut aut nomina in totum agnoſcat, aut ab his in totum recedat, perinde ac ſi tutor ſibi negotium geſſiſſet *; l. cum quæritur, de adm. tutor.*

L. 12.

SI creditor a debitore ſtipulatus ſit, ſi ad diem minores uſuræ non ſolverentur, ne majores præſtarentur, & deinceps per ſingulas penſiones, ſi ad diem uſuræ non ſolverentur, eadem conditio obſervaretur, donec omnis pecunia debita hoc nomine ſolveretur; commiſſa prima ſtipulatione, id eſt primæ penſionis, non committitur ſtipulatio ſequentium penſionum, niſi quatenus in ſequentibus penſionibus ſolvendis ſua die debitor ceſſaverit, quia plures ſunt ſtipulationes, plures conditiones, ea ſtipulatio plures conditiones continet, non una eſt ſtipulatio, ſed plures *; l. pluribus, de V. O.* & ideo etiam commiſſa ſtipulatione primæ penſionis, poteſt evitari pœna ſequentium penſionum, ſi earum uſuræ ſua die ſolvantur, ex *h. l.* Si pecunia mutua data ſit ſub pignore, ſolvenda annua, bima, trima die, id eſt tribus penſionibus, pignus diſtrahi non poteſt, antequam dies omnium penſionum præterierit *; l. neceſſarias*, §. *ſi annua, de pigner. act.* & hoc ſtatutum eſt in gratiam debitoris, propter favorem liberationis *; l. Arianus, de oblig. & act.*

L. 13.

QUi ſemiſſes uſuras creditori ſtipulanti promiſit, & per multos annos minores præſtitit, ſi ab eo petantur ſemiſſes uſuræ, tuetur ſe exceptione

Digitized by Google

doli vel taciti pacti. Diutina præſtatione leviorum uſurarum, majores tacito pacto remiſſæ cenſentur, ut *hic*, & *l. cum de in rem verſo*, ſupr. *l. cum quidam*, *§. divus*, infr. *h. tit. l. adverſus*, *l. quamvis* 8. C. *eod.* Tacita remiſſio uſurarum, vel majorum uſurarum, valet favore liberationis.

§. *quæſitum*.

PRocurator vel negotiorum geſtor, qui geſſit negotia domini vel amici abſentis ſine mandato, pecuniæ inventæ in bonis ejus, quam otioſam reliquit, non tenetur præſtare uſuras, ſi dominus nullam pecuniam fœneravit, id eſt non eſt ſolitus fœnerari. Nihil eſt quod imputetur procuratori, vel negotiorum geſtori, qui pecuniam otioſam reliquit pro conſuetudine patrisf. ne periculum in ſe ſuſciperet. Spectanda eſt conſuetudo patrisf. *l. heredes palam*, *in fin.* §. 1. infr. *qui teſt. fac. l. ſi ſervus plurium*, *in fin. de legat.* 1. *l. nummis*, *de legat.* 3. Non eſt in culpa, qui in re aliena verſatur ſecundum conſuetudinem domini.

Tutor vel negotiorum geſtor, qui pecuniam in uſus ſuos convertit, præſtat uſuras; *l. qui ſine uſuris*, *de negot. geſt. l. non exiſtimo*, *de adm. tutor.*

L. 14.

MOra facta in reſtituendo fideicommiſſo, partus quoque ancillarum reſtituuntur, quia partus ancillarum poſt moram ſunt vice fructuum, & reſtituendi ſunt, ne mora proſit heredi.

§. *heres*.

SI heres rogatus ſit poſt mortem ſuam reſtituere hereditatem ſine reditu, id eſt deducto ſolo reditu, quæritur, an partus ancillarum editi ante diem fideicommiſſi cedentem, id eſt ante mortem heredis, reſtituendi ſint? Paulus reſpondit, partus ancillarum editos ante diem fideicommiſſi cedentem fideicommiſſo non contineri, quia non ſunt in reditu ſeu fructu; *l. in pecudum*, §. 1. infr. *h. tit.* & ita non videntur excepti: in fideicommiſſaria hereditatis reſtitutione non veniunt fructus, niſi ex mora; *l. in fideicommiſſaria*, infr. *ad Trebell.* Similiter heres rogatus reſtituere ancillam, non tenetur reſtituere partus ancillæ, niſi editus ſit poſt moram in reſtituendo fideicommiſſo.

L. 15.

SIcut uſuræ uſurarum non debentur; *l. ult. al.* 28. *C. h. tit.* quia acceſſiones acceſſionum non admittuntur, neque fructuum poſt litem conteſtatam officio judicis reſtituendorum uſuræ præſtantur, neque eorum fructuum, qui ante litem conteſtatam quaſi a malæ fidei poſſeſſore percepti ſunt, uſuræ condicuntur, condictione ſc. certi, quæ eſt ſtricti juris, ex *h. l.* quia uſuræ præſtantur ex quantitate, non ex corporibus, ſeu ſpeciebus. In petitione hereditatis, quæ eſt bonæ fidei, fructuum perceptorum ante petitionem hereditatis uſuræ præſtantur, quia non ut acceſſiones veniunt in petitionem hereditatis, ſed ut pars rei; *l. heres furioſi*, *in fin.* ſupr. *de petit. hered.*

L. 16.

DOnationis in rempublicam factæ uſuræ non debentur, ex *h. l.* puta pollicitationis in opus publicum; *l.* 1. infr. *de pollicit.* legati vel fideicommiſſi

Digitized by Google

miſſi relicti in opus publicum, ſi intra diem factum non erit, leviores uſuræ præſtantur; *l. cum quidam*, *§. ult.* inſr. *h. tit. l. ſi legatum*, *de oper. public.* uſuræ pretii fundi empti venditi debentur a die traditionis, quia ſunt vice fructuum; *l. Julianus*, *§.* † *veniunt autem*, *de act. empt.* uſuræ pretii fundi empti, etiam a fiſco, non præſtantur, ſi non dum traditus ſit fundus, quia iniquum eſt ab eo uſuras exigi, qui fructus non percepit, ex *h. l. & l. curabit*, *C. de act. empt.*

L. 17.

SI quis creditori ſtipulanti promiſerit quincunces uſuras: & ſi quo anno non ſolveret, tunc ſemiſſes uſuras totius pecuniæ a die contractus ſolvere debet. Si debitor præſtitis quincuncibus uſuris per aliquot annos, aliquo anno ceſſaverit in ſolvendis uſuris quincuncibus, ſtipulatio majorum uſurarum non committitur in præteritum a die contractus, ſed in futurum a die ceſſationis, ex *h. l.* Alias ob ſortem non ſolutam graviores uſuræ mutui, ſi in ſtipulatum deductæ ſint, debentur a die ſtipulationis; *l. lecta*, *in fin. de reb. cred. l. hujusmodi*, *de V. O.* Cujac. 19. *obſ.* 8. *& in l. hujusmodi*.

§. divus.

SI creditor longo tempore, puta decem vel viginti annis, omiſerit petere uſuras, poſtea non poteſt petere uſuras præteritas, quia tacite eas remiſiſſe cenſetur, ut gratior apud debitorem eſſet, ex *h. §. & l. vir uſuras*, *de don. inr. vir. & uxor.* Ut præſtatione minorum uſurarum, majores remiſſæ cenſentur; *l. qui ſemiſſes*, ſupr. *h. tit. l. adverſus*, *l. quamvis* 8. *C. h. tit. l. poſt venditionem*, *C. de pact.*

§. in tacito.

IN tacito fideicommiſſo, cum heres fidem adcommodat de reſtituendo fideicommiſſo incapaci, omne emolumentum heredi aufertur, & fiſco vindicatur ex reſcripto D. Pii, etiam uſurarum emolumentum, ex *h. §. l. ex facto*, *§. Julius*, *de vulg. & pupill. l. prædonis*, *de petit. hered. l. heres*, *l. cum quidam*, *de his quib. ut indign. l.* 3. *C. ad l. falcid.* Præterea taciti fideicommiſſi pœna hæc eſt, quod heres in eo falcidia non utitur, ſed ea a fiſco vindicatur; *l. beneficio*, *§.* 1. *ad leg. falcid.* Tacitum fideicommiſſum eſt, quod non palam teſtamento vel codicillis ab herede relinquitur incapaci, ſed tacite privata cautione vel chirographo; *l. in tacitis*, *de legat.* 1. *l. in fraudem*, *de jur. fiſc.*

§. ſi pupillo.

USuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſolventium infliguntur: uſuræ non ſtatim currunt a die numerationis ſeu creditæ pecuniæ, ſed ex mora non ſolventis, ex tardiore ſolutione. Ideo ſi fideicommiſſum ab herede relictum ſit pupillo, vel abſenti reip. cauſa, vel alia juſta cauſa impeditus, ex qua reſtitutio indulgetur, petere non potuit, non debentur uſuræ fideicommiſſi relicti, ſi pupillo non habenti tutorem vel abſenti reip. cauſa, qui non habebat domi procuratorem, vel negotiorum geſtorem, fidecommiſſum ſolvi non potuit, quia heres non videtur eſſe in mora, ſi non fuit cui ſolveret: mora non contrahitur, ſi inopportuno loco & tempore oblatio fiet; *l. ſi ſoluturus*, inſr. *de ſolut.* Nihil eſt quod imputetur ei qui ſolvere, etiam ſi vellet, non potuit, ut *hic*, inculpata eſt mora, ſi nemo fuit cui ſolveretur; *l. pecuniæ*, *in fin.* ſupr. *h. tit.* Pœna non committitur, ſi nemo fuit cui ſolvatur; *l. ult. de leg. commiſſ. l. multa*, *in pr. de condit. & dem.* Nec ſimile videri poteſt, quod minoribus etiam in lucro ſuccurritur; *l. ait præ-*

tor, §. *hodie*, *de minorib.* in his quæ adquiſita non ſunt, ut dicitur, *hic.* Ergo heres videtur fuiſſe in mora præſtandi fideicommiſſi a ſe relicti minori, ſi minor reſtituatur in integrum adverſus omiſſam occaſionem adquirendi, & beneficio reſtitutionis exinde currunt uſuræ. Sed hoc eſt falſum, uſuræ fideicommiſſi ab herede relicti pupillo non præſtantur, ſi non fuit cui ſolveretur, quia uſuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſolventium infliguntur, ut eſt in *fin. h.* †. §. uſuræ non præſtantur, ut ſint in lucro creditori, ſed propter moram non ſolventium, nè creditor ſit in damno ex mora ſeu tardiori ſolutione debitoris, non lucri faciendi, ſed damni vitandi cauſa.

§. *ex locato.*

IN bonæ fidei contractibus, puta locati conducti, uſuræ non debentur niſi ex mora, id eſt interpellatione, niſi convenerit, ut tardius illatæ pecuniæ, ante moram id eſt interpellationem uſuræ deberentur, ex *h.* §. *l. mora*, §. *in bonæ fidei*, infr. *h. tit. l. præſes*, *C. locat. conduct.* In bonæ fidei contractibus uſuræ debentur ex mora, vel ex pacto in continenti appoſito citra vinculum ſtipulationis; *l. Publia*, §. 1. *l. Lucius* 24 *in fin. depoſit. l.* † *qui negotia*, *mandat. l. Titius*, *de præſcript. verb. l. initio*, *C. de pact. int. empt. & vend.* In ſtrictis judiciis uſuræ non debentur ex pacto ſine ſtipulatione; *l. quamvis*, *C. h. tit.*

§. *fiſcus.*

FIſcus ex ſuis contractibus uſuras non præſtat ob moram, ſed ipſe accipit, ut ſolet a foricariis, vel conductoribus vectigalium, ſi moram fecerint in ſolvendo: fiſco mora fit ſine interpellatione: cum autem fiſcus in locum privati debitoris ſuccedit, uſuras præſtat, ex *h.* §. quia fiſcus cum privato ſuccedit, jure privati utitur; *l.* 3. §. † 4. *l. dicitur*, *l. fiſcus* 6. *de jur. fiſc.* Fiſcus ſemper ſuccedit cum ſua cauſa & onere; *l. ſi marito*, *l. ſi maritus* 36. infr. *ſolut. matrim.* Cujac. 22. *obſ.* 34. Idem, 26. *obſ.* 25. Foricarii ſunt conductores foricarum, quæ ſunt latrinæ publicæ, de quibus Juvenalis ſatyr. 13. *inde reverſi conducunt foricas*; foria eſt ſtercus a Græco φορία.

§. *ſi debitores.*

SI debitor privati, qui minores ſemiſſibus, id eſt quincunces uſuras, præſtabat, debitor fiſci eſſe cœperit, quia fiſcus ſucceſſit creditori, poſtquam res ad fiſcum tranſiit, ſemiſſes uſuras præſtat: fiſcus cum in jus privati ſuccedit, jure privati utitur, pro tempore anteriori ſuæ ſucceſſioni: ceterum poſtquam ſucceſſit, jure fiſci utitur; *l. fiſcus* 6. *de jur. fiſc.* Fiſcus non ultra ſemiſſes uſuras ſtipulari poteſt, ſive eas ſtipuletur ſuo nomine, ſive ſucceſſerit in locum privati creditoris; *l. ult. C. de fiſcalib. uſur. libr.* 10.

§. *eos qui.*

CUrator reipublicæ, vel operum publicorum, qui ex adminiſtratione, id eſt officio, convenitur, pecuniæ publicæ, quæ apud eum remanſit, uſuras præſtat: ejus quam redemptoribus, id eſt conductoribus operum, etiam negligenter id eſt incaute dedit, non præſtat uſuras, modo abſit fraus. Neque obſtat *l. Lucius*, §. 1. & *l. conſtitutionibus*, infr. *ad municipal.* curator reip. qui ex officio adminiſtrationis convenitur, præſtat damnum ſociis, non uſuras, quia pecunia amiſſa quaſi mortua non parit uſuras.

§. *ult.*

Digitized by Google

§. *ult.*

SI dies non ſit præfinitus ab his qui ſtatuas vel imagines ponendas legaverunt, tempus a præſide ſtatuendum eſt, boni ſc. viri arbitrio, & niſi poſuerint heredes, uſuræ debentur usque ad tertiam centeſimæ, ex *h.* §. & ſi heredes non poſuerint intra tempus, tunc intra ſex menſes uſuræ leviores, ſin minus ſemiſſes uſuræ debentur; *l. ſi legatum*, *de operib. public.*

L. 18.

SI ab initio convenerit inter emptorem & venditorem, ut evicto fundo venditor pretium reſtitueret, evicto fundo venditor tenetur quoque uſuras reſtituere, quamvis id eſt quia emptor a lite conteſtata reſtituit rem actori cum fructibus, nam incommodum medii temporis emptoris damnum eſt, id eſt evicto fundo, venditor non tenetur præſtare uſuras pretii medii temporis, id eſt temporis quod interceſſit ab emptione ad litem conteſtatam, quia poſt perfectam emptionem periculum pertinet ad emptorem; *l. neceſſario*, *de peric. & commod. rei vend.* ante evictionem, vel litem conteſtatam ſuper evictione, fructus medii temporis compenſantur cum uſuris pretii, etſi ſint minores. Re evicta, ex quo emptor non utitur re & fructibus, æquum eſt pretium cum uſuris ei reddi; *l. curabit*, *l. fructus*, *C. de act. empt.*

§. *poſt traditam.*

USuræ pretii rei venditæ & traditæ debentur a die traditionis, donec pretium ſolvatur, quia ſunt vice fructuum; *l.* 2. *C. h. tit. l. curabit*, *C. de act. empt.* ne venditor re & pretio careat; *l. Julianus*, §. *veniunt autem*, *l.* † *emptorem*, §. *ex vendito*, *de act. empt.* Uſuræ pretii rei venditæ debentur a die traditionis, etiam ſi emptor non ſit in mora ſolvendi, puta ſi poſt traditionem defuncto venditori ſucceſſor incertus ſit, medii quoque temporis uſuræ pretii, quod in cauſa depoſiti non fuit, præſtabuntur. Emptor præſtat uſuras pretii medii temporis, etiam ſi non fuit cui ſolveretur, quia potuit ſe liberare obſignando pecuniam; *l. acceptam*, *C. h. tit. l. obſignatione*, *C. de ſolut.*

† Al. *l. ex empto*, *in* §. 12. §. *vero ex vendito* deſideratur.

L. 19.

POſſeſſor rei alienæ, conventus actione in rem, tenetur rem reſtituere cum fructibus; *l. fructus* 33. *de rei vindic.* Quod ſi argentum, vel veſtem, vel aliam ſimilem rem petiero in rei vindicatione, in fructu computantur mercedes, quæ capi potuere ex locatione: merces locationis eſt vice fructuum in his quæ locari ſolent, puta argentum, aurum, veſtes ſcenicæ, quæ locari ſolebant ad ludos; *l. ſi ut certo*, §. *interdum*, *commodat.* Si nudam proprietatem ſeparatam ab uſufructu, nudam proprietatem cujus uſusfructus alienus eſt petiero, videbatur nihil venire in fructibus, quia nudæ proprietatis vix ullus fructus intelligi poteſt: in actione in rem fructus æſtimabuntur, ex quo uſusfructus conſolidatus fuerit proprietati: item ſi uſusfructus petitus ſit, videbatur in actione in rem uſusfructus nomine fructus non venire, quia uſusfructus fructus intelligi non poteſt, ſervitus ſervitutis eſſe non poteſt; *l.* 1. *de uſufr. legat.* tamen in actione in rem veniunt fructus percepti: item ſi iter vel actus petatur, vix eſt ut fructus itineris poſſint æſtimari: tamen in fructu computabitur commodum omne, quod actor habiturus eſſet, ſi non eſſet prohibitus ire agere, ex *h. l. l. loci corpus*, §. *in confeſſoria*, *ſi ſervit. vindic.*

Digitized by Google

L. 20.

Usuræ illicitæ ſorti mixtæ id eſt obligationi ſortis ipſæ non debentur, id eſt ultra modum legitimum uſurarum, ceterum ſortem id eſt obligationem ſortis non vitiant: in dividuis utile per inutile non vitiatur. Si quis uſuras ſtipulatus ſit ſupra legitimum modum uſurarum vel uſuras uſurarum, uſuræ ultra modum promiſſæ pro non adjectis habentur, quatenus excedunt modum uſurarum; *l. placuit*, infr. *h. tit.* uſuræ ultra duplum & uſuræ uſurarum non debentur; *l. ſi non ſortem*, §. *ſupra*, *de condict. indebit.*

L. 21. 22. 23.

Mora eſt fruſtratoria dilatio ſolvendi vel accipiendi crediti: mora non committitur cum quis differt ſolutionem ex juſta cauſa, puta ſi modicum tempus ſibi dari poſtulet, ut amicos adhibeat, ut interſint teſtes ſolutioni, vel expediendæ id eſt curandæ pecuniæ cauſa, quia pecunia non ſemper eſt in expedito, id eſt in numerato; *l. ſi dubitet*, infr. *de fidejuſſ.* vel rogandis fidejuſſoribus, quia non facile eſt invenire fidejuſſores; *l. omnes*, §. *præterea cum in provinciis*, *C. de Epiſc. & cleric.* vel ſi exceptio juſta allegetur, puta exceptio pacti de non petendo, non videtur eſſe in mora, vel ſi dies nondum venit, vel abſit reipublicæ cauſa, ſi modo id ipſum non fraudandi cauſa ſimuletur, ſed ſi reipublicæ abeſſe ſubito coactus ſit, ut ſui defenſionem mandare non poſſit, vel ſit captus ab hoſtibus, non videtur eſſe in mora.

L. 23. §. *aliquando*.

Regulariter mora committitur ex perſona, non ex re, puta ex interpellatione facta congruo loco & tempore; *l. mora*, infr. *h. tit.* Aliquando mora non committitur ex re, ſi forte non ſit qui conveniatur, ex *h.* §. uſuræ non debentur ex tali mora. Mora inculpata eſt, ſi non ſit cui ſolvatur; *l. pecuniæ*, *in fin.* ſupr. *h. tit.* Mora committitur re ipſa in perſona minorum, ex ſolo temporis lapſu, & uſuræ debentur ſine interpellatione; *l. in minorum*, *C. in quib. cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſar.* Ad diem ſub pœna promiſſa pecunia, ante diem mortuo promiſſore, pœna committitur, licet adita non ſit hereditas, nec ſit cui ſolvatur; *l. ad diem*, *de V. O.* Mora fit re ipſa favore dotis datæ in certa quantitate; *l. unic.* §. 7. *C. de rei uxor. act.* Mora ſit re ipſa, ſi poſt traditionem rei emptæ emptor non ſolvat pretium, a die traditionis currunt uſuræ; *l. evictis*, §. 1. ſupr. *h. tit.* *l. curabit*, *C. de act. empt.*

L. 24.

Si quis ſolutioni moram quidem fecerit, judicium autem accipere paratus fuerit, non videtur eſſe in mora, ſi juſtam litigandi cauſam habuit, & ideo propter moram non tenetur ad uſuras, ex *h. l. & l. paratum*, infr. *h. tit.* non videtur eſſe in mora qui habet juſtam cauſam litigandi; *l. illud*, *de petit. hered. l. qui ſine*, *de R. J.* vel ſi bona fide poſtulet arbitrum, qui excutiat rationes, & ſubducat ad verum, ignorans quantum ſit in debito; *l.* † *ſi reſiduum*, *C. de diſtract. pign.*

§. *cum reus*.

Mora rei nocet fidejuſſori: fidejuſſor præſtat uſuras ex mora rei, quia una eſt obligatio rei & fidejuſſoris; ut *hic & l. cum filiusf.* §. 1. *l. mora*,

ra, *de V. O.* Mora videtur fieri creditori, ſive ei, ſive ipſius procuratori, vel negotiorum geſtori mora fiat, nec hoc caſu per liberam perſonam id eſt per procuratorem obligatio adquiri videtur, ſed officium impleri, id eſt quæſita obligatio retineri; *l. per procuratorem*, *de procur.*

§. *ult.*

PEr procuratorem non adquiritur actio, ſed quæſita retinetur: obligatio perpetnatur interpellatione per procuratorem: puta ſi promiſſor hominis interpellatus ſit per procuratorem, obligatio perpetuatur, etiam ſi mortuus ſit homo promiſſus, quia mortuus eſt poſt moram, culpa id eſt mora debitoris perpetuatur obligatio; *l. ſi ſervum*, §. *ſequitur*, *de V. O.* Debitor liberatur naturali interitu rei, ſi contingat ante moram, ſed non liberatur poſt moram, tenetur enim præſtare æſtimationem; *d.* §. *ſequitur*.

L. 25.

SOcius fructus perceptos ex fundo communi, ignorante vel invito ſocio, ſuos non facit in totum, ſed pro ea parte, pro qua eſt dominus: nec refert ipſe an ſocius an uterque eos ſeverit, quia omnes fructus non jure ſeminis, id eſt ſeminis cauſa, ſed jure ſoli, id eſt vi & poteſtate ſoli, jure dominii percipiuntur, ex *init. h. l.* fructus ſolo cedunt, id eſt domino ſoli; *l. ſi quis ſciens*, *C. de rei vindic.* fructus non hereditati, quod eſt nomen juris, ſed rebus ipſis, id eſt corporibus ſeu prædiis hereditariis, accepti feruntur; *l. in fideicommiſſaria*, §. *quotiens*, infr. *ad Trebell.* Quemadmodum qui totum fundum alienum ſciens poſſidet, nulla ex parte fructus ſuos facit, quoquo modo ſati fuerint: ita qui communem fundum poſſidet, non facit fructus ſuos pro parte ſocii, ex *init. h. l.* quod juris eſt de toto ad totum, idem juris eſt de parte ad partem.

§ *in alieno*.

BOnæ fidei poſſeſſor fundi alieni, fructus induſtriales, id eſt ſatos, ſuos facit, ſive eos ſevit, ſive alius, quia in percipiendis fructibus, magis corporis jus ex quo percipiuntur, quam ſeminis ex quo naſcuntur, ſpectatur. Agro acceptum fertur, non quod propter agrum, ſed quod ex agro ſatione natum eſt; Varro de re ruſtic. libr. 1. cap. 2. *Non enim ſi quis propter agrum, aut etiam in agro profectus domino, agriculturæ acceptum referre doles, ſed id, modo quod ex ſatione terra ſit natum ad fruendum.* Fructus non jure ſeminis, ſed jure ſoli percipiuntur. Qui bona fide poſſidet fundum alienum, fructus ſuos facit. Sicut qui ſervum alienum bona fide poſſidet, quod ſervus ex peculio, vel operis ſuis adquiſiit, ſuum fecit, ut *hic*, & *l. quæſitum*, *in fin. de adqu. rer. domin.* Bonæ fidei poſſeſſor rei alienæ fructus ſuos facit, quoad percipiendos fructus ad hoc ut ſuos faciat pro domino habetur, ex *hac l.* & *l.* † *bonæ fidei*, infr. *de adqu. rer. dom.* Bonæ fidei poſſeſſor fructus perceptos ſuos facit, ſive eos ipſe ſeverit ſive alius, ne deterior ſit ejus conditio, quam fructuarii, qui fructus a quolibet ſatos ſuos facit. Bonæ fidei poſſeſſor plus juris habet in percipiendis fructibus, quam fructuarius, quia fructuarius fructus ſuos non facit antequam percipiantur, antequam collecti & in horreo conditi ſint, bonæ fidei poſſeſſor ſtatim atque a ſolo ſeparati ſunt, *ex h.* §. *in fin. l. arboribus*, §. *ult. de uſufruct. l. ſi fructuarius*, *quib. mod. uſuſfr. amitt.* Bonæ fidei poſſeſſor tranſmittit fructus ad heredem, fructuarius fructus non traſmittit ad heredem antequam percipiantur; §. *is vero*, *inſt. de rer. diviſ.* quia uſusfructus extinguitur morte fructuarii; *l. corruptionem*, *C. de uſufruct.* In hoc deterior eſt conditio bonæ fidei poſſeſſoris, quam fructuarii, quod fructuarius

Digitized by Google

etiam naturales fructus ſuos facit ; *l. uſufructu legato*, ſupr. *de uſufruct.* bonæ fidei poſſeſſor fructus induſtriales tantum ſuos facit, non naturales ; *l. fructus*, 46. infr. *h. tit.*

§. *ult.*

BOnæ fidei poſſeſſor, qui ſevit, & antequam fructus perciperet, cognovit fundum alienum eſſe, nihilominus perceptione fructus ſuos facit, quia quis bonæ fidei emptor intelligi debet, quoad percipiendos fructus, quandiu evictus fundus non fuerit: bonæ fidei emptor non deſinit eſſe bonæ fidei poſſeſſor ob ſupervenientem ſcientiam rei alienæ, donec res evincatur, id eſt donec lis conteſtata ſit ſuper evictione: evinci dicitur, quod lis ſuper evictione conteſtata eſt, inde quod evincitur, in bonis non eſſe dicitur ; *l. quod* † *evincitur*, *de R. J.* nam & qui ſervum alienum bona fide poſſidet, ex re ipſius vel ex operis ſervi adquirit, donec ſervus evincatur, ex *h.* §. id eſt donec lis conteſtata ſit. Bonæ fidei emptor remanet bonæ fidei poſſeſſor, etiam poſt ſcientiam rei alienæ, uſque ad litem conteſtatam, ad hoc ut faciat fructus ſuos, ut *hic*, & ut impleat uſucapionem ; *l. ſi poſt*, ſupr. *de rei vindic. l.* † *un. verſ. hoc tantummodo*, *C. de uſucap. transform.* item ut non præſtet naturalem interitum rei, ſi juſtam cauſam litigandi habeat ; *l. illud*, *de hered. petit. l. utique*, † *in princ. verſ. non enim*, *de rei vindic.* Bonæ fidei poſſeſſor lite conteſtata incipit eſſe malæ fidei poſſeſſor, ut teneatur de fructibus, item ut interrumpatur præſcriptio ; *l. ſicut in rem*, *l. cum notiſſimi*, *C. de præſcript.* 30. *ann.* Opponitur *l. bonæ fidei*, §. *in contrarium*, infr. *de adqu. rer. dom.* ex qua bonæ fidei emptor, qui cognovit rem alienam eſſe, fructus ſuos non facit, quia non eſt bonæ fidei poſſeſſor. Sed *hic* ſpectatur æquitas, *ibi* rigor juris, vel quamvis fructus ſuos faciat, & non teneatur de fructibus extantibus rei vindicatione, extantes reſtituit officio judicis ; *l. evictis*, ſupra, *h. tit. l. certum*, *C. de rei vindic.* §. *etſi in rem*, *inſt. de offic. judic.*

L. 26.

VEnatio in fructu fundi non eſt, niſi fructus fundi ex venatione conſtet, ex *h. l.* ſubaudi maximè ; *l. fundo* infr. *de inſtruct. vel inſtr. legat.* Et hoc caſu reditus venationis, id eſt captura, pertinet ad fructuarium ; *l. item*, §. *aucupiorum*, *l. uſufructuarium* 62. *de uſufruct.*

L. 27.

SI patrifamilias, id eſt creditori vel legatario, ſemel mora facta ſit, jam in herede ejus non quæritur mora : ſemel commiſſa mora non purgatur morte creditoris vel legatarii, ſed transmittitur in heredem, id eſt mora ſemel commiſſa defuncto prodeſt heredi, ex *h. l.* Mora in ſolvendo legato vel fideicommiſſo prodeſt heredi ad hoc ut uſuræ debeantur, donec pecunia ſolvatur ; *l. Titia Seio*, §. 1. *de legat.* 2. Mora ſemel commiſſa non purgatur, niſi ſolutione. Et ad hoc ut uſuræ, quæ ſemel cœperunt currere a mora facta defuncto, non deſinant currere heredi, non eſt opus nova interpellatione, mora ſemel commiſſa prodeſt vel nocet heredi, & perpetuatur.

L. 28.

BOnæ fidei poſſeſſor & fructuarius, fructus pleno jure ſuos facit, ita ut non teneatur reſtituere fructus ſemel perceptos. Hoc diſtat bonæ fidei poſſeſſor a fructuario, quod bonæ fidei poſſeſſor fructus ſtatim ſuos facit, id eſt ſtatim at-

atque a ſolo ſeparati ſunt : fructuarius ſola perceptione fructus ſuos facit, id eſt cum collecti & in horreo conditi ſint ; *l. qui ſcit*, §. † 11 *verſ. praterea*; ſupr. *h. tit.* Hoc commune eſt bonæ fidei poſſeſſori & fructuario, quod in fructu pecorum eſt fœtus, ſicut lac, pilus, & lana. Fructus ordinarius pecudum eſt lac, lana, pilus: extraordinarius fœtus, ut agnus, hœdus; Varro de re ruſtic. libr. 2. cap. 11. *Si quidem adjeceritis de extraordinario pecudum fructu, ut prædictum eſt de lacte in eo & tonſura lanæ.* Lanam arietum & pilum camelorum, qui tonduntur quotannis, vectigal annuum vocat Ambroſ. *epiſt.* 38. (*al.* 43. *num.* 17.) Itaque agni, hœdi, vituli ſtatim fiunt bonæ ſidei poſſeſſoris, & fructuarii, ut *hic*, & *l. bona fidei*, §. *ult.* infr. *de adqu. rer. domin. l. vetus*, *de uſufruct.* Partus ancillæ non eſt in fructu, abſurdum enim videtur hominem homini eſſe in fructu, cum omnes fructus rerum natura hominum gratia comparaverit, ex *n. l. d. l. vetus*, *l. juſtiſſime*, *de ædil. edict.* §. *in pecudum*, *inſtit. de rer. diviſ.* Itaque partus ancillæ non pertinet ad fructuarium, ſed ad dominum proprietatis, vel ad bonæ fidei poſſeſſorem. Bonæ fidei poſſeſſor partum ancillæ facit ſuum, non ut fructum, ſed quaſi partum ancillæ jure dominii poteſt eum petere non directa rei vindicatione, ſed publiciana, id eſt utili in rem actione; *l. ſi ego*, §. *partus*, *de publiciana*. Eodem jure, heres rogatus reſtituere hereditatem, partus ancillarum editos ante diem fideicommiſſi cedentem ſuos facit, & imputat in falcidiam, id eſt Trebellianicam, & falcidiæ fructus; *l. falcidia* 24. §. 1. *ad l. falcid.*

L. 29. l. 30.

IN ſtrictis judiciis, puta in mutuo, uſuræ non debentur, niſi ex ſtipulatu; *l.* 3. *C. h. tit. l. Titius*, *de præſcript. verb.* uſuræ pecuniæ publicæ debentur civitatibus ex nudo pacto, ut *hic*, favore reipublicæ ſeu civitatis. Neque obſtat, quod civitates privatorum loco habentur; *l. eum qui vectigal*, *de V. S.* quia in quibuſdam civitates gaudent privilegio reipublicæ, puta ut pecuniæ publicæ uſuræ debeantur ex ſolo pacto ſine ſtipulatione: uſuræ etiam frumenti, hordei, & ſimilium ſpecierum debentur ex nudo pacto; *l. frumenti*, *C. h. tit.* ut conſulatur ruſticis egentibus propter incertum fructuum eventum. Item uſuræ mutuæ pecuniæ acceptæ ab argentariis debentur ex nudo pacto, etiamſi in ſtipulationem deductæ non ſint; *nov. Juſtin.* 136. *cap.* 4. favore argentariorum. Item pecuniæ nauticæ uſuræ debentur ex nudo pacto; *l.* 7. *de nautic. fœnor.*

L. 31.

STipulatio uſurarum nullius eſt momenti, niſi certus modus adjiciatur, ex *h. l.* niſi appareat de quibus uſuris actum ſit; *l. tutor*, §. *ult.* infr. *h. tit. l. ubi autem*, §. *pen. de V. O.* ſtipulatio uſurarum ſimpliciter facta, non adjectis certis uſuris, non valet, quod ſpeciale eſt odio uſurarum. Alias nummis indiſtincte legatis, minores debentur; *l. nummis*, *de legat.* 3. favore ultimæ voluntatis.

L. 32.

MOra non committitur ex re, ſed ex perſona, ex interpellatione debitoris, opportuno loco & tempore, ſi debitor interpellatus opportuno loco & tempore non ſolverit, *ut hic* & *l. ſi ſoluturus*, infr. *de ſolut. l. ſi ex legati*, *de V.O.* An interpellatio facta ſit opportuno loco & tempore, hoc pendet ex arbitrio judicis; *l. quod ſi*, ſupr. *de reb. credit.* Ideoque Pomponius ait, difficiliorem eſſe moræ definitionem; cum ſit magis facti, quam juris: facta ſunt incerta. Mora committitur denuntiatione facta ipſi debitori ut ſolveret;

mora non fit ſi ſervo debitoris abſentis non denuntietur a creditore vel procuratore ejus ut ſolvat, priusquam ipſi domino denuntiatum ſit: quod ſi interpellatus debitor, poſtea ſui poteſtatem fecerit moræ purgandæ cauſa, & creditor omiſerit id eſt remiſerit petendi debiti inſtantiam, id eſt non perſeveret in urgenda debiti ſolutione, non ſtatim per debitorem mora facta intelligitur, quia mora ſemel commiſſa, debitori remiſſa intelligitur. Sicut oblatio debitoris non purgat moram, niſi debitor in ea perſeveret; *l.* 3. §. *ult. de act. empt. l. qui Romæ*, §. *Seia, de V. O.* Ita denuntiatio creditoris non conſtituit debitorem in mora, niſi creditor in ea perſeveret, niſi creditor inſtet, id eſt urgeat debiti ſolutionem. Paratus judicium accipere moram facere non videtur, ſi ab adverſario ejus ceſſatum eſt; *l. paratum*, inſr. *h. tit.* Interdum mora fit re ipſa, ſine interpellatione favore libertatis; *l. cum vero*, §. *apparet*, *de fideic. libertat.* In minoribus etiam mora committitur re ſine interpellatione, & uſuræ eis currunt ex die ſine interpellatione; *l. in minorum*, C. *in quib. cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſar. l. curabit*, C. *de act. empt.* Interdum mora committitur ex die ſine interpellatione; *l. ad diem* inſr. † *de V. O. l. trajectitiæ*, † inſr. *de oblig. & act. l. magnam*, C. *de contrahend. & committ. ſtipulat.*

§. *in bona fidei.*

IN bonæ fidei contractibus uſuræ debentur ex mora, ut *hic*, & hoc pro conſuetudine regionis ubi contractum eſt; *l.* 1. ſupr. *h. tit.* ut in actione contraria negotiorum geſtorum, quæ eſt bonæ fidei, ſi ego ut te liberarem exolverim pecuniam creditori tuo, debentur uſuræ, quæ in ea regione uſu frequentantur: quod ſi mutuatus dedi pecuniam, debentur uſuræ quas ipſe præſto; *l. & in contraria*, inſr. *h. tit. l. in bonæ fidei*, C. *h. tit.* Ita etiam in actione tutelæ, quæ eſt bonæ fidei, debentur uſuræ, vel quincunces, vel ſemiſſes, vel beſſes pro more regionis; *l. tutor* † *qui repertorium*, §. 10. *verſ. ex ceteris*, inſr. *de adm. tutor.* Quod ſi pater conveniatur ex contractu filii actione quod juſſu, vel de peculio, vel ex mora ſua, ſi quidem pater dumtaxat conveniatur ex mora ſua, ex mora patris filius non tenetur de uſuris, mora patris non nocet filio ad hoc ut præſtet uſuras; *l. cum filiusſ. de V. O.* Mora patris non nocet filio ad hoc ut præſtet uſuras, mora non fit ex re, ſed ex perſona, ut dictum eſt *init. h. l.* id eſt ex interpellatione perſonæ. In filium tamen dabitur actio, ut quod minus a patre actor conſecutus eſt filius præſtet, nomine ſortis, ſi non uſurarum: quod ſi filius moram fecerit, tenetur in ſolidum quoad ſortem & uſuras ex ſua mora, & pater dumtaxat tenetur actione de peculio, quatenus eſt in peculio: vel ſi pater conveniatur ex contractu filii ex mora ſua, non præſtat uſuras, exemplo fidejuſſoris, fidejuſſor non tenetur de uſuris; *d. l. cum filiusſ.* niſi in omnem cauſam interceſſerit; *l. quæro*, *locat.* In bonæ fidei judiciis uſuræ currunt ex mora, & ſi mora præceſſerit litem conteſtatam, lite conteſtata uſuræ currunt, id eſt non deſinunt currere, vel ſi mora non præceſſerit litem conteſtatam, lite conteſtata incipiunt currere. In bonæ fidei judiciis uſuræ veniunt ex mora officio judicis; *d. l. in bonæ fidei*, *l. Lucius* 24. *depoſit.* id eſt cauſa cognita officio judicis. Sic in actione dotis, quæ eſt bonæ fidei, uſuræ debentur ex mora biennii; *l. ult.* §. *præterea*, C. *de jur. dot.* In bonæ fidei judiciis fructus veniunt omnimodo, id eſt ante moram; *l. videmus*, §. *pen.* inſr. *h. tit.* In legatis & fideicommiſſis, ſicut in bonæ fidei contractibus, uſuræ debentur ex mora; *l.* 3. C. *in quib. cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſ. l.* 1. *& tot. tit.* C. *de uſur. legat.* actiones ex teſtamento, licet ſint ſtrictæ, comparantur actionibus bonæ fidei, favore tuendæ voluntatis defuncti. In judicio familiæ ercifcundæ veniunt uſuræ ſumptuum, quos unus ex heredibus fecit in rebus hereditariis a die moræ; *l. his conſequenter*, §. *ſumptuum*, ſup. *fam. erciſc.*

§. *ſed*

Digitized by Google

§. *ſed ſi duo*.

SI ſint duo rei debendi, unius mora alteri non nocet, ex *h.* §. ad hoc ut currant uſuræ contra alium, quia mora conſtituitur ex perſona, id eſt ex interpellatione perſonæ, non ex re. Neque obſtat, quod in duobus reis promittendi interpellatio unius nocet alteri quoad interrumpendam præſcriptionem; *l. ult. C. de duob. reis*, quia hoc ſpeciale eſt *hic* odio uſurarum.

§. *ult.*

MOra rei fidejuſſori nocet, ex *h.* §. & *l. ſi quis ſolutioni*, §. 1. ſupr. *h. tit. l. mora, de V.O.* Sed ſi fidejuſſor ſolus moram fecerit, non tenetur de mora, quia non obligatur in duriorem cauſam, quam reus promittendi. Sicut ſi fidejuſſor Stichum promiſſum occiderit, non tenetur directa actione ex ſtipulatu, ſed utili, ex *h.* §. & *d. l. mora*.

L. 33.

SI pecuniæ publicæ bene, id eſt idoneis nominibus, collocatæ ſint ſub uſuris, debitores in ſortem inquietari non debent: creditor oneroſus & gravis non eſt audiendus; *l. ſi ſervos, de pignerat. act.* quod ſi locatæ ſint ſine ſtipulatione uſurarum, præſes provinciæ proſpicere debet ſecuritati reipublicæ, ita ut curator reipublicæ non acerbum & contumelioſum exactorem ſe præbeat, ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia, id eſt non omiſſa inſtantia ſeu diligentia, humanum, ut quod debetur ſolvatur, nam inter inſolentiam incurioſam, & diligentiam non ambitioſam, id eſt non ſimulatam, multum intereſt: propterea curare debet, ne pecuniæ publicæ credantur abſque pignoribus & hypothecis, non ſine pignore vel fidejuſſore. Pecuniæ publicæ ſolebant mutuæ dari levioribus uſuris, ut facilius invenirent debitorem, qui eas acciperet; Plin. libr. 10. epiſt. † 55. *Nec inveniuntur qui velint debere reipublicæ, præſertim duodenis aſſibus, quanti a privatis mutuantur.* Et mox: *diſtribuendam inter decuriones pecuniam, ita ut recte reipublicæ caveant, quod quamquam invitis & recuſantibus, minus acerbum erit leviore uſura conſtituta.*

L. 34.

USuræ vicem fructuum obtinent in actione ex teſtamento, in legatis & fideicommiſſis, in actione tutelæ, & ceteris bonæ fidei judiciis, ideo in actione legatorum uſuræ debentur ex mora; *l. 1. C. de uſur. legator.* puta ex quo fruſtrandi & morandi cauſa heres beneficium legis falcidiæ imploravit; *l. divi*, §. *ult. ad leg. falcid.* & ſicut in bonæ fidei judiciis fructus reſtituuntur ex die moræ; *l. videamus*, §. *ex cauſa*, infr. *h. tit.* ita & uſuræ; *l. mora*, §. *in bonæ fidei*, ſupr. *h. tit.* quia uſuræ ſunt vice fructuum. Lex ait vice fructuum, quia pecunia ſua natura ſterilis eſt, non parit uſuram, & uſuræ non tam ex re, quam jure, id eſt ex negotiatione, percipiuntur; *l. prædiorum*, infr. *h. tit. l. ſi navis, de rei vindicat. l. ex annuo*, §. 1. & *l. ſeq. de don. int. vir. & uxor. l. uſura, de V. S.* uſura non eſt in fructu, quia non percipitur ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſa, id eſt nova obligatione; *d. l. uſura*, puta ex ſtipulatione.

Digitized by Google

L. 35.

LIte conteſtata uſuræ currunt, ex *h. l.* In bonæ fidei judiciis uſuræ currunt ex mora, id eſt incipiunt currere ex interpellatione extrajudiciali, ſi mora præceſſerit litem conteſtatam; *l. mora*, §. *in bonæ fidei*, *h. tit.* uſuræ currunt a lite conteſtata, cum mora non præceſſit litis conteſtationem, & uſuræ quæ cœperunt currere ex mora ante litem conteſtatam, non deſinunt currere lite conteſtata, licet lite conteſtata novetur obligatio & actio; *l. aliam cauſam*, *de novat.* mora, quæ ſemel commiſſa eſt, non deſinit lite conteſtata quoad uſuras; *l. ult. verſic. ſi enim novatur*, C. *de uſur. rei judic.* Etiam in ſtrictis judiciis, puta in mutuo, in quo uſuræ debebantur ex ſtipulatu ante litem conteſtatam, lite conteſtata non deſinunt currere, quia ſtipulatio uſurarum non perimitur judicio cœpto, id eſt lite conteſtata, & uſuræ ejus temporis, quod præceſſit litem conteſtatam, peti poſſunt actione ex ſtipulatu; *l.* 1. C. *de judic.* quia lite conteſtata novatur quidem obligatio, ſed non extinguitur prior obligatio, verum cumulatur actio judicati; *d. l. aliam cauſam*.

L. 36.

FRuctuum vice ſunt etiam penſiones urbanorum prædiorum, ut *hic* operæ ſervorum, vecturæ navium & jumentorum; *l. mercedes*, *de heredit. petit.* *l. cum ſervus*, §. 1. *de legat.* 1.

L. 37.

IN bonæ fidei judiciis, ne dum in directa actione negotiorum geſtorum, veniunt uſuræ ex mora; *l.* † *atqui natura*, §. *non tantum*, *l. qui ſine uſuris*, *de negot. geſt.* ſed etiam in contraria actione negotiorum geſtorum, quæ datur negotiorum geſtori contra dominum, debentur uſuræ, quæ in regione frequentantur, vel quas præſtitit pro eo, cujus negotia curavit, ex *h. l.* & *l. ob negotium*, C. *de negot. geſt.* de quo plura dixi in *l. mora*, §. *in bona fidei judiciis*, ſupr. *h. tit.*

L. 38. † *junct.* §. 1.

IN actione in perſonam, puta in condictione ob cauſam dati, (omnes condictiones ſunt actiones perſonales) veniunt fructus ex tempore moræ: puta ſi fundus ob rem, id eſt ob cauſam, datus ſit, veluti dotis cauſa, & renuntiata eſt affinitas, id eſt renuntiatum eſt ſponſalibus, nuntio repudii miſſo, fructus percepti eo tempore, quo ſperabatur affinitas, quamdiu ſperabatur deſtinatum matrimonium, reſtituendi ſunt, ſed & poſteriores, id eſt qui percepti ſunt ſolutis ſponſalibus, omnino reſtituendi ſunt: ſed etſi per mulierem ſtetit quominus nuptiæ contraherentur, magis eſt ut debeat fructus recipere. Ratio eſt, quia ſi ſolutis ſponſalibus ſponſus non teneretur de fructibus perceptis, impune liceret ei negligere fundum, ut *hic* & *l. ſi mora*, *inſt. ſolut. matrim.* quod non eſſet ferendum: & mulier ob ſoluta ſponſalia tenetur in duplum arrharum ſponſalium acceptarum; *l. mulier*, C. *de ſponſalib.* & non debet duplici pœna affici.

§. *item ſi indebitum*, † §. *idemque eſt*.

ETiam in condictione indebiti veniunt fructus a tempore moræ; *l. indebiti*, *l. in ſumma*, §. *ei qui*, ſupr. *de condict. indebit.* quod probatur duobus exemplis in † *h.* §§. Primum, ſi tibi ſolvi fundum indebitum, in condictione indebiti veniunt quoque fructus percepti. Secundum eſt, ſi fundus mortis cauſa dona-

donatus, & convaluerit donator, reconvaleſcentia revocatur donatio, & in condictione indebiti veniunt fructus percepti.

§. *in Faviana*, † §. *& ideo*, §. *item ſi vi*.

IN actione Faviana, & Pauliana, per quas revocantur alienata in fraudem creditorum, fructus quoque reſtituuntur, nam in hac actione prætor id agit, ut omnia perinde ſint, ac ſi nihil alienatum eſſet. Verbum reſtituas, quo in hac re prætor uſus eſt, plenam habet ſignificationem, ut fructus quoque reſtituantur, ut *hic & l. reſtituere* 35. *l. ult. de V. S. l. in condemnatione*, §. 1. *de R. J. l. præterea*, *l. & ex diverſo*, ſupr. *de rei vindicat.* In actione Pauliana veniunt fructus percepti, quia res reſtitui debet cum omni ſua cauſa; qua continetur omnis utilitas; *l.* † 1. §. *non ſolum*, infr. *de vi & vi armat.* Uſuræ non debentur, niſi in ſtipulatum deductæ ſint, aut niſi contractus ſit talis, ex quo citra ſtipulationem uſuræ debeantur ex mora; *l. ait prætor*, §. *per hanc*, *&* §. *præterea* 22. *quæ in fraud. cred.* Alia eſt ratio fructuum, ac uſurarum, quia cum fructus ſint acceſſiones naturales, & ex re proveniant, non videtur reſtitui res, niſi fructus percepti reſtituantur. Uſuræ non proveniunt ex re ipſa, ſed ex negotiatione. In hac actione veniunt fructus, qui alienationis tempore erant pendentes, qui ſunt pars fundi, item fructus percepti poſt litem conteſtatam: fructus medii temporis in reſtitutionem non veniunt; *l. ult.* §. *non ſolum*, *eod. tit.* Ut in interdicto *unde vi*, in quo prætor rem reſtitui jubet, etiam fructus reſtituuntur, ut *hic*, *& l.* 1. §. *ex die*, infr. *de vi & vi armat.* In actione *quod metus cauſa* veniunt etiam fructus, ne dum a tempore moræ, ſed etiam ante moram, id eſt ante interpellationem. Et hoc eſt quod inſinuatur his verbis, *nec mora* † *mea mihi aliquid auſert.* Ratio eſt, quia non aliter reſtitui mihi res videtur, niſi reſtituatur cum fructibus, ex *h.* §. † *item ſi vi*. In actione *quod metus cauſa*, fructus reſtituuntur, non ſolum percepti, ſed etiam qui percipi potuerunt; *l. ſed & partus*, *quod met. cauſ.* quia res reſtitui debet cum omni cauſa: veniunt fructus percepti ante moram ſeu interpellationem, quia metum inferens ſemper eſt in mora; *l.* 1. *C.* † *de his quæ vi met. cauſ. l. ſubtracto*, *C. de furt.*

§. *ſi actionem*.

IN ſtrictis judiciis, puta in actione ex ſtipulatu, & condictione certi, fructus non veniunt ex mora, id eſt ex ſola interpellatione judiciali, ſed a lite conteſtata. Et in hoc Sabiniani diſſentiebant a Proculianis, exiſtimantes in ſtrictis judiciis fructus non venire, niſi a tempore litis conteſtatæ, quorum ſententia obtinuit ex naturali æquitate, ex *h.* §. *l. cum fundus*, ſupr. *de reb. credit. l.* 8. *de re judic. l.* 2. *C. de heredit. petit.*

§. *ex cauſa*, † §. *ſed in ſocietatibus*.

IN actionibus bonæ fidei, puta in actione empti, fructus omnimodo reſtituuntur, etiam ſi mora nulla interceſſerit, ex *h.* §. †. *ex cauſa*, *&* §. *in ceteris*, infr. *h. l.* † *l.* 4. §. 1. *l. mora*, §. *in bonæ fidei*, ſupr. *h. tit. l. venditor ex hereditate*, §. *quemadmodum*, *de hered. vel act. vendit.* In actione pro ſocio fructus etiam communicandi ſunt, id eſt dividendi inter ſocios, ex *h.* §. † *ſed in ſocietatibus*. In bonæ fidei judiciis uſuræ non veniunt ante moram, fructus veniunt omnimodo, id eſt ante moram.

Digitized by Google

§. *ſi poſſeſſionem*, §. † *in interdicto.*

IN actione depoſiti & commodati, quæ ſunt bonæ fidei, fructus præſtantur ex mora, ut *hic & l. mora*, §. *in bonæ fidei*, ſupr. *h. tit.* In interdicto *quod vi aut clam*, omnis cauſa, id eſt acceſſiones naturales & fructus reſtituuntur, ideo interdictum *quod vi aut clam* datur etiam fructuario; *l. competit*, infr. *quod vi aut clam.*

§. *ante*, † §. *eadem ratio*, §. *item.*

IN actione de dote, fructus percepti ante nuptias una cum dote reſtituuntur, ex *h.* §. † *ante*, quia fructus dotis percepti ante nuptias convertuntur in dotem, dotem augent; *l. dotis fructus*, §. 1. infr. *de jur. dot. l. 6. ſolut. matrim.* Eadem ratio eſt in fructibus prædiorum urbanorum, † ex *h.* §. *eadem ratio*, id eſt in penſionibus ædium, ſi in dotem datæ ſint ante nuptias. In judicio communi dividundo fructus dividuntur inter conſortes, deductis impenſis, ex *h.* §. † *item*, quia fructus non intelliguntur, niſi deductis impenſis; *l. quod in † fructus*, infr. *h. tit. l. ſi a domino*, §. *ult. de hered. petit. l. ſorori*, §. *ſumptus*, *ſi pars hered. pet. l. fructus*, *in pr. ſolut. matrim.* Nullus eſt caſus, qui hoc genus deductionis impediat; *l. fundus qui*, ſupr. *famil. erciſc.*

§. *ult.*

SI dos prælegata ſit uxori, fructus dotis ante nuptias percepti veniunt in cauſa legati. Ratio eſt quæ deſumitur *ex* † §. *prox.* ſupr. quia fructus dotis percepti ante nuptias, dotis fiunt, dotem augent, & ſicut ſunt in dote, ita & ſunt in dote prælegata.

L. 39.

EQuis & equabus, quia maſculinum concipit femininum, per fideicommiſſum legatis, ſicut fructus ita & fœtus ab herede præſtantur ex mora. Equitio autem legato, etiam ſi mora non intercesſerit, incremento magis fœtus accedunt, veniunt in actione ex teſtamento legati vel fideicommiſſi nomine, quia fœtus augent equitium, augent legatum univerſale, ſicut fructus augent hereditatem, ut *hic*, *& l.* 8. ſupr. *h. tit.*

L. 40.

FRuctus pignoris imputantur in uſuras, & quod excedit uſuras in ſortem; *l. 1. C. de pigner. act.* usque ad diem diſtractionis pignorum: ex quo enim, ceſſante debitore in ſolvendo, creditor pignora diſtraxit, ſoluta ſorte ceſſat reputatio id eſt compenſatio uſurarum cum fructibus; *l. emptor*, *de rei vindic.*

L. 41.

SI tutor condemnatus appellaverit, executionis ſententiæ per appellationem morandæ cauſa, ſi judex appellationis fruſtratoriam morandi cauſa appellationem interpoſitam eſſe judicaverit, appellantem condemnare debet in uſuras medii temporis, a tempore ſententiæ usque ad diem confirmatæ, ex *init. h. l. l. ult.* infr. *de re judic. l. negotiorum*, † *ff. de appellat.* Neque obſtat, quod condemnatis uſuræ non currunt intra quadrimeſtre tempus, quod datur condemnatis judicati faciendi cauſa; *l. ult. C. de uſur. rei judic.* quia ſi fruſtratorie

quis

Digitized by Google

quis appellaverit, currunt uſuræ medii temporis, ne fruſtratoria appellatio proſit appellanti. Ita ex reſcripto Severi & Antonini, qui fruſtrationis cauſa beneficium legis falcidiæ implorat, uſuras legatorum & fideicommiſſorum præſtare tenetur; *l.* † *divi Severus*, §. 1. *ad leg. falcid.*

§. *Lucius.*

OBlatio & obſignatio totius ſortis cum uſuris ſiſtit curſum uſurarum, & liberat debitorem; *l. acceptam*, *C. h. tit. l. obſignatione*, *C. de ſolut. l. Julianus*, §. † *offerri*, *de act. empt.* Oblatio & obſignatio partis debiti non ſiſtit curſum uſurarum totius debiti, niſi convenerit, ut liceret per partes ſolvere, ex *h.* §. *l. quidam*, *de reb. credit. l. qui pignori*, *de pignorib.* Speciale eſt favore libertatis, quod ſi Stichus manumiſſus ſit ſub conditione ſi decem dederit, heres cogendus per partes accipere; *l. cum heres*, §. *item ſi decem*, *de ſtatulib.*

§. *ult.*

USuræ non debentur ex mutuo citra vinculum ſtipulationis; *l. quamvis* 3. *C. h. tit. l. Titius*, *de præſcript. verb.* & niſi modus uſurarum expreſſus ſit, id eſt certus: puta ſi quis chirographo caverit, ſe decem mutua accepiſſe ſolvenda cum ſuis uſuris, uſuræ non debentur, niſi appareat de quibus uſuris convenerit, ex *h.* §. Stipulatio uſurarum non valet, niſi certæ uſuræ promiſſæ ſint, *l.* 31. ſup. *h. tit.* ubi dixi, *l. ubi autem*, §. *pen.* infr. *de V. O.*

L. 42.

FUndo per fideicommiſſum relicto, fructus percepti poſt adquiſitum ex cauſa fideicommiſſi dominium, id eſt poſt diem fideicommiſſi cedentem, pertinent ad fideicommiſſarium, licet pars major anni præterierit ante diem fideicommiſſi cedentem, ex *h. l.* quia fructus pendentes ſunt pars fundi; *l. fructus* 44. *de rei vindic.* ſecus in fundo dotali, fructus dotis ultimi anni quo ſtetit matrimonium, divortio ſoluto matrimonio dividuntur inter virum & uxorem pro rata anni; *l. divortio*, *al. l.* 7. *ſol. matrimon. l. un.* §. † *cumque ex ſtipulatu*, *verſ. ſed & noviſſimi*, *C. de rei uxor. act.* Ant. Faber, 7: *conject.* 7. Donell. *de jur. civil. lib.* 10. *cap.* 9.

L. 43.

FIſcus ſemper uſuras exigit ex ſuis contractibus, etiam ſi uſuræ in ſtipulatum deductæ non ſint: hoc eſt ſpeciale in fiſco; *l. cum quidam*, §. *fiſcus*, ſupr. *h. tit.* ceſſionarius fiſci, qui mandatis ſeu ceſſis a fiſco actionibus experitur, poteſt petere uſuras temporis quod ceſſit poſtquam fiſcus ſucceſſit creditori, etiamſi in ſtipulatum deductæ non ſint, ex *h. l.* Hoc verum eſt in præteritum, quoad uſuras, quæ ceſſerunt a tempore quo fiſcus ſucceſſit creditori, usque ad tempus quo fiſcus ceſſit ſuis actionibus, non in futurum, quia uſuras accipit jure fiſci, non jure ſuo, ex ceſſione.

L. 44.

MAjores uſuræ non poſſunt promitti, ob non ſolutam ſortem ad diem, ſupra modum legitimum uſurarum; *l. pecuniæ*, *l. placuit*, ſupr. *h. tit. l. cum alleges*, *C. eod.* Sic nemo poteſt ſtipulari pœnam pro uſuris, ſi non ſolvantur ad diem, ultra modum licitum uſurarum, ex *h. l.* quia pœna eſt vice

uſurarum; & non poteſt excedere modum licitum uſurarum: ut ſi convenerit, ut pretio emptionis non ſoluto ad diem, duplum præſtaretur, conventio non valet; quia excedit modum legitimum uſurarum; *l. Julianus*, §. *ibidem*, *de act. empt.*

L. 45.

FRuctus ex re donata percipiendo vir vel uxor ſuos facit, non omnes, ſed induſtriales tantum, id eſt manu ſatos, fructus naturales non item, veluti poma, vel ligna ſilvæ cæduæ. Sicut & bonæ fidei poſſeſſor quilibet fructus induſtriales ſuos facit, non naturales, ex *h. l.* fructus ex re donata perceptos vir & uxor ſuos facit, quia in fructibus & uſuris licita eſt donatio inter virum & uxorem; *l. de fructibus*, *de don. int. vir. & uxor.* Ex donatione fructuum vir & uxor non videtur fieri locupletior, quia fructus conſumuntur in ſumptus communes. Ratio dubitandi erat, quia quod uxor viro aut vir uxori donavit pro poſſeſſore poſſidetur; *l. nec ullam*, §. 1. *de heredit. petit. l. quod uxor*, *de adq. poſſeſſ.* Ergo quia pro poſſeſſore poſſidetur, fructus ſuos non facit. Bonæ fidei emptor fructus naturales vel induſtriales percipiendo ſuos interim facit, id eſt donec res evincatur, quia re evicta eos reſtituit, & non lucratur, niſi conſumptos. Bonæ fidei poſſeſſor fructus induſtriales ſuos facit, ita ut non teneatur de fructibus conſumptis, & de extantibus teneatur non rei vindicatione, ſed officio judicis; *l.* 4. §. *poſt litem*, ſupr. *fin. regund.* §. *etſi in rem*, *inſt. de offic. judic.* Fructus naturales quilibet bonæ fidei poſſeſſor ſuos non facit, extantes ab eo vindicantur, conſumpti condicuntur condictione ſine cauſa; *d. l.* 4. §. *poſt litem*, *l. certum*, *C. de rei vindicat.* Mulier in adquirendis ſibi fructibus manu ſatis ex prædiis donatis, bonæ fidei poſſeſſori comparatur, ex cauſa donationis non omnino inutilis, quia morte & ſilentio donatoris confirmatur; *l. cum hic ſtatus*, *de don. int. vir. & uxor.* & ſi res donatæ non reſtituantur, mulier liberatur præſtando juſtum pretium, quia cauſam poſſidendi donatio præbuit; *l. ſi* † *donatæ*, *eod. tit.* & ſi mulier per vim dejecta ſit de poſſeſſione rei donatæ, datur ei interdictum *unde vi*, quia ad hoc interdictum ſufficit naturalis poſſeſſio; *l.* 1. §. *dejicitur*, *de vi*, *& vi armat.*

L. 46.

QUod in fructus redigendos impenſum eſt, fructus minuit, ex *h. l.* id eſt in petitione hereditatis, vel in rei vindicatione, fructus reſtituuntur, prius deductis ſumptibus. Fructus non intelliguntur, niſi deductis ſumptibus factis fructuum quærendorum cauſa; *l. videamus* 38. §. † *antepen.* ſup. *h. tit.* Nullus caſus eſt, qui hoc genus deductionis impediat; *l. fundus qui*, *famil. erciſc.* etiam malæ fidei poſſeſſor fructus non reſtituit, niſi deductis ſumptibus; *l. ſi a domino*, † §. *fructus*, ſupr. *de hered. petit.*

L. 47.

DIxi ad *l.* 24. *& l.* 32. ſupr. *h. tit.*

L. pen.

USuræ & fructus legati & fideicommiſſi debentur ex mora; *l. in fideicommiſſi*, ſup. *h. tit. tot. tit. C. de uſur. & fruct. legat.* id eſt ex extrajudiciali interpellatione, vel etiam ex mora tacita, quia actio ex teſtamento ſimilis eſt actioni bonæ fidei: puta ſi heres, a quo legatum vel fideicommiſſum relictum eſt, dolo fecerit, ut ſi uxori uſusfructus tertiæ partis bonorum legatus ſit, & cum liberos habuerit tertiæ partis proprietas, ſi heres teſtamentum falſi accu-

Digitized by Google

accuſaverit, petitionis legati morandæ cauſa, & conditio legati tertiæ partis proprietatis interim extiterit, unico filio ſuſcepto, & poſtea apparuerit falſum non eſſe teſtamentum, fructus legati præſtantur, fructus ſcilicet uſusfructus legati a die mortis, & legati conditionalis proprietatis a die exiſtentis conditionis, ex *h. l.* impeditus pro interpellato habetur; *l.* 1. §. *ſi quis*, infr. *quod vi aut clam.*

L. ult.

FRuctus rei eſt vel pignori dare licere, ex *h. l. & l.* 72. *de R. J.* in actione in rem, in fructuum reſtitutione veniunt non ſolum fructus naturales vel civiles, puta uſuræ vel penſiones ædium, quæ locari ſolent, ſed & reditus omnes, quos poſſeſſor ex ea re percepit, puta rem pignori dando, quia qui rem pignori dedit, fructus percepiſſe videtur, vice uſurarum quas ſolviſſet, ſi mutuam pecuniam accepiſſet ſine pignore. Vel in fructu eſt, quod pignore dato facilius pecuniam mutuam inveniſſet. Fœneratores vix pecuniam credebant ſine pignoribus, & fructus pignoris ſunt vice uſuræ, & imputantur in uſuras & ſortem; *l.* 1. *C. de pigner. act.* Uſuræ non debentur ultra legitimum modum uſurarum, etiam ſi pecunia credita ſit ſub pignoribus; *l.* 4. inf. *de nautic. fœn. l. pretii*, *C. mandat.*

AD TIT.

De uſuris C.

L. 1.

USURÆ non debentur ex mutuo, niſi in ſtipulationem deductæ ſint; *l. quamvis* 3. inf. *h. tit. l. Titius*, *de præſcript. verb.* Mutuum ſui natura eſt gratuitum, uſuræ mutuæ pecuniæ debentur ex promiſſione interpoſita interrogatione præcedente, id eſt ex ſtipulatione, quæ contrahitur per interrogationem & reſponſionem, *ſpondes? ſpondeo*, etiam ſi inſtrumento conſcripta non ſit, ex *h. l.* quia ſtipulatio eſt verborum obligatio, quæ verbis contrahitur per interrogationem & reſponſionem; *l.* 5. §. *ſtipulatio*, *de V. O.* Hinc interrogatio ſæpe in jure ponitur pro ipſa ſtipulatione, quia incipit ab interrogatione; Senec. 3. de benef. 15. *Ille non eſt interrogatione contentus, niſi* † *rem manu ſua tenuit.* In ſtipulatione non requiritur ſcriptura, ſed ſolemnitas verborum, id eſt interrogatio & reſponſio, modo probetur teſtibus, ut magis actus valeat, quam pereat; *l. quotiens* 12. *de reb. dub.* in ſtipulatione, ſi inter præſentes actum ſit, ſolemnia peracta præſumuntur; *l. Titia*, §. *idem reſpondit* 2. *de V. O.*

L. † 2.

USuræ pretii rei emptæ & venditæ debentur a die moræ, id eſt a die traditionis, quia ſunt vice fructuum quos percepit emptor, ex *h. l. l. Julianus*, § † *veniunt autem*, *ff. de act. empt. l. curabit*, *C. eod.* Sola vero obſignatio pecuniæ in cauſam depoſiti, id eſt ut pro depoſita ſit, non ſiſtit curſum uſurarum, niſi præcedat oblatio, & in mora conſtituatur venditor, ex *h. l.* oblatio, conſignatio, & depoſitio pecuniæ ſiſtit curſum uſurarum, & liberat debitorem, quia eſt vice ſolutionis; *l. acceptam*, *C. h. tit. l. obſignatione*, *C. de ſolut.* Ante traditionem uſuræ non debentur; *l.* † *liberalitatis*, §. 1. *ff. h. tit.* quia emptor non eſt in mora.

Digitized by Google

L. 3.

IN bonæ fidei judiciis, puta in emptione, venditione, uſuræ veniunt ex mora, ex die venditionis, ſi pretium non ſolvat. In bonæ fidei judiciis uſuræ debentur ex mora officio judicis; *l. quæro, ff. locat.* in contractibus ſtricti juris, puta in mutuo, uſuræ non debentur ex ſolo pacto, citra vinculum ſtipulationis, licet pactum de uſuris præſtandis in continenti apponatur; *l. lecta, de reb. credit. l. Titius, de præſcript. verb.* Ratio eſt, quia mutuum eſt contractus ſtricti juris, pacta adjecta in continenti contractibus ſtricti juris non pariunt actionem; *d. l.* † *lecta, de reb. credit.* In bonæ fidei contractibus uſuræ debentur non modo ex mora, ſed etiam ex pacto ab initio; *l. cum quidam*, §. † *ex locato, l. mora, §. in bonæ fidei, ff. h. tit. l. Lucius, ff. depoſit. l.* † *initio, C. de pact. int. empt. & venditor.* In contractibus ſtricti juris uſuræ non debentur citra ſtipulationem, ſed ex pacto ſolutæ neque ut indebitæ repetuntur, neque in ſortem accepto feruntur, ex *h. l.* qui ſortis debitæ uſuras indebitas ſolvit, non repetit, ſed ſi ſupra modum legitimum uſuras ſolvit, ex reſcripto D. Severi eas non repetit, ſed imputat in ſortem; *l. ſi non ſortem, de condict. indebit.* Uſuræ ſupra centeſimam ſolutæ, qui eſt modus legitimus uſurarum, ſortem minuunt, id eſt imputantur in ſortem, & conſumpta, id eſt exæquata ſorte, repeti poſſunt; *d. l. lecta, l. denique, ff. de jur. fiſc. l. ſi pro mutua, C. ſi cert. petat.* Hodie uſuræ indebitæ ſolutæ, excluſa veteris juris varietate, repetuntur; *l. indebitas*, inſ. *h. tit. cap.* † *ad noſtram* 20. *de jurejur.* Auguſtin. epiſt. 54. (*al.* 153. *num.* 25.) *Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſæ leges & judices reddi jubent*. Cujac. 8. *obſerv.* 39.

L. 4.

USuræ ex ſolo pacto ſine ſtipulatione peti non poſſunt; *l. prox. ſupr.* Tamen uſuræ ex pacto, per retentionem pignoris ſervari poſſunt, ſi pignus etiam in uſuras obligatum ſit, id eſt tam in ſortem, quam in uſuras: ſed ſi tempore contractus accepto pignore de minoribus uſuris convenit, pro majoribus uſuris non datur pignoris retentio, quia tempore contractus pignus in eas obligatum non eſt: ſed nec pro minoribus, quia minorum conventio novatione ſublata eſt poſteriori conventione de majoribus, ex *h. l. & l. pignoribus*, infr. *h. tit.* Etiam fiſcus, qui privato debitori ſucceſſit, ſi mutuum datum ſit ſub pignore, uſuras præſtare debet, ſi eas dependi ſaltem pacto placuit; *l.* 2. *C. de fiſcalib. uſur. lib.* 10.

L. 5.

SI creditor majores uſuras ab initio ſtipulatus ſit, & poſtea per certos annos minores acceperit, ſi poſtea majores uſuras petat ex ſtipulatione, repellitur exceptione taciti pacti; etiam ſi uſuræ debeantur defenſori civitatis, ex *h. l. & l. quamvis* 8. infr. *h. tit.* uſuræ majores promiſſæ tacite remittuntur receptione minorum uſurarum per certos annos, ex *h. l. & d. l. quamvis, l. qui ſemiſſes, l. cum quidam, §. divus Pius, ff. h. tit.* Si minores uſuræ ab initio ex ſtipulatione promiſſæ ſint, & deinde majores per errorem præſtitæ ſint, quod plus uſurarum nomine ſolutum eſt imputatur in ſortem; *l. creditor*, † *§. ult. ff. de ſolut.* favore liberationis; *l. Arianus, de oblig. & act.*

L. 6.

L. 6.

OBlatio ſortis cum uſuris facta creditori coram teſtibus, & eo non accipiente obſignatio & depoſitio, ſiſtit curſum uſurarum a die oblationis. Oblationem pecuniæ ſequitur obſignatio: nummi, maxime deponendi, ſolebant reponi in ſacculo, ſigillo obſignato; Senec. epiſt. 68. *Furem ſignata ſollicitant.* Auguſt. de verb. Apoſtol. ſerm. † 19. al. 178. num. 8. *Et ne forte quæreret alienum, quæſivit ſigna, interrogavit ſacculi qualitatem, ſigillum, ſolidorum etiam numerum.* Joann. Chryſoſt. in Matth. hom. † 5. in princ. *δηνάρια μὲν γάρ τις ὀλίγα, λαβὼν, καὶ εἰς βαλάντιον ἀποτίθεται, καὶ σφραγῖδα ἐπιτίθησιν. Paucos enim nummos aliquis accipiens reponit in ſacculo, & obſignat ſigillo.* Abſente creditore, præſes ſuper hoc interpellandus eſt, ex *h. l.* oblatio pecuniæ debitæ facta creditori, & eo non accipiente, obſignatio & depoſitio ſiſtit curſum uſurarum, & liberat debitorem; *l. acceptam*, infr. *h. tit. l. obſignatione*, infr. *de ſolut. l. nec creditores*, ſupr. *de pignerat. act. l. ait prætor*, §. 2. *de minor. l. tutor pro pupillo*, §. 1. *de admin. tutor.* quia habet vim ſolutionis. Abſente creditore, ſola oblatio, obſignatio, & depoſitio pecuniæ non ſiſtit curſum uſurarum, nec liberat debitorem, niſi facta ſit auctoritate judicis, ex *h. l.* Abſente creditore, ſi non ſit cui offeratur pretium, puta mortuo creditore, incerto ſucceſſore, ſola oblatio non liberat debitorem; *l. evictis*, §. *ult. ff. h. tit.* Si poſt depoſitionem debitor receperit pecuniam, & non perſeveraverit in depoſito, ex eo die præſtat uſuras; *d. l. acceptam, l. debitor, ff. h. tit.*

L. 7.

USuræ non debentur ex mutuo, niſi inſtrumento debiti probentur in ſtipulatum deductæ. Et obligatio uſurarum non conſtituitur ex eo, quod aliquando, id eſt certis annis, ultro præſtitæ ſint, ex *h. l.* ſola præſtatio uſurarum certis annis non conſtituit obligationem in futurum; *l. ſi certis annis, C. de pact.* Ex diutina præſtatione uſurarum, puta longi temporis, inducitur obligatio uſurarum; *l. cum de in rem verſo, ff. h. tit.*

L. 8.

SI minores uſuræ ab initio promiſſæ ſint, & ſi minores non præſtarentur ad diem, convenerit ut majores præſtarentur, & poſt tempus cautionis, id eſt poſt moram debitoris in ſolvendis minoribus uſuris, creditor eaſdem uſuras acceperit, id eſt creditor, qui potuit petere majores uſuras, minores receperit, nec majores exegerit, hoc caſu non debentur majores uſuræ, ſed præſtandæ ſunt minores, in quarum exactione creditor perſeveravit. Præſtatione minorum uſurarum majores tacite remiſſæ cenſentur; *l. pecuniæ, l. qui ſemiſſes, ff. h. tit.*

L. 9.

SI convenerit, ut minores uſuræ præſtarentur, & ſi non præſtarentur ad diem, ut ob moram majores uſuræ ſolverentur, ſi per debitorem non ſteterit quominus minores uſuras ſolverit, idque apud judicem probatum fuerit, uſuræ majores non debentur, & ſi debitor ſortem depoſuerit, inde uſuræ non currunt, ex *h. l.* ſola oblatio & obſignatio non ſiſtit curſum uſurarum, ſed requiritur depoſitio ſolemnis facta auctoritate judicis; *l. ſi creditrici, l.* † *acceptam*, infr. *h. tit. l. obſignatione*, infr. *de ſolut.* Ob minores uſuras non ſolutas, majores non infliguntur a die contractus, ſed a die ceſſationis ſeu mo-

Digitized by Google

ræ ; *l. cum quidam*, *in pr. ff. h. tit.* tamen ob ſortem non ſolutam ad diem graviores uſuræ infliguntur ex ipſo die contractus ; *l. lecta*, *in pr. ff. de reb. credit.* Item pœna non committitur, ſi per reum non ſtetit quominus promiſſum ſolveret ; *l. Celſus*, *ff. de recept. qui arbitr.*

L. 10.

USuræ per tempora ſolutæ non proficiunt reo ad dupli computationem, id eſt ut computentur in duplum, ad hoc ne debeantur ultra duplum ; jure enim ultra ſortem uſuræ non exiguntur, quoties tempore ſolutionis ſortis ſumma uſurarum excedit eam computationem, id eſt excedit ſortem, uſuræ ultra duplum non debentur, ubi æquaverint ſortem, ut ſi ſors ſit centum, & debitor ducenta ſolverit, liberatur tam a ſorte quam ab uſuris, ut *hic*, & *l. ſi non ſortem*, §. 1. *ff. de condict. indebit.* Uſuræ ultra duplum non debentur, ut ſi æquaverint ſortem, ipſo jure deſinant currere, etſi de facto continuetur ſolutio uſurarum, quidquid deinceps ſolvitur imputatur in ſortem, & cum iterum ſummam ſortis, & ſic duplum æquaverit, ipſo jure liberatur debitor, tam a ſorte quam ab uſuris : pro operis ſervi trajectitiæ ſeu nauticæ pecuniæ gratia ſecuti, quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt, ad finem uſuræ centeſimæ non ultra duplum debetur ; *l.* 4. §. *pro operis*, *ff. de nautic. fœnor.* Pœna, quæ in ſtipulatum deducta eſt, ſi ad diem pretium non ſolvatur, non debetur ultra legitimum modum uſurarum ; *l. cum allegas*, infr. *h. tit. l. pecuniæ*, *ff. eod. l. Julianus*, §. *ibidem Papinianus*, *ff. de act. empt.* Uſuræ ultra duplum ſervari non poſſunt per retentionem pignoris ; *l. pen. al.* 27. §. 1. infr. *h. tit.*

L. 11.

SI ea lege pignus creditori datum ſit, ut fructus percipiantur vice uſurarum, quo genere conſtituitur antichreſis, pactum valet ; *l. ſi ea lege*, infr. *h. tit.* hoc caſu ſola oblatio ſortis jure facta, id eſt opportuno loco & tempore, ſolvit antichreſim, & poſt oblationem fructus percepti non imputantur in uſuras, ſed in ſortem, ex *h. l.* Hoc ſpeciale eſt in mutuo dato ſub pignoribus, ut ſola oblatio habeat vim ſolutionis & liberet debitorem, in odium fœneratorum, qui vix pecunias credebant, niſi ſub pignoribus.

L. 12.

REgulariter uſuræ mutuæ pecuniæ non debentur, niſi ex ſtipulatu ; *l. quamvis* 3. ſupr. *h. tit. l. Titius*, *de præſcript. verb.* uſuræ frumenti, hordei, vini, olei, & ſimilium ſpecierum debentur ex nudo pacto, ex *h. l.* & *l. oleo*, infr. *h. tit.* Uſuræ proprie non dicuntur de frumento, oleo, & aliis ſpeciebus, ſed acceſſiones tantum, ut probatur *hic*, quia uſuræ proprie debentur tantum ex quantitate, id eſt pecunia, non ex corporibus ſeu ſpeciebus, licet fœnus revera nihil aliud eſt, quam creſcentis in dies ſingulos pecuniæ acceſſio ; *l.* 18. *C. Th. de luſtral. conlat.* id eſt acceſſio ſortis, quæ creſcit ex uſura. Tamen uſuræ frumenti, olei, vini ex nudo pacto præſtari ſolent, ut conſulatur ruſticis & pauperibus, quo facilius inveniant creditorem, qui eis credat frumentum alimoniæ cauſa ; Hieronym. in Ezechiel. lib. 6. cap. 18. *Putant quidam uſuram tantum eſſe in pecunia*, *ſolent in agris frumenti* & *milii*, *vini* & *olei*, *ceterarumque ſpecierum uſuræ exigi*. Idem in Amos cap. 8. *qui expectatis kalendas ut negotiemini*, & *uſuras augeatis de uſuris*, & *ſabbata*, *ut aperiatis horrea*, *detisque frumentum*, *amplius recepturi*. Uſuræ

Digitized by Google

ræ etiam frumenti & aliarum ſpecierum debentur ex nudo pacto, propter varium & incertum pretium frugum; *l. 3. ff. de eo quod cert. loc. l. pretia, ad leg. falcid.* qua actione petatur id genus uſuræ ex pacto, nimirum condictione ex *h. conſtitutione*, ut recte animadvertit *gloſſ.* Cujac. 3. *obſ.* 35.

L. 13.

IN bonæ fidei judiciis, ut negotiorum geſtorum, uſuræ debentur ex mora officio judicis, ut *hic & l. mora, §. in bonæ fidei, ff. h. tit. l. quia tantundem, de negot. geſt. l. quaero, locat. l. adverſus, C. eod. l. uſuræ, C. depoſit.* Sed ſi judex ſententia ſua minoris condemnaverit reum non adjectis uſuris, nec a ſententia provocatum ſit, ſententia tenet propter auctoritatem rei judicatæ, quæ non poteſt retractari, niſi per appellationem; nec ejus temporis, quod poſt appellationem effluxerit, id eſt quadrimeſtris temporis, quod datur condemnatis judicati faciendi cauſa, uſuræ ullo jure præſtantur: id tempus immune eſt ab uſuris; *l. 2. C. de uſuris rei judicat.* per quatuor menſes, ex cauſa judicati, id eſt actione judicati, uſuræ centeſimæ rei judicatæ debentur; *d. l. 2.*

L. 14.

SI creditor pecuniam mutuam dederit eo pacto, ut domum inhabitaret, vice uſurarum, & pacto ut convenit uſus ſit, & domum inhabitaverit, non etiam locando, penſionem redegerit ultra modum uſurarum, non refertur quæſtio per exceptionem, quaſi domus plus penſionis redigeret, ſi locaretur, quam legitimarum uſurarum ratio ferret: licet enim uberiore forte poterit, id eſt poſſet, contrahi locatio, id eſt merces locationis poſſet excedere modum uſurarum, non ideo tamen illicitum fœnus eſt contractum, id eſt quod amplius æſtimari poteſt habitatio, non imputatur in ſortem, ſed melius, id eſt minoris conducta habitatio videtur, ex *h. l.* Antichreſis expreſſa non ſervat modum legitimarum uſurarum, propter incertum eventum fructuum; *l. ſi ea lege*, infr. *h. tit.* Tacita antichreſis ſervat modum uſurarum; *l. cum debitor, ff. in quib. cauſ. pign. vel hypoth.* Cujac. 8. *obſ.* 17. Salmaſ. *de mod. uſurar. cap.* 14.

L. 15.

SI creditor pecuniam mutuam dederit, ea conditione, ut ſi ſors ad diem non ſolveretur, quadrupli pœna præſtaretur, ſi ad diem ſors non ſolvatur, pœna non præſtatur ultra legitimum modum uſurarum, ex *h. l. & l. pecuniæ, ff. h. tit. l. Julianus, §. ibidem Papinianus, de act. empt.* ne pœnæ nomine uſuræ præſtentur ultra legitimum modum uſurarum.

L. 16. & auth. † *cum non.*

UBi pecunia creditur fœnori, ita ut certus modus frumenti vice uſuræ præſtetur, & niſi præſtetur, additamentum ſolvatur, pactum non valet ultra legitimum modum uſurarum; *l. Julianus, §. ibidem Papinianus, ff. de act. empt.* maxime in ruſticis, pœna conventionalis, quæ eſt vice uſurarum, non poteſt excedere legitimum modum uſurarum; *l.* † *rogaſti, §. 1. ff. de reb. cred.*

† *Auth. cum non*, deſideratur.

† V. ſi probat. Et v. etiam *l. 44. ff. h. tit. & gloſſ. in auth. ad hæc, h. tit.*

Auth. ad hæc

SI frumentum credatur ruſticis, vel pecunia, pro modio frumenti octava pars unoquoque anno accipi poteſt, pro ſolido ſiliquæ, vice uſurarum.

Solidus conſtat ſiliquis 14. *Modius continet ſextarios* 16. *Cujac.* 3 *obſ.* 35.

Si eo nomine pignus datum ſit, ſive in prædiis, ſive in rebus mobilibus, omnino reddi debet. Si quid exigatur ultra hunc modum, creditor omnino cadit ab actione, id eſt a debito, ex *hac auth.* & hoc ſpeciale eſt favore ruſticorum: alias ſtipulatio majorum uſurarum non reprobatur, niſi quatenus excedit modum legitimum uſurarum; *l. cum allegas*, ſupr. *h. tit.*

L. 17.

SI prædium creditori datum ſit ea lege, ut fructus ſint vice uſurarum, pactum valet, etiam ſi excedant modum legitimum uſurarum, ex *h. l.* propter incertum eventum fructuum, & varietatem tempeſtatum, & creditor, cui fundus datus eſt pignori, ut eum poſſideat ſibi & fructus ſuos faciat, pro uſu pecuniæ fructus ſuos facit, quia fundum poſſidet naturaliter; *l. qui* † *pignoris*, *ff. de adqu. poſſeſſ.* & hoc valet in expreſſa antichreſi. Secus in ſimplici pignore, fructus imputantur in uſuras, & quod amplius eſt in ſortem; *l.* 1. C. *de pigner. act.* quia proprie non poſſidet, & habet nudam detentionem pignoris; *l. cum & ſortis*, §. 1. *ff. de pign. act.* Cujac. *ad l.* 1. §. *pen. ff. de pignor.*

L. 18.

USuræ indebitæ ante ſortem ſolutæ, imputantur in ſortem: uſuræ indebitæ poſt ſortem ſolutæ, cum in ſortem cedere non poſſint, condicuntur, exploſa veteris juris varietate, ex *h. l.* *l. ſi non ſortem*, *in pr. ff. de cond. indeb.* Nec refert ſi pro ſorte & uſuris pignus obligatum ſit, vel non, quia pignus datur tantum pro ſecuritate debiti; *l. per retentionem*, ſupr. *h. tit.* Uſuræ debitæ ex nudo pacto ſervantur per retentionem pignoris; *l. quamvis* 3. *l. per retentionem*, ſupr. *l. ſi uſuras*, *l. pignoribus*, infr. *h. tit. l. in his*, §. *Imperator*, *l. creditor*, §. † *Paulus*, *ff. de ſolut.*

† §. iſte deſideratur in *l. creditor*. Exſtat in *l. præced.* 101. v. ſi facit.

L. 19.

SOla oblatio ſortis cum uſuris, per conteſtationem id eſt denuntiationem coram teſtibus facta creditori, & poſt oblationem obſignatio & depoſitio in publico, puta in æde ſacra, vel ubi judex deponi juſſerit, ſiſtit curſum uſurarum, ſolvit pignus & antichreſim, & liberat debitorem, & creditori supereſt utilis actio in rem, vel depoſiti adverſus depoſitarium, vel detentorem pecuniæ, ex *hac. l. l. ſi creditrici*, ſupr. *h. tit. l. obſignatione*, C. *de ſolut.*

L. 20.

EXceptiones, quæ proſunt reo, ne uſuræ ultra legitimum modum uſurarum ſolvantur, proſunt etiam mandatori vel fidejuſſori, ex *h. l. l.* *) *exceptiones*, *l. omnes*, *de except.* quia rei intereſt eaſdem exceptiones, quæ proſunt reo, prodeſſe fidejuſſori, ne teneatur mandati; *l. eos*, *in pr.* infr. *h. tit.* Exceptio etiam non numeratæ pecuniæ, quæ prodeſt reo, prodeſt etiam mandatori & fidejuſſori; *l. tam mandatori*, C. *de non num. pecun.*

L. 21.

† V. ſi facit. E. v. etiam *l.* 5. §. *ult. eod. tit.*

SI pignus datum ſit pro ſorte & uſuris, & in continenti numerata pecunia, poſtea vel ante debitor non deſignaverit, utrum in uſuras, an in ſortem ſolverit, creditor ſolutum poteſt imputare in uſuras, ex *h. l.* quia potior eſt cauſa uſurarum, quam ſortis; *l.* † 1. *ff. de ſolut.*

L. 22.

L. 22.

USuræ debentur ex nudo pacto ſine ſtipulatione, ubi pignus datum eſt pro mutuo, quia pignoris datio habet vim tacitæ ſtipulationis uſurarum ; *l. per retentionem*, ſupr. *h. tit.* Si pignus datum ſit, uſuræ, quæ citra ſtipulationem peti non poterant, ex pacto retineri poſſunt, id eſt ſervari per retentionem pignoris : quod ſi nullum pactum de uſuris interpoſitum ſit, ſed tantum certa pœna promiſſa ſit, ſi pignus non ſolvatur ad diem ; pœna commiſſa, nec peti, nec retineri quidquam amplius poteſt, uſurarum nomine ſcilicet, & ſorte pœnaque ſoluta, creditor compelli poteſt ad pignoris ſolutionem ; id eſt reſtitutionem, ex *h. l.* quia pœna adjecta, non poteſt trahi ad uſuras.

L. 23.

DIxi ad *l.* 12.

L. 24.

SI mater negotia filii abſentis geſſerit, cum omnem curam adhibere debeat, uſuras pecuniæ quam adminiſtravit præſtare debet, ex *h. l.* quia potuit eam collocare fœnori. Negotiorum geſtor, ſi pecuniam otioſam habuerit, uſuras præſtare debet, ſi dominus conſuevit fœnerari ; *l. qui ſemiſſes*, §. *ult. ff. h. tit.*

L. 25.

USuræ non debentur ex auro, argento, veſte, vel aliis ſpeciebus, tantum ex pecunia ; *l* *) 12. ſupr. *h. tit.* niſi ſpecies ſint æſtimatæ, ut *hic*, *& l. in fideicommiſſi*, §. *ult. ff. h. tit. l. ſi pro mutua*, *C. ſi cert. petat.*

L. 26.

SUblata principali actione, perſonali vel hypothecaria, præſcriptione 30. vel 40. annorum, tollitur petitio uſurarum vel fructuum præteriti temporis : ſublato principali tollitur acceſſorium, ex *init. h. l. l. cum principalis*, *de R. J. l.* 2. *de pecul. legat.* Ubi pignus datum eſt, ſubmota perſonali actione, præſcriptione ſcilicet 30. annorum, durat hypothecaria in 40. annos ; *l.* 2. *C. de luit. pignor.* Remiſſo pignore ſupereſt perſonalis actio ; *l.* 2. *&* 3. *ff. de pact.* Tranſactione lite finita, tollitur petitio ſumptuum litis ; *l. terminato*, *C. de fruct. & lit. expenſ.*

§. *ſuper uſurarum.*

IN bonæ fidei judiciis, ante conſtitutionem Juſtiniani, uſuræ præſtabantur pro conſuetudine regionis, ubi contractum eſſet ; *l.* 1. *l. & in contraria*, *ff.* [illegible] *tit. l.* 3. *de eo quod cert. loc.* ut in actione tutelæ, quæ eſt bonæ fidei, uſuræ præſtabantur pro conſuetudine regionis, aut quincunces, aut trientes, aut ſi quæ aliæ leviores in ea regione frequentabantur ; *l. tutor qui repertorium*, §. † 10. *verſ. ex ceteris*, *de adminiſtr. tutor.* In actione ex teſtamento legatorum nomine veniunt uſuræ, quæ præſtantur pro conſuetudine regionis ; *l. cum ſervus*, §. † 1. *verſ. in uſurarum*, *de legat.* 1. modo non ſint ultra modum legitimæ uſuræ, quæ eſt centeſima ; *l.* 1. *&* 2. *C. Th. h. tit.* Conſt. Juſtiniani uſuris modus impoſitus eſt, illuſtribus & ſuper illuſtribus non licet ſtipulari ultra trientes uſuras ex quocunque contractu. Ante conſtitutionem ſenatoribus omnino

Uſura centeſima eſt, quæ parit centeſimam ſortis in

ſingulos menſes, id eſt duodecim aureos pro centum in ſingulos annos, quia annus conſtat 12. menſibus. Trientes uſuræ ſunt, quæ pariunt quatuor aureos pro centum in ſingulos annos. Semiſſes uſuræ ſex aureos pro centum in ſingulos annos.

fœnerari vetitum *l.* 3. *&* 4. C. *Th. h. tit.* Auguſt. quæſt. utriusque teſtam. cap. 102. *Senatoribus quoque fœnus diffamia eſt.* Idem Joan. Chryſoſt. in Matth. homil. 56. al. 57. n. 6. καὶ εἰς τὴν μεγάλην τελοῦντας βουλὴν, ἣν σύγκλητον καλοῦσιν, οὐ θέμις τοιούτοις κέρδεσιν καταισχύνεσθαι· ἀλλὰ νόμος ἐστὶ παρ᾽ αὐτοῖς ὁ τὰ τοιαῦτα ἀπαγορεύων κέρδη. *Quare nec ampliſſimos homines, quos ſenatores appellant, hujuſmodi emolumentis deturpari ſinunt. Sed leges prohibent, ne qui rempublicam gerunt, tali lucro maculentur.* Clericis etiam interdicitur uſuris centeſimis, vel aliis, quas vocant ἡμιολίας, id eſt ſemiſſes; concilium *Nicen. can.* 17. ſynod. Laodicen. *can.* 4. ſyn. 6. in Trull. *can.* 6. can. Apoſtolicus 44. (al. 43.) Adeoque ſacerdotibus paganorum omnino fœnus vetitum fuit; Jul. Firmic. matheſ. lib. 3. cap. 33. *Nunquam pecuniæ fœnus exerceas, nec alienis in neceſſitatibus, miſerum tibi pecuniæ conſeratur augmentum.* Olim uſura nautica non habebat modum, quia ſors erat periculo creditoris; *l.* 4. *de nautic. fœner.* Ex *hac conſtit.* uſura nautica non poteſt excedere centeſimam, qui eſt modus legitimus uſurarum, quia deſiit eſſe periculo creditoris. Iis qui præſunt ergaſteriis, id eſt menſis argentariis vel aliis negotiationibus, non licet ſtipulari uſuras ultra ſemiſſes. Etiam in omnibus caſibus, in quibus uſuræ ſine ſtipulatione debentur ex mora officio judicis, non licet judici ampliare modum uſurarum, occaſione conſuetudinis regionis. Si quis autem creditor ſtipulatus ſit ultra modum legitimum uſurarum, nullam de ſuperfluo habet actionem, id eſt de eo quod excedit modum legitimum uſurarum: quod excedit in ſortem imputabit.

Verſ. interdicta.

Ex conſtit. Juſtiniani uſuræ prohibentur, ultra modum legitimum uſurarum, id eſt ultra centeſimam, quocumque colore: puta creditoribus interdicitur, de pecuniis fœnori dandis, aliquid detrahere vel retinere, vel ſiliquarum, vel ſportularum, id eſt munuſculorum, vel alio quolibet nomine. Inde munuſcularii dicti fœneratores, quia præter ſortem & uſuras corradebant munuſcula a debitoribus; Auguſtin. de civit. Dei lib. 7. cap. 4. *Tamquam munuſcularios vectigalium conductores, vel tanquam opifices in vico argentario.* Senatores, quia uſuræ eis erant prohibitæ, munus accipiebant; quod primum permiſit, tum vetuit Alexander Severus; Lamprid. in ejus vit. *Senatores, ſi fœnerarentur, uſuras accipere primo vetuit, niſi aliquid muneris cauſa acciperent, poſtea tamen juſſit, ut ſemuncias acciperent, munus tum ſuſtulit.* Erant & fœneratores, qui vice uſuræ munuſcula accipiebant; Hieronym. in Ezechiel. lib. 6. cap. 18. *Alii pro pecunia fœnerata ſolent munuſcula accipere diverſi generis, & non intelligunt uſuras appellari.* Alioquin ſors pro ea quantitate minuetur ab initio, & ejusdem uſuræ tollentur. Denique ex *h. conſtit.* non licet ſtipulari majores uſuras ultra modum legitimum uſurarum, etiam per interpoſitam perſonam, id eſt per argentarium, & ſi petantur per interpoſitam perſonam, hoc caſu defertur jusjurandum, ex *h.* §. Centeſima eſt uſuræ legitimæ modus; *l. lecta, de reb. credit. l. ſi pro mutua, C. ſi cert. petat. l.* 1. C. *Th. de uſur.* Senec. de benefic. lib. 7. cap. 10. *Quid ſunt iſta tabulæ, quid computationes, & venale tempus, & ſanguinolentæ centeſimæ?* Plin. lib. 9. epiſt. 28. *Proinde prima quaque occaſione mitte, appoſitis quidem uſuris, quas ego (non parcius poſſum) centeſimas computabo.*

L. † 27.

Uſuræ uſurarum non debentur; *l. ſi non ſortem, §. ſupra duplum, de condict. indebit. l.* 2. *§. ſi indemnitas, de adm. rer. ad civit. pertin. l. nomen, de legat.* 3. *l. improbum, C. ex quib. cauſ. infam. irrog. l.* *) 2. C. *de*

de pignor. id eſt uſuræ præteriti temporis, vel futuri in ſortem redigi non poſſunt, ut pariant uſuram, *ex h. l.* & uſuræ non debentur ultra duplum, ita ut cum æquaverint ſortem, amplius non currant, & debitor liberetur, ex *h. l.* etiam ſi pignus creditori datum ſit pro ſorte & uſuris, cujus occaſione quædam veteres leges uſuras ultra duplum admittebant *; l. pretii*, *C. mandat.* Cujac. ad *l.* 41. *de V. O.*

L. † *ult.*

† Super his *ll.* 27. *& ult.* juxta Cujac. cogita: nam mihi uni quædam tributa videntur, quæ ad alteram pertinent: & e contra.

USuræ non debentur ultra duplum, etiam ſi in ſortem redactæ ſint, ne verbis non rebus lex impoſita ſit, ex *h. l. & l. prox.* ſupr. *l.* 2. *in fin. C. comm. de legat.* Uſuræ nullo pacto in ſortem redigi poſſunt. Ambroſ. de Tobia cap. 12. *Veniunt kalendæ, parit ſors centeſimam : . . . Crevit centeſima, petitur, nec ſolvitur, applicatur ad ſortem . . . . Itaque non jam centeſima incipit eſſe, ſed ſumma, hoc eſt non fœnoris centeſima, ſed fœnus centeſimæ.* Dixit, veniunt kalendæ, quia uſuræ ſolvebantur ſingulis kalendis initio cujusque menſis *; l. ſi ita quis, de V. O.* M. Tull. 6. ad Atticum. *Nec id ſatis efficitur in uſuram menſtruam*. Fœneratores pecuuias collocabant kaleudis ; Horat. epod. (2. 69.)

Omnem relegit idibus pecuniam ;
Quærit Kalendis ponere.

Eo nomine ſolvebantur uſuræ in anteceſſum *; l. qui in futurum, ff. de pact. l. qui Romæ, de V. O. l.* 2. *§. pen. de dol. & met. except.* quo alludit Senec. epiſt. 118. *Bene credi tibi ſcio : itaque in anteceſſum dabo* : vel apud aliquem deponebantur, ut ſua die acciperet creditor *; l. Titia, §. pen. de V. O.* Unus eſt caſus, in quo ſors dicitur fieri de uſura, cum ex aliorum ſtudio proficimus ; Plin. in præf. *Obnoxii profecto animi, & infelicis ingenii eſt, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præſertim ſors fiat ex uſura*. Cum quæritur quis ſit modus totius debiti, quæ major pars creditorum, qui paciſcuntur de remittenda parte debiti, ſummæ applicantur uſuræ *; l. ſi plures, in fin. de pact.* uſura cumulatur cum ſorte, non ad hoc ut pariat uſuram, ſed ut ſciatur quis ſit modus debiti, quæ major pars creditorum &c. Aliis uſuræ non prorogabantur, ſed ubi ſors mutuo data reddebatur, uſuræ ſimul cum ſorte ſolvebantur ; Gregor. Turonenſ. hiſt. Franc. libr. 2. cap. 32. *Rogo, ſi pietas tua habet aliquid de pecunia, nobis commodes, qua cives noſtros relevare valebimus, cumque hi negotium exercentes, ſponſionem in civitate noſtra, ſicut reliqua habent, præſtiterint pecuniam tuam cum uſuris legitimis reddamus*. Uſuræ ex ſtipulatione peti poterant ſolæ ſine ſorte *; l. centum Capuæ, ff. de eo quod cert. loc.* quia debentur ex ſtipulatione, erant in obligatione nominis, perinde ac ſors ipſa. Uſuræ non debentur ultra duplum, ita ut ſi uſuræ ſolutæ duplo æquaverint ſortem, ſors ipſa peti non poſſit.

Digitized by Google

AD TITULUM

De Jure dotium.

DIG.

L. 1.

DOTIS cauſa perpetua eſt, legis intellectu ſcilicet, quia dos contrahitur eo pacto, ut perpetuum ſit matrimonium, & dos ſemper apud maritum ſit; ex *h. l. & l. 12. C. ne fidejuſſ. dot. dent.* In panegyric. Maximian. *Nuptiarum votum ſemel factum, futurum eſt ſempiternum*. Dos perpetua dicitur ſpectato voto contrahentium potius, quam exitu. Sicuti cum dicimus, patre ſuperſtite liberos eſſe quaſi dominos; *l. in ſuis, de liber. & poſth.* propter votum parentum, cum omnia, quæ noſtra ſunt, liberis ex voto paremus; *l. pen. §. ſed numquid, de bon. libert.* Alia etiam ratione dos perpetua dicitur, quia dote, id eſt dotis datione, dominium transfertur in maritum; *l.* † *3. de publician. in rem act. l. in rebus, C. h. tit. l. doce ancillam, C. de rei vindic.* Ideo nominibus in dotem datis, marito datur utilis actio quaſi ex emptione nominis; *l. nominibus, C. de oblig. & act.* Dominii cauſa ſua natura perpetua eſt; *l.* *) *qui ſic, de ſolut. l. id quod noſtrum, de R. J.* Et hoc proprium eſt matrimonii contracti per coemptionem, in quo mulier quaſi emptione veniebat cum rebus ſuis in poteſtatem viri, & fiebat propria viri: quo ſe refert Virgil. 4. Æneid. (126.)

Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.

Item dos perpetua dicitur, quia datur matrimonii cauſa, quod non habet finem certi temporis. Perpetuum dicitur quod non habet tempus limitatum; *l. Juriſperitos*, inſt. *de excuſat.* Lex ait dotem contrahi. Dos, id eſt dotis datio, non eſt donatio, ſed contractus; *l. exigere*, ſupr. *de judic. l. 1. §. debitum, de conſtit. pecun. l. contractus, de R. J.* Quam ob cauſam dos non indiget inſinuatione; *l. ult. C. h. tit.* Ait dotis cauſa, id eſt dos. Sic cauſa Neæræ pro Neæra; Tibull. lib. 3. eleg. † 6.

† Corrig. *eleg.* 2. Et v. notam in vol. I. hujusce tom. pag. 345.

Ligdamus hic ſitus eſt, dolor huic & cauſa Neæra.

L. 2.

DOtium cauſa ſemper & ubique præcipua eſt; *l. 1.* infr. *ſolut. matrim.* id eſt privilegiaria, nimirum ſecundum jus digeſtorum habet privilegium inter perſonales actiones, id eſt inter chirographarios creditores; *l. quæſitum, §. ult. de reb. auctor. judic. poſſid. l. dotis actione, C. ſolut. matrim.* Hodie mulier dotis cauſa præfertur omnibus creditoribus etiam anterioribus ſpecialem hypothecam habentibus; *l. aſſiduis, C. qui potior. in pign.* & conſtante etiam matrimonio, mulier poteſt dotem repetere marito vergente ad inopiam; *l. ſi conſtante*, inſr. *ſolut. matrimon.* Ratio eſt, quia publice intereſt mulieribus dotem ſalvam eſſe, propter quam nubere poſſint, ex *h. l. & d. l. 1. l. hoc modo, de condit. & demonſtrat.* Patris intereſt filiam dotatam eſſe, propter paternum affectum; *l. pater, in fin. de evict.* ut conſulatur filiæ pudicitiæ; *l. mulier, §. cum proponeretur, ad Trebell.* ſolatio ſcilicet nuptiarum.

L. 3.

Digitized by Google

L. 3.

DOs non eſt, nec donatio propter nuptias, ubi matrimonium nullum eſt, puta ſi incertæ ſint nuptiæ, vel non legitimæ, puta cum puella impubere; *l. incerta*, *l. a divo*, ſupr. *de rit. nuptiar. l. hoc modo*, *de condit. & demonſtr. l. quæſitum*, §. *ult. & l. ſeq. de reb. auctor. judic. poſſid. l. ult. C. de donat. ante nupt.* Dos non eſt ſine nuptiis, dos opinata, id eſt per errorem data ob cauſam dotis cauſa non ſecuta, quæ eſt privilegiaria, id eſt privilegium prælationis habet in actionibus perſonalibus, id eſt inter privilegiatos creditores; *d. l. quæſitum*, §. *ult. l. eum qui duas*, *C. ad leg. Jul. de adulter.* Ex conſtit. Severi dos propter illicitum matrimonium fit caduca, id eſt aufertur a fiſco; *l. dote*, ſupr. *de rit. nupt. l.* 3. §. 1. *de don. int. vir. & uxor. l.* 2. §. 1. *de his quæ ut indign. l. manifeſtum*, *C. de nupt.* Dos non eſt ſine nuptiis, ſed quaſi dos; *l. nec ullam*, §. 1. *de hered. petit.* ubi pro poſſeſſore poſſidet, qui a minore 12. annis ſibi nupta quaſi dotem ſciens accepit. Tamen nuptiæ ſine dote conſiſtere poſſunt; *l. quod ſi nulla*, *de religioſ. l. ult. C. de don. ante nupt.* niſi inter illuſtres perſonas; *nov.* 117. *cap.* 4. *auth.* † *maximis*, *C. de nupt.* adeoque olim indigniſſimum erat mulierem dote carere; *l. cum pater*, *de pact. dotal.* Tamen ſi quis indotatam uxorem duxerit, ob id eam repudiare non poterit; *l. jubemus*, §. 1. *C. de repud.* Dos ſimpliciter promiſſa, promitti intelligitur ſub conditione ſi nuptiæ ſequantur; *l.* † *ſtipulationem*, *h. tit.* & videtur dari ob hanc cauſam, ut matrimonium ſequatur; *l. ſi extraneus*, *de condict. cauſ. dat.* præcipuum dotis etiam eſt, quod ſi mater pro filia dotem promiſerit, non juvatur Vellejano; *l. ſi dotare*, *C. ad Vellejan.* Cujac. 25. obſ. 25.

L. 4.

SI proprietati nudæ in dotem datæ, conſtante matrimonio uſuſfructus acceſſerit, acceſſio eſt, non eſt nova dos, ſed incrementum dotis, quemadmodum ſi quid alluvione acceſſerit, ex *h. l.* quia uſuſfructus eſt pars dominii, & conſolidatur proprietati, quaſi pars parti.

L. 5.

PRofectitia dos eſt, quæ profecta eſt a patre vel parente virilis ſexus, ſcilicet deſcendente per virilem ſexum, puta avo paterno, de bonis vel facto ejus, puta ſi dos data ſit contemplatione patris ab extraneo, puta amico vel cognato; *l. ſed ſi plures*, §. *in adrogato*, *de vulgar. & pupillar.* Senec. 5. de benefic. 19. *Sed ut, dialogorum altercatione ſepoſita, tamquam juriſconſultus reſpondeam, mens ſpectanda eſt dantis. Beneficium ei dedit, cui dat um voluit. Sicut ſi in patris honorem fecit, pater accepit beneficium: ſic pater beneficio in filium collato non obligatur, etiam ſi fruitur.*

§. 1. † & 2.

DOs profectitia eſt, quæ data eſt a patre vel avo paterno de bonis vel facto, id eſt beneficio ejus, ſive pater dederit dotem, vel procurator, ſive juſſit alium dare, ſive cum quis dediſſet negotium gerens, id eſt ſine mandato animo gerendi negotii abſentis, pater ratum habuerit, quia ratihabitio retro trahitur, & mandato comparatur: vel ſi quis patri donaturus dotem dedit. Et ſi avus dotem dederit neptis nomine, mortua nepte, dos ad patrem

non revertitur, quia non poteſt videri ab eo profecta, qui nihil ex his ſui habuit; *l. avus*, inſr. *h. tit.* Dos data ab avo paterno, poſt mortem avi mortua in matrimonio filia, ad patrem revertitur, quia dos profecta ab avo propter filiam, videtur profecta a patre. Officium avi circa neptem, pendet ex officio patris erga filiam; *l. dotem*, *de collat. bon.*

§. *ſed & ſi curator.*

DOs profectitia eſt, quæ profecta eſt a patre, vel curatore dato furioſo, prodigo, vel ei cui bonis interdictum eſt, vel cuilibet alteri, quia datur nomine patris, & quaſi voluntate patris: filia furioſi vel mente capti poteſt nuptias contrahere, dote data a curatore furioſi, pro facultatibus patris, & dignitate mariti; *l. quæro*, inſr. *h. tit. l. ſi furioſi*, *C. de* † *nupt.*

§. *ſed & ſi proponas.*

DOs profectitia eſt, quæ profecta eſt a patre, vel patre capto ab hoſtibus, vel a latronibus oppreſſo, id eſt detento, data eſt filiæ ex bonis patris, decreto prætoris in urbe, vel præſidis in provinciis, ex *h.* §. patre capto ab hoſtibus vel a latronibus, datur dos decreto prætoris vel præſidis pro facultatibus & dignitate patris & mariti; *l. quæro*, inſr. *h. tit. l. ſi furioſi*, *C. de nupt.*

§. *ſi pater* 5.

SI pater delatam ſibi hereditatem repudiaverit, dotis conſtituendæ cauſa, forte quia maritus ſibi ſubſtitutus erat, aut legitimus heres, dos non eſt profectitia ex Juliano: idem eſt ſi pater legatum ſibi relictum repudiaverit, ad hoc ut apud heredem generum remaneret, quia pater nihil erogavit de ſuo, ſed non adquiſivit, id eſt occaſionem adquirendi omiſerit, ex *h.* §. Aliud eſt ſi mulier ipſa hereditatem vel legatum repudiaverit, dotis cauſa ſubſtituto viro; *l. ſi nuptura*, §. *ult. de fund. dotal.* ut recte diſtinguit *gloſſ.* quia in muliere alia interpretatio aſſumi non poteſt, quam eam repudiaſſe hereditatem vel legatum dotis cauſa, ne eſſet indotata. Si maritus heres inſtitutus repudiet hereditatem donationis cauſa, donatio inter conjuges valet, quia maritus ex ea donatione non fit pauperior, qui nihil de patrimonio ſuo depoſuit, ſed non adquirit; *l. ſi ſponſus*, §. *ſi maritus* 13. *de don. int. vir. & uxor.*

§. *ſi pater 6.* † §. *ſed ſi pater.*

SI pater non quaſi pater, ſed alio dotem promittente pro eo fidejuſſit, & quaſi fidejuſſor ſolverit, Neratius ait, non eſſe profectitiam dotem, quam pater a reo principali ſervare non poſſit, quia non eſt ſolvendo: ſed ſi pater dotem promiſerit & fidejuſſorem vel reum pro ſe dedit, Ulpianus exiſtimat, dotem eſſe profectitiam: ſufficit enim quod pater dotis cauſa ſit obligatus reo, id eſt expromiſſori vel fidejuſſori, ſolventi ſc.

§. *ſi filiusfam.* 8.

SI filiusf. pecuniam mutuatus creditorem delegaverit, ut daret in dotem pro filia ſua, vel ipſe mutuam acceperit, & dederit in dotem, dos videtur ab avo profecta, quatenus avus eſſet doraturus neptem ſuam: id enim videtur in rem avi verſum, ex *h.* §. & *l.* 7. §. *ult. de in rem verſ. l. filiusf. ad Macedonian.* Hoc verum eſt, ſi hoc animo dedit, ut patris negotium gerens, non ſuum; *d. l.* 7. §. *ult.*

§. *ſi*

§. *ſi quis certam* .

ADventitia dos eſt , quæ a matre vel avo materno , vel alio quolibet extraneo profecta eſt : puta ſi mater , vel alius quilibet , certam pecuniæ quantitatem donaverit patri , ut pro filia in dotem daret . Sic adventitia pecunia eſt , quæ profecta eſt ab extraneo ; M. Tull. pro Rabir. Poſth. *Si adventitia pecunia petitur ab eo , cui ſua non redditur* . Dos non eſt profectitia, quia pater nihil dat de ſuo, & pater tenetur , quod datum eſt filiæ, in dotem dare , & ſi non det , tenetur condictione ob cauſam dati , cauſa non ſecuta , ex *h.* §. *& l. ſive uxor , de donat. int. vir. & uxor.* Dos adventitia eſt etiam dos data a filiaf. ex ſuo peculio, cujus liberam adminiſtrationem habebat *; l. ſi filiaf.* infr. *h. tit.* Adventitia quoque dos eſt dos data a patre filiæ emancipatæ nomine , ex rebus ei a ſe donatis , forte tempore emancipationis , quia dos a filia , non a patre videtur data *; l. ſi res* , infr. *h. tit.* Mortua in matrimonio muliere , ſemper , id eſt ſive extent liberi , ſive non , dos adventitia cedit lucro mariti *; l. Celſus , de religioſ. l.* † *ſed & ſi poſt mortem , de evict. l.* † *mulier , de condit. inſtit. l. ei qui mortem , de his quib. ut indign. l. 5. de bon. damnat. l.* 1. *C. ſi adv. dot.* Hodie ex conſtit. Juſtiniani dos adventitia non cedit lucro mariti , mortua in matrimonio muliere , ſed reſtituitur heredibus uxoris , niſi aliter convenerit *; l. unic.* §. *illo procul dubio , C. de rei uxor. act.*

§. *ſi filiusfam.* 10.

SI filiusf. pro filia ſua dotem promiſerit , & ſui juris factus morte patris dederit , dos profectitia eſt ; non enim pro hereditate patris , id eſt quaſi heres patris æs alienum ſolvit , ſed ſuum æs alienum ſusceptum , dum filiusf. eſſet , paterf. factus exoneravit , ex *h.* §. Hoc verum eſt , ſi dotem promiſit ſuo nomine , & animo donandi dotem pro filia *; l.* 7. §. *ult. de in rem verſ.* quia filiusf. ex omnibus cauſis tanquam paterf. obligatur *; l. filiusſ.* 39. *de oblig. & act.* maxime ex cauſa dotis pro filia , & præſumitur habuiſſe animum donandi in dotem filiæ *; l.* *) *pater , in fin. de evict. l.* *) *mulier ,* §. *cum proponeretur , ad Trebell.*

§. *ſi pater* 11.

SI pater pro filia emancipata dotem dederit , nihilominus profectitia dos eſt , quia non jus poteſtatis , ſed parentis nomen , id eſt pietas & affectus , dotem profectitiam facit . Inde ortum diſſidium Celſi , & Servii . Celſus in *l. dotem* , infr. *de collat. bonor.* ait , dotem ab avo paterno nepti ex filio datam , poſt mortem avi mortua in matrimonio filia , reverti ad patrem , quaſi ab eo profectam , quia avus videtur nepti dotem dediſſe propter filium . Servius in *l. avus* , infr. *h. tit.* negat , dotem ab avo neptis nomine datam , poſt mortem avi mortua in matrimonio filia ad patrem reverti . Si pater pro filia emancipata dotem dederit, dos profectitia eſt, ſi ut parens dedit . Ceterum, ſi cum debitor eſſet filiæ ex quacunque cauſa , puta ſi pecunia data ſit patri ea lege , ut filiæ in dotem daret, voluntate filiæ dedit, dos adventitia eſt. Si pater pro filia emancipata dotem dederit ut parens , etiam ſine ſtipulatione , dotem ad ſe reverti , mortua filia in matrimonio abſque liberis , dos quaſi profectitia ad patrem revertitur: quæ ſententia tutior eſſe videtur Irnerio , ex *h.* † §. *& l. filiæ , ſolut. matrim. & l. ſi filia , de divort.* Si pater pro filia emancipata dotem dederit , dos etiam ſine ſtipulatione ad patrem revertitur , quia etſi cum

Digitized by Google

extraneus dotem dedit pro puella, dos non revertitur ad dantem, niſi ſtipulatus ſit ſibi dotem reddi: tamen excipitur perſona patris manumiſſoris, quia extraneus habetur omnis citra parentem, qui perſonam dotatam in poteſtate non habet; *l. unic. §. accedit, C. de rei uxor. act.* pater extraneus non fit per emancipationem quoad cauſam dotis.

§. *Papinianus*.

EMancipatus per emancipationem pro extraneo habetur; *l. quinetiam, in fin. de rit. nupt. l. nihil intereſt, §. 1. rer. amotar. l. eum qui 56. §. qui ſibi, de V. O.* Si pater pro filia emancipata dotem conſtituerit, dos profectitia eſt, magis enim quaſi pater ſuo nomine, quam quaſi curator nomine adultæ dediſſe videtur: in dubio cauſa pietatis prævalet; in dubio quis præſumitur aliquid feciſſe ſuo potius, quam alieno nomine; *l. merito, pro ſoc. l. 4. de ſolut.* in dubio pater præſumitur filiam dotaſſe, potius ſuo nomine, quam materno; *l. ult. C. de dot. promiſſ.*

§. *adoptivum*.

DOs profectitia eſt etiam, quæ datur a patre adoptivo, & ſi pater dotem dederit, habet ejus repetitionem, quia adoptio imitatur naturam; *l. adoptio, de adopt.*.

§. *ult*.

SI quis pro puella extranea dotem promiſerit, & promiſſori pater puellæ heres extiterit, multum intereſt an ante nuptias pater heres extiterit, & dotem dederit, an poſt nuptias: ſi ante videtur dos ab eo profecta, potuit enim, nuntium ſponſo remittendo, ſolvere dotem, id eſt diſſolvere cauſam dotis: pater poteſt diſſolvere ſponſalia filiæ, quæ eſt in poteſtate; *l. in poteſtate, ſupr. de ſponſalib. cap.* °) *ex parte, de reſtit. ſpoliator.* Quod ſi poſt nuptias, dos non eſt profectitia, quia res in eum caſum incidit, a quo incipere non poteſt; *l. pen. §. ult. de V. O.*

L. 6.

MOrtua filia in matrimonio, dos profectitia redit ad patrem, ne & filiæ amiſſæ, & pecuniæ damnum ſentiat, ex *init. h. l. & l. dos a patre, C. ſolut. matrim.* Et hoc indiſtincte admittebat Bulgarus, ſive filia deceſſiſſet ſuperſtitibus liberis, ſive ſine liberis. Martinus diſtinguebat, dotem profectitiam redire ad patrem mortua filia ſine liberis, ſecus exiſtentibus liberis remanere apud virum propter liberos, ut notat *gloſſ. in d. l. dos a patre*. Bulgari opinio defenditur his argumentis. I. Quod valet conventio, ut liberorum nomine dos apud virum remaneat; *l. ſi dotali*, infr., *ſol. matrim.* Ex quo efficitur, ceſſante conventione, dotem ad patrem redire. II. Argumento *l. ult. in pr.* infr. *rem rat. haber.* ex qua ſi pater dotem a ſe datam abſente filia, interpoſita cautione de rato, repetat mortua filia, priusquam filia ratum habeat ſtipulatio de rato non committitur, quia nihil mariti intereſt ratum haberi, cum mortua filia profectitia dos ſalva eſſe debeat patri. III. Argumento *l. ſi ab hoſtibus*, infr. *ſolut. matrimon.* Filia nupta capta ab hoſtibus, mortua apud hoſtes, dos a patre profecta redit ad patrem, perinde ac ſi nupta, id eſt domi in matrimonio, deceſſiſſet. IV. Argumento *l. pater, de evict.* ex qua ſi pater filiæ nomine fundum in dotem dederit, evicto eo, patri committitur actio ex empto, vel ſtipulatio duplæ, quia patris intereſt, propter ſpem

Digitized by Google

ſpem quandoque recipiendæ dotis. Martini opinio juvatur his rationibus. I. Quia mortua filia ſuperſtitibus liberis, maritus non deſinit ſuſtinere onera matrimonii; *l. ſi maritus*, *famil. ercisc.* Ex quo æquum eſt dotem circa eum manere propter liberos. II. Ex *l. ſi pater*, infr. *de pact. dotalib.* ubi ſi pater ſtipulatus ſit, mortua filia ſuperſtitibus liberis, deducta tertia, reliquam dotem ſibi reddi, aut poſt mortem ſuam filiis, Africanus reſpondet, valere hujuſmodi ſtipulationem: quod ſi jure ipſo dos profectiria ad patrem rediret, ſuperſtitibus liberis, fruſtra talis ſtipulatio interponeretur. III. Ex *l. poſt dotem*, infr. *ſolut. matrim.* ubi ſi pater poſt dotem datam & nuptias contractas ſtipulatus ſit voluntati filiæ, divortio facto dotem ſibi reddi, divortio facto, & poſt divortium ſine liberis defuncta filia, non eſt impediendus pater quominus ex ſtipulatu agat de dote reddenda. Ergo ſuperſtitibus liberis mortua filia, dotis repetitio patri non datur. IV. Ex *l.* † *ult.* §. 1. *ut legat. ſerv. cauſ. cav.* ubi uxore mortua relicto filio, dos penes virum remanſiſſe dicitur. V. Ex *l. illam*, *C. de collat.* ubi nepotes ex filia ſuccedentes avo conferunt dotem matris, quod non contingeret, ſi mortua filia ſuperſtitibus liberis, dos rediret ad patrem. Et ſententia Martini, quaſi æquior, obtinuit propter liberos. Moribus Toloſanis mortua in matrimonio filia, dos cedit lucro mariti.

§. *ſi pater.*

SI pater alienum fundum bona fide emptum a non domino in dotem dederit, dos profectitia intelligitur, ex *h.* §. quia pater evicto fundo, habet actionem ex empto, vel ex ſtipulatu duplæ de evictione adverſus venditorem; *l. pater*, *de evict.*

§. *ult.*

SI in dote danda circumventus ſit alteruter, id eſt maritus vel uxor, etiam majori 25. annis ſuccurritur, beneficio ſcilicet reſtitutionis in integrum, quia bono & æquo, id eſt rationi boni & æqui, non convenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum ſentire pro alterius lucro, ex *h.* §. in judicio de dote maxime ſpectatur bonum, & æquum, itaque de dote actio concepta eſt in bonum & æquum; *l. eas*, *de capit. minut.* id eſt formula actionis de dote concipitur his verbis, *quod melius æquius*. Si mulier circumventa ſit in dote danda, puta ſi dolo circumventa, omnia bona ſua in dotem dedit, vel dotem dedit ultra modum facultatum, reſtituitur adverſus dotem, quatenus dos excedit modum bonorum; *l. ſive generalis*, *l. Titia*, infr. *h. tit.* vel ſi mulier circumventa ſit in dote danda, puta dando ſervum actorem in dotem, qui habebat notitiam rerum & facultatum hereditariarum, in integrum reſtituitur adverſus dotem datam, ad hoc ut ſervus reſtituatur. Quod ſi circumventa ſit in æſtimatione dotis, quia res minoris quam eſſent æſtimatæ ſunt, electio eſt mariti utrum juſtam æſtimationem, an potius rem præſtet. Et hoc ſi ſervus dotalis vivat, quod ſi deceſſerit, magis æſtimatio præſtanda eſt non juſta, ſed ea quæ facta eſt, quia in hoc boni viri arbitrio conſulitur mulieri, quod ſervus fuit æſtimatus, ut *hic*, *&c. l. circumſcripta*, *C. ſolut. matrim.* quia dotis æſtimatæ periculum pertinet ad maritum. Et hoc locum habet in minore circumventa, id eſt non modo in minore circumventa, ſed etiam in majore 25. annis, id eſt etiam major 25. annis reſtituitur adverſus dotem, ſi res minoris æſtimatæ ſunt, & maritus reſtituitur adverſus æſtimationem, ſi res majoris æſtimatæ ſunt. Et hoc eſt quod dicitur in *l. quotiens*, *C. h. tit.* ſi res æſtimatæ in dotem dantur, maritum ſoluto matrimonio liberari præſtando æſtimationem, ſi res jure æſtimatæ ſiut, id eſt ſuo pretio. Quod ſi mulier circumventa in æſtimatione dotis tempore dotis datæ habuit empto-

Digitized by Google

rem juſti pretii, tunc reſtituitur adverſus æſtimationem dotis, ſi ſit minor 25. annis. Quod ſi mulier circumventa ſit dolo mariti in æſtimatione dotis, reſtituitur adverſus dotem, etiam major 25. annis; *l. ſi res*, §. *ſi mulier*, *h. tit. d. l. ſi circumſcripta*. Minor non reſtituitur adverſus dotem, vel donationem propter nuptias, ſi facta ſit pro modo facultatum; *l.* 1. *C. ſi adverſ. donat. l. unic. C. ſi adverſ. dot. l. ult. verſ. cum autem*, *C. ſi major fact. alien. ſine decret. rat. hab. d. l. ſive generalis*, *d. l. Titia*. Et hoc caſu ceſſat *l. prædia*, *C. de præd. minor. ſine decret. non alien. & l.* † *lex*, *qua tutores*, *C. de admin. tutor.*

L. 7.

DOs, id eſt dotis datio non eſt donatio, ſed contractus, quia dos datur titulo oneroſo propter onera matrimonii; *l. ult. C. h. tit. l. exigere*, ſupr. *de judic.* ideo conſtante matrimonio, dotis fructus pertineut ad maritum propter onera matrimonii, quæ ſuſtinet, ex *init. h. l. l. pro oneribus*, *C. eod. l. plerumque*, §. † *ſed fœtus*, inſr. *h. tit. l. unic.* §. *cumque*, *C. de rei uxor. act. l. ult.* inſr. *ſolut. matrim. l. ſi maritus*, *famil. erciſc.* Si ſocietas ſolvatur conſtante matrimonio, maritus, qui eſt unus ex ſociis, dotem præcipere debet, quia dos apud eum eſſe debet, qui onera matrimonii ſuſtinet; *l. actione*, §. *ult. pro ſoc.* Ideo dos fungi dicitur conſtante matrimonio, quia inſervit oneribus matrimonii; *Ulpian. in fragment. tit. de dotib.* Dotis cauſa eſt oneroſa propter onera matrimonii, quæ maritus ſuſtinet; *l. Julianus ait*, *mandat.* Ideo maritus in dote creditoris aut emptoris loco habetur, propter onera matrimonii, quæ ſuſtinet; *l. ſicut*, §. *ſed ſi permiſerit*, *quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv. l. ult.* §. † 2. *verſ. in maritum*, *quæ in fraud. creditor. l. ex promiſſione*, *de oblig. & act.*

§. *ſi* † *fructus*.

FRuctus percepti, conſtante matrimonio dotis non erunt, ſed cedunt lucro mariti: fructus ante nuptias percepti augent dotem, niſi convenerit ut ſponſus fructus ſuos faciat ante nuptias, tunc enim quaſi donatione ante nuptias facta non reſtituuntur, ex *hoc* §. *& l. ſi ſervo*, inſr. *h. tit. l. ſi ante*, *ſolut. matrim. l. videamus*, §. 1. §. *ante*, *de uſur.*

§. *ſi uſusfructus*.

SI uſusfructus fundi in dotem datus ſit, quæritur, utrum morte viri, vel divortio ſoluto matrimonio, fructus reddendi ſint? Celſus ait, multum intereſſe quid actum ſit, & niſi aliud actum ſit, fructus percepti conſtante matrimonio non reſtituuntur, quia jus ipſum uſusfructus in dote eſt, non fructus, qui percipiuntur conſtante matrimonio. Si uſusfructus in dotem detur, jus ipſum uſusfructus eſt in dote, non fructus percepti conſtante matrimonio, ex *h.* §. *& l. cum in fundo*, inſr. *h. tit.* alioquin dos eſſet ſine fructu. Dos nulla eſt, quæ non ſervit oneribus matrimonii; *l. ſi is qui Stichum*, §. *ibi dos*, *l. ſi pater*, inſr. *h. tit.*

§. *ſi res*.

SI res in dotem datæ ſint, in bonis mariti fiunt, ex *h.* §. ad hoc ſcilicet ut maritus conſtante matrimonio lucretur fructus dotis jure dominii, quia traditione dotis dominium transfertur in maritum: licet conſtante matrimonio dos in bonis mariti ſit, tamen conſtante matrimonio, ſi maritus vocetur ad mune-

Digitized by Google

munera municipalia, quæ imponuntur pro modo ſubſtantiæ, dos non computatur in bonis mariti; *l. Lucius*, §. *idem reſpondit* 4. *ad municipal.* ne maritus, qui ſuſtinet onera matrimonii, duplici onere gravetur; *l. fideicommiſſa*, §. *ſi quis decem*, *de legat.* 3. Si res aliena in dotem detur, acceſſio temporis ex perſona mulieris marito conceditur, id eſt poſſeſſio mulieris prodeſt marito ad implendam uſucapionem, ut *hic* & *l. Pomponius*, §. *in* † *dote*, infr. *de adqu. poſſ.* Dos ante vel poſt nuptias dari poteſt, & conſtante matrimonio augeri poteſt, nec videtur donatio inter virum & uxorem; *l. ſi inter* 24. *de pact. dotalib. l. ſi conſtante matrimonio*, *C. de don. ante nupt.* & fiunt res mariti, in bonis mariti, ſi conſtante matrimonio in dotem dentur, ex *h.* §. Quod ſi ante nuptias res dentur in dotem ſub ea conditione, ut ſtatim ejus fiant, ſtatim ejus efficiuntur: quod ſi dentur ſub ea conditione, ut tunc fiant mariti, cum nuptiæ ſecutæ ſint, ejus efficiuntur nuptiis ſecutis. Promiſſio dotis habet in ſe tacitam conditionem, ſi nuptiæ ſequantur; *l. ſtipulationem*, *l. tali*, infr. *h. tit.* Si res in dotem datæ ſint, ut ſtatim accipientis fiant, nuptiis non ſecutis condicuntur condictione ob cauſam dati, cauſa non ſecuta, ut *hic* & *l. qui ſe debere*, §. *ult. de condict. cauſ. dat.* Quod ſi res in dotem datæ ſint, ut accipientis fiant nuptiis ſecutis., nuptæ nuntio repudii miſſo, ſtatim vindicantur, quia non deſierint eſſe in bonis mulieris, quod datæ eſſent ſub conditione nuptiarum: conditio ſuſpendit translationem dominii; *l. is cui*, *de oblig. & act.* Sed ſi res vindicentur ante nuntium miſſum, maritus futurus poteſt ſe tueri oppoſita exceptione doli, vel in factum, propter ſpem nuptiarum: doti enim deſtinata non debent vindicari, ut ſubjungitur in calce *h.* §. quamdiu eſt ſpes nuptiarum, ne temere diſſolvatur ſpes nuptiarum; *l. quod Servius*, *de condict. cauſ. dat.*

L. 8. 9.

SI ego Seiæ res dedero, ut ipſa ſuo nomine in dotem daret, ejus efficiuntur, licet in dotem non ſint datæ, ſed mulier tenebitur condictione ob cauſam dati, cauſa non ſecuta, ex *init. h. l.* † 9. & *l. licet*, §. *quotiens*, infr. *h. tit. l. ſi donaturus*, ſupr. *de condict. cauſ. dat.* Quod ſi ego pro Seia res dem, ſiquidem ante nuptias, multum intereſt ſcire qua conditione dedi, utrum ut ſtatim fiant accipientis, an ſecutis nuptiis: ſi res datæ ſint, ut ſtatim fiant accipientis, nuntio, id eſt nuntio repudii, miſſo, & non ſecutis nuptiis, condicam condictione ob cauſam dati. Quod ſi res datæ ſint, ut fiant accipientis, nuptiis ſecutis, interim, id eſt ante nuptias, potero vindicare, quia res meæ ſunt, id eſt non deſierunt eſſe meæ: quod ſi nuptiæ ſecutæ non ſint propter matrimonii interdictionem, quia nuptiæ vetitæ erant, poſteriore caſu, id eſt eo caſu quo res datæ ſunt, ut fiant accipientis ſecutis nuptiis, res meæ remanebunt, quia quod datum eſt ſub conditione, puta ſub conditione nuptiarum, deficiente conditione repetitur condictione ob cauſam dati; *l. & generaliter*, infr. *de donat. l. aliquando*, *de condit. & demonſtrat.*

§. *ſi res.*

SI res certas alicui, id eſt marito futuro, tradidero, ut ſecutis nuptiis dotis fiant, & ante nuptias deceſſero, quæritur, an ſecutis nuptiis poſt mortem dantis dotis eſſe incipiant? Ratio dubitandi erat, quod ubi res datæ ſunt ſub conditione nuptiarum, ſecutis nuptiis poſt mortem donatoris, donatio non valet, quia obligationes collatæ poſt tempus mortis, non poſſunt incipere ab herede; §. *poſt mortem*, *inſtit. de inutil. ſtipulat. l. unic. C. ut act. ab hered. & contr. hered. incip.* Res datæ dotis causa ſub conditione nuptiarum,

Digitized by Google

nuptiis ſecutis poſt mortem donatoris, non efficiuntur in dominio ejus cui datæ ſunt, quia pendet, id eſt in ſuſpenſo eſt donatio in diem nuptiarum, & poſt mortem ſi hoc admittas, incipit dominium diſcedere ab eo qui dedit, & cum exiſtit conditio nuptiarum jam heredis dominium eſt, a quo diſcedere non poteſt eo invito: quod ſemel noſtrum eſſe cœpit, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt; *l. id quod noſtrum*, *de R. J.* & dominium rerum non potuit manere in pendenti; *l. pen.* §. *ult.* infr. *de caſtrenſ. pecul.* ubi dixi in *Tryphoninum*. Sed benignius eſt favore dotium, heredem compelli conſentire ei, quod defunctus fecit, etſi abſit, vel in mora ſit, etiam eo invito, dominium ad maritum ipſo jure transfertur ſine traditione, ne mulier maneat indotata, ex *h.* §. In ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt; *l. in ambiguis*, inſr. *h. tit.* Et dotis datio intelligitur facta eo tempore, in quod confertur; *l.* † *Stichus*, *de manumiſſ. teſtam. l.* 4. C. *de donat. ant. nupt.* Dos data ea mente intelligitur, ut quandocumque ſecutis nuptiis in dote eſſet.

† V. ſi facit. Et add. *l.* 32. §. 22. *de don. int. vir.* & *uxor.* & *l.* 97. §. 2. *de V. O.*

§. † *dotis*, §. *ceterum*.

DOtis cauſa data accipere debemus quæ in dotem dantur † ex *h.* §. *dotis*. Quæ dantur extra dotem, ut ea quæ Græci παράφερνα, quæ Galli peculium appellant, quaſi proprium peculium & patrimonium mulieris; tamen efficiuntur mariti, ſi id actum ſit, & ſoluto matrimonio non vindicantur, ſed condicuntur condictione ob cauſam dati, quæ eſt privilegiaria inter perſonales actiones, id eſt inter chirographarios creditores; *l. ſi ſponſa*, infr. *h. tit. l. quæſitum*, §. *ult. de reb. auctor. judic. poſſid.* nec petuntur actione de dote, quia non eſt dos, nec actio de dote. Et hoc ex reſcripto D. Marci Severi & Antonini. Sed ſi res marito detur extra dotem in libellum collatæ, ut vulgo Romæ fieri ſolebat, adhibita ſubſcriptione mariti, ut ſit loco chirographi apud mulierem, traditione non transfertur dominium in maritum, quia non traduntur dominii transferendi cauſa, ſed ut ex libello ſubſcripto a marito appareat res illatas in domum mariti. Et ſi cuſtodiæ cauſa res depoſitæ ſunt apud maritum, mulieri datur actio depoſiti, vel mandati: & ſi maritus ea retineat animo amovendi, mulieri datur actio rerum amotarum; vel actio ad exhibendum, ut res exhibeantur, & exhibitæ vindicentur, ſi maritus non habuit animum amovendi † ex *h.* §. *ceterum*.

L. 10. *in pr.* & §. 1.

DOs conſiſtit in rebus æſtimatis, vel non æſtimatis. Hoc intereſt, quod dotis inæſtimatæ periculum ad mulierem pertinet. Dotis æſtimatæ ad maritum, etiam ſi uſu uxoris deterior facta ſit, pura ſi animalia, pecora vel jumenta in dotem data, vel veſtis, qua mulier utitur, & uſu uxoris detrita ſit, ex *h. l.* & *l. cum poſt*, §. *pen.* infr. *h. tit. l. quotiens*, *l. cum dotem*, C. *eod. l. mortis ſuæ*, §. 1. *de don. int. vir.* & *uxor. l. pen.* §. *ſi mancipia*, *ſolut. matrim. l. un.* §. & *cum lex*, C. *de rei uxor. act.* plerumque veſtis erat in dote æſtimata mulieris, ne uſu uxoris conſumeretur periculo mulieris; Auguſtin. libr. 5. contra Julianum, (cap. 2. num. 7.) *Quis enim doctus, vel indoctus ignoret, quas perizomata contegant corporis partes? quod nomen tegminis etiam in feminarum dotibus frequentari & æſtimari ſolet.* Ideo plerumque intereſt viri res non eſſe æſtimatas, ne periculum rerum ad eum pertineat.

§. *ſi*

§. *ſi ſervi* .

PArtus ancillæ dotalis inæſtimatæ non cedunt lucro mariti ; ſed pertinent ad uxorem , quaſi pars dotis , ex *h.* §. *l. in his rebus* , §. *mancipia* , *ſolut. matrim. l. unic.* §. *cumque ex ſtipulatu* , *C. de rei uxor. act.* quia partus ancillæ non eſt in fructu ; *l. in pecudum* , ſupr. *de uſur.* Et hoc eſt quod intelligitur his verbis : *Si ſervi ſobolem ediderunt* ; maſculinum enim concipit femininum ; *l. equis* , *de uſur. l. ſi aliena* , §. *Scævola* , *de uſucap. l. qui vas* , §. *ex furtivis* , *de furt.* Partus dotalium ancillarum , id eſt non æſtimatarum , quæ proprie dotales ſunt , ſunt portio dotis , & pertinent ad uxorem , & ideo fruſtra paciſcuntur vir & uxor , ut inter virum & uxorem communes ſint ; *l. cum poſt* , §. *ult.* infr. *h. tit.* nec videtur dos reſtitui , niſi partus ancillarum reſtitutus ſit ; *l. ſi marito* , §. *ult.* infr. *ſolut. matrim.* Tamen ſi poſt æſtimationem dotis actum ſit inter conjuges , ut res ipſæ extantes , & ancillæ, quæ erant dotales , cum partu reſtituantur, quo tamen caſu res erant periculo viri , valet pactio , vel ſtipulatio ; *l.* 1. *C. ſolut. matrim.*

§. *ſed fœtus* .

FŒtus dotalium pecorum ad maritum pertinent , quia ſunt in fructu , ita ut gregem ſuppleant, & in locum demortuorum capitum alia ex agnatis ſubmittat , quia fructus dotis ad eum pertinent propter onera matrimonii , ex *h.* §. & *l. dotis* , ſupr. *h. tit.*

§. *ſi ante* .

ÆStimatio dotis ante nuptias habet tacitam conditionem , ſi nuptiæ ſequantur , ſecutis nuptiis perficitur , & fit vera venditio , & ex ea datur actio empti venditi ; *l. ex conventione* , *C. de pact.* Dos non eſt ante nuptias, ſic æſtimatio dotis ante nuptias habet tacitam conditionem , ſi nuptiæ ſequantur , & ſecutis nuptiis vera fit venditio , ex *h.* §. & *l. ſtipulationem* , *h. tit.* Æſtimatio dotis pro venditione habetur , quia ſicut venditione & traditione dominium transfertur , ſic dote æſtimata , commodum & periculum ad virum pertinet, quaſi ad emptorem ; *l. cum poſt* , §. † *penult. h. tit. l. æſtimatæ* , *ſoluto matrim.* Et ſoluto matrimonio vir non tenetur reſtituere rem , ſed liberatur præſtando æſtimationem ; *l.* 5. † & 10. *C. h. tit.* Dotis æſtimatio ante nuptias habet tacitam conditionem , ſi nuptiæ ſequantur, ideoque nuptiis non ſecutis , res ipſa repetitur , non æſtimatio ; *l. in rebus* , infr. *h. tit.*

§. *inde quæri* .

ÆStimatio dotis habet tacitam conditionem , ſi nuptiæ ſequantur; §. *prox.* ſupr. *h. tit.* inde ſi mancipia dotis cauſa æſtimata ante nuptias interim perierint , periculum eſt mulieris , quia cum æſtimatio dotis ante nuptias ſit conditionalis venditio , & pendente conditione morte ſecuta extinguatur venditio , conſequens eſt dicere , res mulieri periiſſe, quia nondum adimpleta erat . Æſtimatio dotis eſt vera venditio , ſecutis ſc. nuptiis : obligatio conditionalis deficiente conditione extinguitur ; *l. quotiens* , *de novat.*

Digitized by Google

§. *ult.*

SI res æſtimatæ in dotem datæ ſint, verum convenerit, ut aut æſtimatio, aut res præſtentur, ſi quidem adjectum fuerit, utrum mulier velit, electio eſt mulieris: verum ſi adjectum fuerit, utrum maritus velit, electio eſt mariti: & ſi de electione nihil dictum ſit, electio eſt mariti utrum rem præſtet, an pretium; nam in alternativis obligationibus electio eſt debitoris, ex *h.* §. *&* *l. quemadmodum*, §. *ſi debitori*, infr. *h. tit. l.* 2. §. *Scævola*, *de eo quod cert. loc. l. ſi in emptione*, §. *ſi emptio*, *de contrah. empt. l. adigere*, §. *ult. de jur. patron.* §. *ſi quis agens*, *verſ. huic autem*, *inſt. de act.* ſed ſi maritus rem non præſtet, omnino æſtimationem præſtabit, ex *h.* §. Cum illud aut illud promittitur, utrumque eſt in obligatione, alterum in ſolutione; *l. ſi duo rei*, *de V. O.* Sed ſi ſimpliciter conventum ſit, ut res æſtimatæ in dotem datæ reddantur, ſoluto matrimonio, æſtimatio non fit venditio, ſed taxatio rerum; *l. cura poſt*, §. † *antepenult.* infr. *h. tit.* Taxatio eſt æſtimatio, quæ fit non vendendi cauſa, ſed ut ſciatur quanti res ſit, ut taxatio expenſarum litis; *l. terminato*, *C. de fruct. & lit. expenſ.* Auguſtin. epiſt. 201. (al. 90.) *De damnis facilis poteſt haberi taxatio, tantum ſupplicia deprecamur.* Uti æſtimatio, quæ fit non emendi, ſed dividendi animo, non facit emptionem, nec transfert periculum in adjudicatarium; *l. ſervos*, *famil. erciſc.*

L. 11.

SI convenerit ſimpliciter, ut res æſtimatæ in dotem datæ ſoluto matrimonio præſtentur, aut æſtimatio, electio eſt mariti, utrum rem præſtet, aut æſtimationem; §. *ult. l. prox.* ita ut deteriorem factam reddere poſſit, id eſt ut liberetur reddendo etiam deteriorem factam, ex *h.* † *l.* quod caute intelligendum eſt, ſi deterior facta ſit ſine dolo & culpa mariti, vel ſi mavis, deeſt negativa, ita ut res deterior facta reddi non poſſit, quia æſtimatio dotis eſt venditio, quæ periculum transfert in maritum, velut in emptorem. Si rebus æſtimatis in dotem datis convenerit, ut res ipſæ reſtituantur, ſi res extent reſtituuntur, quod ſi res non extent æſtimatio præſtatur; *l. æſtimatis*, infr. *ſolut. matrim.* Si convenerit, ut eædem res, quæ in dotem æſtimatæ datæ ſunt, ſoluto matrimonio reddantur, eædem quoque licet deteriores factæ reddendæ erunt, ſed ita tamen, ut deteriorationis ratio habeatur, hoc eſt, ut quod propter ſecutam deteriorationem deeſt conventæ æſtimationi, per maritum ſuppleatur; *l. ſi inter*, *C. h. tit.* Pugnat *l.* 1. §. *ſi res* 16. *depoſit.* ſi res depoſita deterior reddatur, agi poteſt depoſiti, quaſi reddita non ſit, cum deterior redditur: ſed hoc ſpeciale eſt in depoſito, propter fidem depoſiti.

L. 12.

SI res ab initio æſtimata in dotem data, poſt contractum matrimonium, donationis cauſa viliore pretio æſtimata adprobetur, id eſt probetur, nulla eſt æſtimatio, quia nec venditio, viliore pretio facta, conſtante matrimonio donationis cauſa valet inter virum & uxorem. Res igitur æſtimata in dote remanet: ſed ſi ante matrimonium res viliore pretio fuerit æſtimata donationis cauſa, donatio collata videtur in tempus nuptiarum, & ideo non valet. Dotis datio vel æſtimatio dotis cauſa confertur in tempus nuptiarum, habet tacitam conditionem, ſi nuptiæ ſequantur; *l. plerumque*, §. *ſi ante*, ſupr. *h. tit.* Et ideo non valet, quia confertur in id tempus, a quo incipere non poteſt; *l. exiſtimo*, *de V. O.* cum in venditione quis pretium rei ponit, donationis cauſa non exacturus,

Digitized by Google

rus, non videtur vendere ; *l. cum in venditione*, *de contrah. empt.*

§. *ſi mulier*.

SI mulier circumventa eſt in hoc ipſo, quod rem aliquam in dotem dedit, puta ſervum actorem, qui habebat notitiam rerum ; *l. lex quæ*, *C. de adm. tutor.* morte viri, vel divortio ſoluto matrimonio, mulieri datur actio ex ſtipulatu de dote, ut ſervum repetat. Quod ſi mulier circumventa ſit in modo æſtimationis, quia rem minoris æſtimavit, electio eſt mariti, utrum præſtet juſtam æſtimationem, an rem. Et hoc ſi res extat, puta ſi ſervus in dotem datus vivit : quod ſi res non extat, maritus liberatur præſtando eam æſtimationem quæ facta eſt, quia boni conſulere mulier debet, quod res fuit æſtimata, quia dotis non æſtimatæ periculum pertinet ad mulierem ; *l. plerumque*, §. † *inde quæri*, ſupr. *h. tit.* Idemque probatur & in minore circumventa. Plane ſi mulier tempore æſtimationis emptorem habuit juſti pretii, tunc juſta æſtimatio præſtanda eſt, idque dumtaxat minori 25. annis conceditur ; quod ſi mulier dolo mariti circumventa ſit in æſtimatione dotis, maritus tenetur præſtare juſtam æſtimationem.

§. *ult.*

SI mulier nuptura debitori pacta ſit, ut maritus in dotem habeat id quod debet ex mutuo, morte viri vel divortio ſoluto matrimonio, mulier actione de dote agere poteſt, id eſt actione de dote poteſt repetere debitum de quo pacta eſt, ut in dote eſſet, licet enim maritus ipſo jure priore obligatione liberatus non ſit, novatione ſc. jure facta, quia pactum non novat obligationem, non parit obligationem & actionem, ſed exceptionem tantum ; *l. juris gentium*, §. *ſed cum nulla*, *de pact.* tamen maritus conventus ex priore obligatione mutui, exceptionem habere poteſt, poteſt ſe tueri exceptione pacti, ex *h.* §. & *l. ſi ſponſalibus*, §. *ſi mulier*, inſr. *h. tit.*

L. 13.

SI mulier poſt divortium antequam de dote agat, & dotem repetat, ad eundem virum reverſa ſit, & poſtea de dote agat actione ex ſtipulatu de dote, repellitur exceptione doli, quia dos repeti non poteſt quouſque matrimonium conſtat, ex *h. l.* quia ſi mulier calore offenſæ diſceſſerit a viro, & brevi redeat, nec divertiſſe videtur ; *l. quidquid*, *de R. J.* pœnitentia dos redintegratur, idem matrimonium, eadem dos manet, non divortium, ſed friguſculum, ſeu jurgium fuiſſe videtur, dos quaſi renovatur ; *l. quod ſi.* 31. *l. divus*, infr. *h. tit. l. pen.* §. † *uxor*, *ſolut. matrim. l. plerique*, *de rit. nuptiar.* niſi extraneus pro muliere dotem dederit, & ſtipulatus ſit dotem reddi ſoluto matrimonio, hoc caſu ſtipulatio de dote reddenda ab extraneo ſoluto matrimonio ſtatim committitur, nec redintegratur redintegrato matrimonio ; *l. ſtipulatio*, † inſr. *h. tit.* Alias ſi poſt diem mulier alii nupſerit, & poſtea ad priorem virum redierit, dos tacite redintegratur ; *l. poſt divortium*, inſr. *h. tit. l. pen.* §. † *uxor*, *ſolut. matrim.*

L. 14. & 15.

DOtis æſtimatæ periculum non pertinet ad maritum, niſi a die traditionis, niſi maritus ſit in mora accipiendi, ex *his ll.* Si mulier rem æſtimatam in dotem dederit, id eſt dare promiſerit, & poſt moram in traditione ea in rerum natura eſſe deſierit, non habet actionem de dote, quia dotem facit numeratio, non cautio ; *l.* 1. *C. de dot. caut. non numer.* niſi maritus ſit in mo-

ra accipiendi, quia poſt moram emptoris in accipiendo, periculum pertinet ad emptorem, ut *hic & l. illud*, † ſupr. *de peric. & commod. rei vendit.*

L. 16.

DOtis æſtimatio vera venditio eſt *; l. plerumque*, §. *ſi ante*, ſupr. *h. tit.* non ſimplex venditio, ſed venditio dotis cauſa. Hoc intereſt inter venditionem ſimplicem & venditionem dotis cauſa, quod evicta re vendita, ſi emptor actione ex empto duplum conſecutus ſit, id emptor habet pleniſſimo jure, nec umquam reſtituit venditori: at quoties res æſtimata in dotem datur, evicta ea, maritus actione ex empto contra uxorem agere poteſt, & quidquid eo nomine fuerit conſecutus, ſoluto matrimonio id reſtituit uxori, quia æſtimatio dotis, non eſt ſimplex venditio, ſed venditio dotis cauſa, ex *h. l. & l.* 1. *C. h. tit.* Item quod venditio facta viliore pretio non reſcinditur, niſi ſi ſit ultra dimidiam juſti pretii *; l.* 2. *C. de reſc. vendit.* at in dote æſtimata, marito ſuccurritur, etiam ſi læſio ſit infra dimidiam juſti pretii *; l. jure*, §. *ult. h. tit. l.* 6. *C. ſolut. matrim.* Cujac. 16. *obſerv.* † 18. & 17. *obſ.* 1.

L. 17.

DOtis æſtimatæ periculum pertinet ad maritum, quaſi emptorem, quia dos æſtimata pro vendita habetur *; l. ſi rem*, *& ſeq.* ſupr. *h. tit.* In rebus dotalibus inæſtimatis, quæ proprie dotales ſunt, maritus præſtat dolum & culpam, & diligentiam, quam ſuis rebus adhibet, quia ſua cauſa dotem accepit, id eſt propter onera matrimonii, quæ ad maritum pertinent, ex *h. l. & l. mulier*, §. 1. infr. *h. tit. l. etiam*, *l. ſi conſtante*, §. *ſi maritus*, *l. in his rebus*, infr. *ſolut. matrim.* Dotis cauſa eſt oneroſa, non lucrativa, quia dos datur propter onera matrimonii, ideo maritus, cum dotem petit, creditoris vel emptoris loco quodammodo habetur *; l. ex promiſſione*, infr. *de oblig. & act.* Creditoris, quia debitum ex cauſa oneroſa petit: creditores accipiuntur, quibus ex quacumque cauſa debetur *; l. creditores*, *de V. S.* Emptoris, quia pro emptore habetur qui dotem etiam inæſtimatam accipit propter onera matrimonii *; l. ſicut*, §. *ſed ſi permiſerit*, *quib. mod. pign. vel hypoth. ſolvat.*

§. *ſi res.*

SI res æſtimatæ in dotem datæ ſint ante nuptias, æſtimatio rata eſt ſi nuptiæ ſequantur: æſtimatio dotis facta ante nuptias habet tacitam conditionem, ſi nuptiæ ſequantur *; l. plerumque*, §. *ſi ante*, ſupr. *h. tit.* Nuptiis non ſecutis res repetitur condictione ob cauſam dati, non pretium ſeu æſtimatio, quia id actum videtur, ut ita demum æſtimatio rata ſit, ſi nuptiæ ſequantur, nec enim fuit alia cauſa contrahendi.

L. 18.

DOtis æſtimatæ periculum pertinet ad maritum, ex *h. l. & ſeq. & l. ſi rem*, ſupr. *h. tit.* Si maritus mancipia æſtimata in dotem acceperit, (nubentibus ſervi vel ancillæ dabantur præter dotem, ut *hic*, *& l. ſervum dotalem*, infr. *de manumiſſ. l. ult. C. de ingen. manumiſſ.* Plaut. in aſinar. (1. 1. 72. & ſeq.)

Dotalem ſervum Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu ſit, quam tibi.

Tertullian. de reſurrect. carn. cap. 63. *Nam etſi animam quis contenderit ſponſam*,

ſam , vel dotis nomine ſequitur animam caro . Non erit anima proſtituta , ut nuda ſuscipiatur a ſponſo . Habet inſtrumentum , habet cultum , habet mancipium ſuum carnem .) Si maritus , inquam , mancipia æſtimata in dotem acceperit eo pacto , ut divortio ſecuto tantidem æſtimata reddantur , partus ancillæ interim editus manet apud maritum, quia mancipia æſtimata fuerunt periculo mariti ; ex *h. l. & l. pen.* §. *mancipia* , infr. *ſolut. matrim.* Pugnat *l.* 1. C. *eod.* ex qua poſt æſtimationem dotis , pactione vel ſtipulatione interpoſita, ut ſoluto matrimonio res ipſæ æſtimatæ, ſi extent , reddantur , & ancillas cum partu ex ſtipulatu judicio reſtitui oportet . Sed hoc ſpeciale eſt , quia pactione , vel ſtipulatione actum erat , ut ancillæ cum partu redderentur , vel ut eſſent periculo viri . Et electio erat mariti , res ipſas deteriores factas , vel æſtimationem reſtituendi, ut notat Accurſius.

L. 19.

MAritus de dote obligatur, ſive ipſi data ſit , ſive alii juſſu mariti, ex *h. l. l. ſi nuptura , in pr. de fund. dotal. l. ſi cum dotem ,* §. *transgrediamur , ſolut. matrim.* Res mihi tradita videtur , ſi juſſu meo tradita ſit alii ; *l.* 1. §. *ſi juſſerim* , infr. *de adquir. poſſeſſ.*

L. 20.

STipulatio, cum morieris dotis nomine tot dari, valet, quia valet & conventio , ne a viva dos exigatur: quæ duo valde differunt , nam aliud eſt differri exactionem dotis , aliud conferri ſtipulationem dotis in id tempus , quo matrimonium futurum non ſit , ex *h. l. & l. ſi pater mulieris* , infr. *h. tit.* Ratio dubitandi erat , promiſſio ſeu ſtipulatio dotis non poteſt conferri in id tempus, quo matrimonium ſolvetur: dos nulla eſt, quæ non ſervit oneribus matrimonii ; *d. l. ſi pater mulieris* . Stipulatio cum morieris dari ſpondes , valet , quia ab herede promittentis impleri poteſt ; *l. quodcumque* , infr. *de V. O. l. ult. C. de contrah. & committ. ſtipulat.* §. *poſt mortem* , *inſt. de inutil. ſtipulat.* Item valet conventio, ne a ſocero dos exigatur ; *l. ob res* , §. *ult. de pact. dotalib. l. ſi ſocer* , §. *Lucius* , *ſolut. matrim.* Titio cum morietur uſusfructus inutiliter legatur, quia confertur in id tempus, quo a perſona diſcedere incipit; *l. Titio cum morietur* , *de uſufruct.* ſic libertatis legatum non poteſt conferri in id tempus, a quo incipere non poteſt ; *l. Stichus* 39. *de manumiſſ. teſt.*

L. 21.

STipulationi dotis cauſa ineſt tacita conditio , ſi nuptiæ ſequantur , ex *h. l. & l. promittendo* , §. 1. *l. in rebus* , §. *ſi res* , *l. non enim* , *h. tit.* Et ita demum actione ex ſtipulatu de dote agitur , quamvis non ſit expreſſa conditio, ſi nuptiæ ſequantur, id eſt quamvis non ſit dictum , pecuniam vel rem dotis cauſa dari, ſi nuptiæ ſequantur . Quare nuntio repudii miſſo , conditio ſtipulationis defeciſſe videtur, ex *h. l. & l. plerumque* , §. *ſi ante* , ſupr. *h. tit. l. quod Servius* , *de condict. ob cauſ. dat. & l.* 4. §. *hujus rei* , ſupr. *de pact.*

L. 22.

ET ſtipulatio ſemel defecta non convaleſcit, licet poſtea eidem nupſerit, ex *h. l. & l. ſi ſponſalibus , in pr.* infr. *h. tit.* quia obligatio ſemel extincta non reviviſcit ; *l. Mævius* , §. 1. *de legat.* 2. *l. qui res* , §. *aream* , *de ſolut.* maxime ſi aliæ nuptiæ mediæ intervenerint ; *l. ſi ſponſalibus , in pr.* infr. *h. tit.*

L. 23.

IN ſtipulatione, vel datione dotis cauſa, non eſt neceſſaria dotis adjectio, ex *h. l.* Si mulier nuptura promittat vel det centum viro futuro, licet non dicat pro dote, intelligitur pro dote dare, quia non poteſt intelligi alio titulo dare vel promittere, ne ſit indotata; *l. divus*, infr. *h. tit.* & melior interpretatio non poteſt aſſumi, quam quod datur vel promittitur dari titulo dotis; *l. dotem*, infr. *h. tit.* Quod nubenti filiæ pater dat ſimpliciter, in dotem dare videtur, cum patris officium ſit dotare filiam; *l. qui liberos*, *al. l.* 19. *de rit. nupt. l. ult. C. de dot. promiſſ.* Auguſtinus quæſt. in exod. cap. 78. (num. 3.) *Secundum juſtificationem filiarum faciet ei, id eſt ut ſic tradat tanquam filiam, dotem ſcilicet apponens ei*. In dubio præſumitur potius ſe liberare velle, quam donare; *l.* *) 1. 2. 3. infr. *de ſolut.* Et ſi mulier omnia ſua bona marito dederit, cenſetur dotis cauſa dediſſe, & mulier nubendo nulla dote dicta, cenſetur omnia bona ſua in dotem dediſſe; *gloſſ. in l. mulier bona*, infr. *h. tit.* Guid. Pap. *qu.* 468. *& ſeq.*

L. 24.

SI filiaſ. quæ habebat liberam adminiſtrationem peculii, ex peculio dotem viro dederit, deinde cum in eadem cauſa, id eſt in cauſa dotis, peculium eſſet, divortium fecerit, dos ei recte ſolvitur, quaſi a quolibet peculiari debitore, ex *h. l.* quia filius, qui habet liberam adminiſtrationem peculii, ſolutum accipere, novare, contrahere poteſt, donare non poteſt; *l. ſi unus*, *in pr. l. contra*, §. *ſi filius*, *de pact.*

L. 25. 26. 27.

DOs conventione permutari poteſt de re in rem, vel de pecunia in rem, dummodo permutatio ſit in rem uxoris, ex *l.* 25. 26. *&* 27. *l. quæ fundum*, *l. ult.* infr. *h. tit. l.* 7. *de tut. dat.* quia dotis conditio pactis deterior fieri non poteſt; *l. de die*, *& ſeqq. l. ſi mulier*, *de pact. dotalib.*

L. 28.

POſt nuptias pater non poteſt deteriorem conditionem filiæ in dote facere: puta ſoluto matrimonio dos invita filia patri reddi non poteſt, ex *h. l.* & pater poſtquam dotem dedit, non poteſt ex intervallo ſtipulari dotem ſibi reddi, niſi conſentiente filia, quamvis in poteſtate ſit; *l. cum dos*, *de pact. dotalib. l. quotiens*, *ſolut. matrim.* Pater ſoluto matrimonio non poteſt dotem repetere ſine conſenſu filiæ, quia dos eſt proprium patrimonium mulieris, niſi abſente filia, præſens enim & tacens conſentire videtur, ſi pater caveat rem ratam filiam habituram; *l.* 2. *ſolut. matrim. l. non ſolum*, §. *ſi de dote*, *de procur.* Si pater dotem dederit filiæ, non poteſt eam repetere conſtante matrimonio, ne conſentiente quidem filia: ſoluto matrimonio eadem invita dotem repetere non poteſt; *l. filia*, *C. ſolut. matrim.* Dos ſemel data filiæ, non poteſt adimi, vel minorari: dos ante & poſt nuptias dari poteſt, & conſtante matrimonio augeri poteſt, quia dotis datio non eſt donatio, ſed repenſatio onerum matrimonii; *l. inter ſocerum*, §. *cum inter*, *de pact. dotalib. l.* † 2. §. *creditum*, *de reb. credit. l. ſi conſtante matrimonio*, *C. de don. ant. nupt.* Dos promiſſa filiæ non reſolvitur per emancipationem; *l. ſi pater* 44. infr. *h. tit.* Dos non poteſt ſubſtitutione, vel fideicommiſſo gravari; *l. pater filiam*, *ad l. falcid. l. a filia*, *ad Trebell.* nec poteſt adimi per exheredationem; *l. unic.* §.

vi-

videamus, *C. de rei uxor. act.* Dos filiæ ſemel data in priore matrimonio, non poteſt minui, niſi caſu lapſis facultatibus; *auth.* † *ſed quamvis*, *C. eod. tit. de rei uxor. act.*

L. 29.

SI pater dotem pro filia promiſerit, & poſtea teſtamento dotem legaverit, ſi quidem marito legavit, legatum non valet, quia ſi creditori legetur id quod debetur, nullum eſt legatum, niſi amplius ſit in legato, quam in debito, ut *hic*, *& l. ſi creditori*, *de legat.* 1. *l. ſi deportati*, §. *ſi quis creditori*, *de legat.* 3. Quod ſi filiæ legaverit, legatum valet; dos enim ex promiſſione marito debetur, legatum filiæ ex teſtamento ex cauſa legati, ſi filia probaverit teſtatorem legaſſe eo animo, ut duplicaret legatum, ut utrumque præſtaret dotem & legatum. Cum pater dotem pro filia promiſit, & dotem legavit filiæ, non aliter utrumque debetur filiæ, quam ſi probaverit, voluntatem teſtatoris fuiſſe, ut utrumque præſtaret dotem & legatum, quia non eſt veriſimile teſtatorem duplici præſtatione heredem onerare voluiſſe; *l. Titia*, §. *qui invita*, *de legat.* 2. *l. ſi cum dotem*, §. *ſi pater*, *ſolut. matrim.* Quod ſi probetur, teſtatorem alterutrum præſtari voluiſſe, dotem vel legatum, ſi mulier legatum petat, repellitur exceptione doli, nec alias cogitur heres legatum ſolvere, quam ſi caverit mulier de indemne eo nomine herede præſtando adverſus maritum agentem ex promiſſione dotis, ut *hic*. Et hoc eſt qod dicitur in *l. hujusmodi*, §. *cum pater*, *de legat.* 1. cum pater pro filia centum dotis nomine promiſit, deinde eadem centum ei legavit, ſi heres conveniatur utriusque nomine, tuetur ſe exceptione doli, convenire enim inter conjuges oportet, ut alterutra actione contenti ſint: ſed ſi maritus prius agat, non tenetur cavere heredi de indemnitate præſtanda: verum ſi poſtea mulier agat, repellitur exceptione doli, quia ſemel dos præſtita eſt, ex *h. l.* Si dotem ab alio promiſſam maritus ab uxore dari ſtipuletur, dos non duplatur, ſed fit novatio obligationis, ſi hoc actum eſt; *l. ſi Stichum*, §. *ult. de novat.*

L. 30. 31.

POſt divortium redintegrato prioré matrimonio, dos, quæ in prius matrimonium data eſt, non aliter convertitur in poſterius matrimonium, quam ſi hoc actum ſit, dum hoc agi ſemper interpretemur: in dote ſemper ea interpretatio aſſumitur, quæ pro dote ſavorabilior eſt; *l. in ambiguis*, infr. *h. tit.* niſi probetur aliud conveniſſe, niſi nominatim aliud actum ſit. Honeſta interpretatione creditur hoc actum, ut redintegrato matrimonio dos tacite redintegretur, redintegrato matrimonio, dos tacite redintegrata intelligitur ex voluntate mulieris, quæ utique non indotata redire in matrimonium voluit, id eſt voluiſſe creditur; *l. divus*, infr. *h. tit. l. ſi donaturus*, *de condict. cauſ. dat. l.* 5. §. *pen. de dol. & met. except.* quod verum eſt etiam ſi poſt divortium mulier alii nupſerit & poſtea ad priorem virum redierit; *l. poſt divortium*, infr. *h. tit. l. pen.* §. *uxor*, *ſolut. matrim.* Et hoc verum eſt ſi poſt divortium mulier in matrimonium redierit, nondum revocatis inſtrumentis dotalibus prioris matrimonii; *d. l. divus*, id eſt nondum ſoluta & reddita dote; *l. plerique*, *de rit. nuptiar.* Et redditis inſtrumentis dotalibus, quæ ſoluta dote reddebantur. Solutio probatur redditione chirographi, vel cautionis; *l.* 2. §. 1. *de pact. l. pecuniæ*, *C. de ſolut.* Idem verum eſt ſi poſt divortium maritus de dote reddenda non caverit, & cum alli nupſiſſet medio tempore, poſtea ad priorem virum redierit; *l. poſt divortium*, infr. *h. tit.* Et hoc verum eſt ſi verum divortium interceſſerit, redintegrato matrimonio dos tacite redintegratur, niſi nominatim aliud actum ſit; quod ſi non divortium, ſed friguſculum ſeu frivuſcu-

lum id eſt jurgium fuit inter virum & uxorem, dos non cenſetur reſtituta; immo dos ejuſdem matrimonii manet, etiam ſi aliud actum ſit, puta ne eadem dos maneret, quia dotis conditio pactis deterior fieri non poteſt; *l. Attilicinus*, infr. *de pact. dotalib. l. ſi unus*, *§. pactus ne peteret*, *de pact.* Redintegrato matrimonio dos tacite redintegratur, idem matrimonium eadem dos permanet, ſi intra non multum tempus mulier reconciliata ſit viro, & res ſit integra, id eſt nec dos reddita, nec mulier alii nupſerit, vel vir aliam duxerit; *d. l. pleriqne.*

L. 32.

SI maritus ex lapidicinis fundi dotalis lapidem, vel arbores, quæ fructus non eſſent, id eſt majores arbores, quæ non ſunt in fructu, vel ſuperficiem ædificii dotalis voluntate mulieris vendiderit, nummi ex venditione redacti ſunt dotis, non cedunt lucro mariti, ſed imputantur in dotem, ex *h. l.* Quod ſi maritus in fundo dotali lapidicinam marmoream invenerit, & aperuerit ſuo ſumptu, & fundum fructuoſiorem fecerit, ut ii lapis ibi creſcat, marmor cæſum cedit lucro mariti, & maritus impenſas repetit a muliere: quod ſi maritus fundum deteriorem fecerit, eo nomine tenetur, nec ſumptuum rationem inducere poteſt; *l. fructus*, *§. ſi vir*, *ſolut. matrim. l. ult. de fund. dotal.* Quod ſi fundus in dotem datus ſit, in quo inſtituta erat lapidicina, lapidicinæ commodum ad maritum pertinet, quaſi fructus, niſi mulier in dando fundo id ſibi receperit; *l. ſi fundus*, *ſolut. matrim.* Quod ſi maritus e fundo dotali arbores deciderit, quæ ſunt in fructu, puta arbores cæduas vel cremiales, cedunt in fructum. Quod ſi maritus fundum deteriorem fecerit, tenetur actione de dote: ſicut arboribus vi tempeſtatis dejectis, earum pretium non cedit lucro mariti, ſed mulieri reſtituitur actione de dote; *d. l. fructus*, *§. ſi fundum*. Res emptæ ex pretio rei dotalis venditæ ſunt dotales, ſi emptæ ſint voluntate mulieris, & hoc caſu res emptæ ex pecunia dotali dicuntur videri dotales; *l. res quæ*, infr. *h. tit.* Alias res empta ex pecunia dotali, non eſt dotalis; *l. ex pecunia*, *C. h. tit. l. ult. C. de ſerv. pign. dat. manumiſſ.* Lex *Julia* de fundo dotali non alienando non pertinet ad res mobiles, maritus poteſt alienare res dotales mobiles ſi ſit ſolvendo, puta ſuperficium prædii dotalis poteſt alienari voluntate mulieris, ex *h. l.* quia ſuperficium, id eſt ædificium impoſitum ſolo, non eſt res ſoli, ut obſervat Cujac. † 17. *obſ.* 2. vel quia venditio ſuperficii non eſt alienatio, & domino ſoli pro eo præſtatur ſolarium. Maritus etiam poteſt manumittere ſervos dotales; *l. etſi dotis*, *C. h. tit. l. 1. C. de ſerv. pignor. dat. manumiſſ. l. ſervum dotalem*, infr. *de manumiſſ.*

L. 33.

SI extraneus dotem promiſit, iſque defectus ſit facultatibus, marito imputatur cur eum non convenerit, & urſerit ad ſolutionem, maxime ſi ex neceſſitate non ex voluntate promiſerit, puta ut debitor mulieris. Quod ſi extraneus dotem promiſit donandi cauſa, utcumque parcendum marito, qui eum non præcipitavit ad ſolutionem, qui donavit, & qui ſi conveniretur, teneretur tantum in id quod facere poſſet, ex reſcripto D. Pii, ut *hic*, & *l. qui ex donatione*, *de donat.* Et hoc verum eſt ſi conveniatur a muliere, nam ſi conveniatur a marito conſtante matrimonio, tenetur in ſolidum, cum maritus agat ex ſtipulatu, non ex cauſa donationis; *l. Neſennius*, *de re judicat.* quæ ita concilianda eſt cum *h. l.* Quod ſi pater vel ipſa mulier dotem promiſerint, ſi non ſint ſolvendo, periculum eſt mulieris, nec enim quiſquam judex propitiis auribus audiet mulierem dicentem, cur patrem, qui de ſuo dotem promiſerit, non urſerit ad ſolutionem, multo minus, cur ipſum non convenerit, ex *h. l.*

Quod

Digitized by Google

Quod ſi maritus ab eo, qui mulieri donare volebat, tot dotis nomine dari ſtipulatus ſit, deinde dotem acceptam fecerit, periculum eſt mariti, perinde enim eſt, ac ſi dotem acceptam fecerit, & eandem promiſſori donaverit; *l. vir ab eo*, infr. *h. tit. l. pen.* §. *ſi vir*, *ſolut. matrim.* Acceptilatio eſt vice ſolutionis. Si maritus ſine dolo & culpa dotem promiſſam non exegit, neque exigere potuit, quia conſtabat † debitorem non eſſe ſolvendo, non tenetur de dote, neque actione de dote, neque actione mandati, quaſi ceſſis actionibus traditione inſtrumenti debiti; *l.* † *Mævia*, infr. *ſolut. matrim.* Hodie poſt decennium dotis non exactæ periculum pertinet ad maritum; *auth. quod locum*, *C. de dot. caut. non numerat.*

L. 34.

PAter rem uxoris filiæ in dotem dare non poteſt, inſcia vel invita ea, ex *h. l.* quia paternum officium eſt dotare filiam; *l. qui liberos*, *al. l.* 19. *de rit. nupt.* Mater filiæ aurum utendum dederat ad ornatum, pater nubenti puellæ aurum appendit, id eſt appenſum in dotem dedit, inſcia vel invita uxore, mortua matre, id aurum vindicari poteſt ab herede ejus, quia id aurum manet matris, & omnino rem in dote eſſe non placuit, quia datum non videtur quod non fit accipientis; *l. non videntur data*, *de R. J.* & evicta dote, marito ſupereſt actio de evictione ex ſtipulatu adverſus ſocerum, ex *h. l.*

L. 35.

SI dotem a patre, vel alio quolibet promiſſam, vir novandi cauſa ſtipuletur dari, periculum deſinit eſſe mulieris, & incipit viri eſſe, ex *h. l.*

L. 36. 37.

DEbitor mulieris juſſu ejus pecuniam viro expromiſit, id eſt pro muliere pecuniam dotis nomine expromiſit, id eſt debitum in ſe recepit tamquam reus principalis, (Expromiſſor eſt, qui pro non obligato obligatur, tamquam reus principalis; *l.* † *& eleganter*, §. *ſervus pactionis*, *de dol. l. aliquando*, *in pr. ad Vellejan.*) deinde vir juſſu mulieris pecuniam acceptam fecit debitori. Multum intereſt, utrum dotis nomine, an ex alia cauſa expromiſerit: ſi dotis nomine expromiſit, & juſſu mulieris pecuniam acceptam fecerit, res mulieri perit, acceptilatio eſt vice ſolutionis. Multum intereſt etiam, utrum ante nuptias id factum ſit, an poſt nuptias; nam ſi poſt nuptias id factum ſit, dote jam conſtituta, maritus accepto ferendo perdit dotem, quoad ipſum debitorem ſc. non ut periculum dotis ejus ſit, cum non donandi animo acceptum fecerit, ſed exequendi mandati gratia: ſi autem ante nuptias, nihil videtur conſtitutum, perinde ac ſi nulla dos conſtituta ſeu data eſſet, quia acceptilatio juſſu mulieris facta diſſolvit & evacuat dotis promiſſionem, ex *l.* 36. Non enim alias mulieri perit actio in debitorem nuptiis ſecutis, quia non eſt dos ante nuptias, & ſi nuptiæ ſecutæ non ſint, debitor mulieri obligatus eſt, id eſt obligatus manet; *l.* 37.

L. 38.

SI vir dotem acceptam fecerit juſſu mulieris, res mulieri perit; *l. debitor*, ſupr. *h. tit.* quia mulier, quod juſſit marito acceptum ferre, obligatur mandati actione, & hoc ipſum in dotem convertitur. Mulier mandati judicio obligatur: & quod dicitur rem mulieri perire conſequens eſt; nam ſi mulier de dote agat, ipſa ſecum debet compenſare juſſum ſuum, id eſt repellitur oppoſita exceptione, ſi non juſſit accepto ferri. Effectus hujus exceptionis eſt,

Digitized by Google

quod mulier ipſa ſecum compenſare videtur juſſum cum dote.

L. 39.

INter ſervos non eſt connubium, ſed contubernium; *l.* 3. *C. de inceſt. nupt.* Inter ſervos non eſt connubium neque dos, ubicumque non eſt matrimonium, neque dos eſt. Dos ſine matrimonio eſſe non poteſt; *l.* † 3. *C. h. tit.* Si ſerva ſeu ancilla ſervo quaſi dote dederit, deinde conſtante conjunctione ad libertatem ambo pervenerint, non adempto eis peculio, & in eadem conjunctione permanſerint, quod velut in dotem tempore ſervitutis datum eſt, videtur tacite in dotem converſum, ut ejus æſtimatio mulieri debeatur, ex *h. l. & l. Proculus*, infr. *h. tit.*

† Corrige *l.* 3. *ff. h. tit.* & adde *l.* 20. *de donat. ant. nupt.*

§. *ſi ſpadoni*.

SI mulier nupſerit ſpadoni, diſtinguendum eſt, an fuerit caſtratus nec ne. In caſtrato non eſt matrimonium neque dos: in non caſtrato eſt matrimonium & dos & dotis actio, ex *h.* §. In caſtrato non eſt matrimonium, quia ſpem generandi non habet; *l.* 6. §. 1. *de liber. & poſth.* Nuptiæ contrahuntur liberorum ſuſcipiendorum cauſa; Plaut. in captiv. (4. 2. 109.) *Liberorum quærendorum cauſa ei, credo, uxor data eſt.* Auguſtin. de tempore ſerm. 244. (al. 292. in appendic. num. 3.) *uxor non propter libidinem, ſed propter filiorum procreationem accipitur. Denique & ipſæ tabulæ matrimoniales hoc continent, liberorum, inquit, procreandorum cauſa.*

L. 40.

SI mulier, quæ dotem dederat, poſt divortium rurſus ad prius matrimonium redeat, non revocatis inſtrumentis id eſt rebus omnibus integris, id eſt non reddita dote, neque redditis inſtrumentis dotalibus, dos quaſi renovatur, id eſt dos prior tacite redintegratur ex tacita voluntate mulieris, quæ non indotata redire in matrimonium voluiſſe intelligitur, ex reſcripto D. Severi, ex *h. l. l. ſi donaturus, de condict. cauſ. dat. l.* 5. §. *pen. de dol. & met. except.*

L. 41.

PRomittendo dotem omnes obligantur, cujuscumque ſexus conditioniſque ſint, ex *h. l. in pr.* Puta patre furioſo vel ab hoſtibus capto, ſi filia nubat, poteſt dotem ſibi conſtituere; *l. quotiens*, infr. *de pact. dotalib.* Si mulier pro filia, vel alia qualibet dotem promiſerit, non juvatur Vellejano; *l. ſi dotare, l. ult. C. ad Vellejan.* Mutus, ſurdus, cæcus, dotis nomine obligantur, quia & nuptias contrahere poſſunt; *l. mutus, in pr.* infr. *h. tit.* Lex ait, promittendo, ad differentiam dictionis dotis, nam dictione dotis tantum obligatur mulier quæ nuptura eſt, & debitor mulieris, ut parens, puta pater aut avus paternus: maternus dotem dicendo non obligatur; Ulpian. *in fragm. tit. de dotib.* Dotis dictio fiebat per ſtipulationem, decem tibi doti erunt; *l. ſi ei*, ſupr. *l. ſi pater*, §. 1. *l. quemadmodum*, §. 1. *l. nuptura*, infr. *h. tit.* v. Cujac. *ad l.* 2. §. *creditum*, *de reb. credit.*

§. 1.

DIxi ad *l.* 22.

§. ne-

§. *acceptilatione*.

ACceptilatione dos conſtituitur, ſi mulier, quæ nuptura eſt debitori, ei acceptum ferat quod debet dotis conſtituendæ cauſa, ex *h*. §. Acceptilatio ante nuptias interpoſita dotis conſtituendæ cauſa, non ſecutis nuptiis nulla eſt, & ſuo loco manet priſtina obligatio; *l. licet*, infr. *h. tit*. Obſtat *l.* † *ſi mulier, de condict. cauſ. dat*. ſi mulier, quæ erat nuptura, debitori ſuo pecuniam debitam acceptam fecerit cum dotem dare vellet, nuptiis non ſecutis recte pecuniam ab eo condicet, quia nihil intereſt utrum ex numeratione pecuniam ſine cauſa, an per acceptilationem dederit. Ergo acceptilatio non eſt inutilis, etiam ſi nuptiæ non ſequantur, & obligatio non manet ſuo loco, ex quo non ſecutis nuptiis mulieri neceſſaria eſt condictio ſine cauſa, vel integrum ei eſt agere priſtina obligatione. Obſervandum eſt quod ait *d. l. ſi mulier* cum dare vellet, id eſt cum ei eſſet animus ſtatim dandæ dotis ſponſo, ut feſtinaret nuptias. Igitur pecuniam, quam acceptam tulit, cum ei eſſet animus ſtatim dotem dare ſponſo, ſtatim ſponſo dediſſe videtur, & feciſſe accipientis, ſublata priſtina obligatione & converſa in cauſam dotis, ut jam ſi nuptiæ non ſequantur, non ſit ei integrum agere ex priſtina obligatione, quæ novata & ſublata eſt, ſed competat tantum condictio pecuniæ, quaſi cauſa non ſecuta. Si extraneus ſponſo mulieris debitori quod debet acceptum tulerit, dotis mulieri conſtituendæ cauſa, ſi donare in totum mulieri voluit, nuptiis non ſecutis mulier habet condictionem ſuo nomine: quod ſi extraneus debitori acceptum tulit, animo repetendi quoquo modo ſoluto matrimonio, non ſecuto matrimonio pecuniæ debitæ condictionem habet, quaſi cauſa non ſecuta; *d. l. licet*, §. *quotiens*. Et hoc intelligendum eſt, ſi eo animo acceptum tulit, ut debitor liberetur, ſi nuptiæ ſecutæ fuerint, nuptiis non ſecutis integra eſt actio ex priſtina obligatione, quaſi acceptilatione facta ſub tacita conditione, quæ non ſecuta eſt, vel neceſſaria eſt condictio ob rem dati: & hæc diſtinctio comprobatur arg. *l*. 7. §. *ult*. & *l*. 9. ſupr. *h. tit*.

§. *ſi a debitore*.

SI debitor mulieris juſſu ejus dotem viro promiſerit ſub conditione, & pendente conditione ſolvendo eſſe deſierit, periculum pertinet ad mulierem, non ad virum, quia non videtur id nomen ſecutus, id nomen agnoviſſe, antequam id exigere poſſet: quod ſi jam eo tempore, quo promiſit, ſolvendo non fuerit, idque maritus ſciverit vel ſcire potuerit, periculum pertinet ad maritum, qui ultro ſecutus eſt nomen minus idoneum, ex *h*. §. & *l. licet*, infr. *h. tit*. Bonum nomen præſtat, qui admittit debitorem delegatum, etiam ſi ſolvendo non fuerit; *l. inter cauſas*, §. *abeſſe*, *mandat*. qui non idoneos fidejuſſores admiſit, id ſuæ facilitati imputare debet, nec alios fidejuſſores exigere poteſt; *l*. 3. §. *ult. ut in poſſeſſ. legat. l*. 3. *in fin. de fidejuſſ*. Quod ſi maritus debitorem, qui ſolvendo non erat, a muliere delegatum dotis conſtituendæ cauſa admiſerit animo donandi mulieri, periculum totius pecuniæ debitæ non pertinet ad maritum, ſed ejus tantum, quæ a debitore ſervari poteſt, aut potuit; *l. cum vir*, infr. *h. tit*. periculum non pertinet ad maritum, quia donandi cauſa inopem debitorem accepit, atque donatio quæ fit inter virum & uxorem vel conſtante matrimonio vel ante nuptias non valet, cum donatio confertur in tempus matrimonii, ut cum dos conſtituitur, cui ſemper ineſt tacita conditio, ſi nuptiæ ſequantur.

Digitized by Google

§. *ult.*

SI debitor mulieris marito dotem promiſerit, & mulierem heredem reliquerit, perinde eſt atque ſi ipſa marito dotem promiſiſſet. Igitur ſoluto matrimonio ſi ipſa dotem repetat a marito, quam debitor ei promiſerat, repellitur exceptione doli mali; *l.* † 7. *in fin.* ſupr. *h. tit.* nec enim æquum eſt, ut vir damnetur mulieri ejus pecuniæ nomine, quam ipſamet debeat, ſed in hoc tantum damnabitur, ut per acceptilationem mulierem liberet, ex *h.* §. Cum quis in alterius locum ſuccedit, & aliquid ex ejus perſona debet, perinde habendus eſt, ac ſi ex perſona ſua deberet; *l. cum quidam*, §. *fiſcus*, *de uſur.*

L. 42.

LEx *Julia* de fundo dotali non alienando non pertinet ad res mobiles, quas maritus alienare poteſt conſtante matrimonio ſi ſit ſolvendo; *l. ſervum dotalem*, infr. *de manumiſſ. l.* 1. *C. de ſerv. pign. dat. manumiſſ.* Res in dotem datæ, quæ in pondere, numero, menſurave conſiſtunt, mariti periculo ſunt, quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium ſuum diſtrahat, & quandoque ſoluto matrimonio ejuſdem generis & qualitatis alias reſtituat.

L. 43.

DOtis promiſſioni ineſt tacita conditio, ſi nuptiæ ſequantur; *l. plerumque*, §. *ſi ante*, *l. ſtipulationem*, *l. promittendo*, §. 1. ſupr. *h. tit.* Dos per acceptilationem ſolet conſtitui, puta ſi mulier debitori ſuo nubat, ſolet ei quod debetur acceptum facere, dotis conſtituendæ cauſa; *d. l. promittendo*, §. *acceptilatione*. Dote per acceptilationem conſtituta, quæ eſt vice ſolutionis, ſi nuptiæ non ſequantur, priſtina obligatio manet, quaſi acceptilatio non extiterit, ex *init. h. l.* Opponitur *l. ſi mulier*, *de condict. cauſ. dat.* ſi mulier nuptura debitori ſuo pecuniam debitam ei acceptam fecerit cum dotem dare vellet, nuptiis non ſecutis pecuniam recte ab eo condicet, quia nihil intereſt, utrum ex numeratione pecuniam ſine cauſa, an per acceptilationem dederit. Ergo acceptilatio non eſt inutilis etiam ſi nuptiæ non ſequantur, & obligatio non manet ſuo loco, quia non ſecutis nuptiis, mulieri neceſſaria eſt condictio ob cauſam dati, vel integrum ei eſt agere ex priſtina obligatione. Obſervandum eſt quod ait *d. l. ſi mulier*, ſi mulier cum dotem dare vellet, id eſt cum ei eſſet animus ſtatim dandæ dotis ſponſo, ut feſtinaret nuptias. Igitur pecuniam quam acceptam tulit, cum ei eſſet animus ſtatim dare ſponſo, ſtatim ſponſo dediſſe videtur, & feciſſe accipientis, ſublata priſtina obligatione, & converſa in cauſam dotis, ut jam, ſi nuptiæ non ſequantur, non ſit ei integrum agere ex priſtina obligatione, quæ novata & ſublata eſt, ſed competat tantum condictio pecuniæ, quaſi cauſa non ſecuta.

§. *quotiens*.

SI extraneus debitori ſuo ſponſo mulieris quod debet acceptum tulerit dotis mulieri conſtituendæ cauſa, nuptiis non ſecutis liberatio non ſequetur, debitor non liberatur, quia acceptilationi, quæ eſt vice ſolutionis, ineſt tacita conditio, ſi nuptiæ ſequantur, niſi forte ſic accepto tulit, ut vellet mulieri in totum donare, id eſt ut acceptum tulerit mulieri donandi cauſa, etiam non ſecutis nuptiis. Tunc enim credendum eſt brevi manu acceptum a muliere & marito datum, fictione brevis manus. Debitor, id eſt vir, fingitur ſolvere creditori, cre-

Digitized by Google

creditor dare uxori, uxor marito futuro. Celeritate conjungendarum actionum, una actio occultatur; *l.* 3. §. *ſed ſi debitorem*, *de don. int. vir. & uxor.* Ceterum nuptiis non ſecutis, id eſt alioquin nuptiis non ſecutis, mulieri condictio ob cauſam dati cauſa non ſecuta adquiri non poteſt, id eſt niſi mulier fingatur donaſſe, ſed alias nomine ejus ei non quæreretur actio per liberam perſonam; *l.* 2. *C. per quas perſon.* Plane ſecutis nuptiis mulier ſoluto matrimonio doris exactionem habebit, niſi forte ſic accepto tulit, ut ipſe, quoquo modo ſolutum fuerit matrimonium, condictionem habeat, tunc enim non habebit mulier actionem, ſecundum quæ dote per acceptilationem conſtituta, & ſecutis nuptiis, is effectus erit acceptilationis dotis exactioni, quoad dotis exactionem, ut ſi quidem pura ſit obligatio, quæ accepto lata eſt, non ipſa jam reſtituenda eſt, id eſt obligatio, quæ acceptilatione extincta eſt, non eſt reſtituenda, ſed ſolvenda dos ſecundum ſua tempora, id eſt tribus penſionibus, annua, bima, trima die. Si vero obligatio fuerit in diem, nec ante ſolutum matrimonium dies obligationis extiterit, obligatio reſtauranda, id eſt reſtituenda erit in priſtinum ſtatum, & ſi debitum fuerit cum ſatisdatione, ſatisdatio reſtituenda eſt, quia per acceptilationem obligatio fidejuſſoria, quæ erat acceſſoria, extincta erat. Similiter ſi conditionalis fuerit obligatio, quæ in dotem converſa eſt, & pendente obligatione, id eſt pendente conditione, divortio ſolutum ſit matrimonium, obligatio ſub eadem conditione reſtituenda eſt, obligationes amiſſæ reſtituuntur tales quales fuerunt; *l. ult. de minorib.* ſed ſi conditio extiterit conſtante matrimonio, a die divortii tempora exactionis numerantur.

L. 44.

SI pater filiæ nomine dotem promiſerit, & ante nuptias eam emancipaverit, dotis promiſſio non reſolvitur emancipatione, nam & ſi pater moreretur ante nuptias, heredes ejus ex promiſſione dotis obligati manebant. Ratio eſt, quia emancipatio, quæ eſt beneficium patris, non debet nocere filiæ. Beneficio adjuvari nos non decipi oportet; *l. in commodato*, §. *ſicut autem*, ſupr. *commodat.* Pater dote promiſſa ante nuptias, filiam emancipando, non intelligitur voluiſſe dotem promiſſam adimere, ſed beneficium beneficio cumulare. Dos ſemel data non adimitur per emancipationem, immo neque per exheredationem; *l. unic.* §. *videamus*, *C. de rei uxor. act.* Dos etiam non poteſt ſubſtitutione vel fideicommiſſo gravari; *l. pater filiam*, *ad leg. falcid. l. a filia*, *ad Trebell.*

§. *quæ debitorem*.

MUlier, quæ filiumf. debitorem habet, ſi patri ejus nuptura dotem promiſerit, quod mihi debes, vel quod filius tuus mihi debet, doti tibi erit, non obligatur pater in ſolidum, ſed quatenus eſt in peculio filii, in id quod actione de peculio a patre ſervari poteſt, in dote ſc. Si igitur poſt hæc, id eſt poſtquam dotem dedit, conſtante matrimonio ſpater cum filio vel filius cum patre agere inſtituerit, exceptione pacti conventi ſubmovebitur, quia conſtante matrimonio dotem datam vindicare non poteſt; *l. dote ancillam*, *C. de rei vind.* Quod ſi ſoluto matrimonio agat actione de dote in patrem, ea actione conſequetur quod in peculio fuiſſe apparebit eo tempore quo dos promiſſa eſt: ſi vero ante nuptias dos promiſſa eſt, ejus temporis periculum æſtimari debet, quo nuptiæ fierent, id eſt cum quæritur quid ſit in peculio filii, ut teneatur pater actione de peculio, ſpectatur tempus contracti matrimonii, a quo incipit eſſe dos, ex † *h.* §. *& l. nuptura*, infr. *h. tit.* peculium æſtimatur eo tempore, quo nuptiæ fierent, ut ſciatur quid eſſet in dote.

Digitized by Google

L. 45.

DIxi in Tryphoninum *libr.* 8. *diſputat.*

L. † 46.

QUemadmodum ſi ſervus ſtipuletur dari, domino etiam invito adquirit, ex *init. h. l. & l. etiam invitis*, infr. *de adqu. rer. dom.* ita ſi dotem domini nomine ſibi promitti patiatur, obligatio id eſt dotis actio domino etiam invito adquiritur: ſed neque periculum neque culpam præſtat dominus, donec promiſſionem dotis ratam habeat. Traditione quoque rei dotalis ſervo vel filiof. facta, ſine ſtipulatione dos conſtituitur, ita tamen ut neque culpam dominus aut pater præſtet, donec traditionem dotis ratam habeat. Ideoque mulier etiam conſtante matrimonio, priusquam pater vel dominus promiſſionem vel traditionem dotis ratam habeat, ne dominus vel pater ex facto ſervi vel filii invitus periclitetur, rem in dotem datam condicere poteſt, condictione ob cauſam dati, vel condictione incerti aſſequi, ut liberetur obligatione, ex *init. h. l.* & hic eſt caſus ſingularis, quo mulier conſtante matrimonio poteſt repetere dotem promiſſam vel traditam ſervo vel filio pro patre vel domino, ſi pater vel dominus promiſſionem vel traditionem dotis ratam non habeat; Ant. Faber, 7. *conject.* 1.

§. *ſi debitori*.

SI mulier nuptura debitori ſuo ita dotem promiſerit, quod mihi debes, aut fundus Sempronianus, doti tibi erit, utrum mulier voluerit, id in dotem erit. In alternativis obligationibus electio eſt debitoris utrum præſtet; *l. plerumque*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* Et ſi quidem mulier maluerit debitum dotis cauſa apud virum remanere, poteſt ſe tueri exceptione pacti adverſus maritum petentem fundum. Quod ſi mulier fundum in dotem dederit, pecuniam a marito condicet, condictione certi ſeu mutui, quæ erat prior actio, ex *h.* §.

§. *ult.*

SI pater falſo exiſtimans ſe filiæ debitorem eſſe, dotem promiſerit, obligatur, quia ſublata cauſa debiti, ſupereſt cauſa officii & debiti paterni, obligatur ut pater etiam ſi non ſit debitor filiæ, quia paternum officium eſt dotare filiam; *l. qui liberos*, *al. l.* 19. *de rit. nupt.* ſublata falſa opinione ſupereſt cauſa pietatis; *l. ſi inſtituta*, §. *ult. & l. ſeq. de inoff. teſt.*

L. 47.

SI ſervo, ante nuptias in dotem dato, aliquid ante nuptias donatum vel legatum fuerit, dos ampliatur, ſicut ex fructibus fundi ante nuptias in dotem traditi, ex *h.* † *l.* Fructus dotis percepti ante nuptias non cedunt lucro mariti, immo augent dotem; *l. dotis*, §. 1. ſupr. *h. tit. l. ſi marito*, §. *ult. ſolut. matrim.*

L. 48.

SI pater ante nuptias genero futuro ſtipulanti promiſerit decem dotis nomine in anno proximo, annus numerandus eſt ex die nuptiarum, quo dos eſſe incipit, non ex die ſtipulationis, ut ſi nuptiæ non ſint ſecutæ videatur dos ex ſtipulatione deberi ante nuptias, ex *init. h. l.* Promiſſioni dotis ineſt tacita con-

Digitized by Google

conditio ſi nuptiæ ſequantur; *l. plerumque*, §. *ſi ante*, *l.* † *ſtipulationem*, ſupr. *h. tit.*

§. † *ſocer*.

SI ſocer genero filiæ nomine centum teſtamento legaverit, legati nomine utrique competit actio ex teſtamento & genero & filiæ, & pecunia exacta legatis accepta refertur, ita ut falcidia detrahatur ſi falcidiæ locus ſit; *l. Titio centum*, §. *ult. de cond. & dem.* ſed divortio ſoluto matrimonio, mulieri datur actio de dote, quamvis legati, non dotis nomine, pecunia relicta ſit, quia legati nomine dos a patre filiæ recte conſtitui poteſt: in obligationibus & actionibus non titulus actionis, ſed debiti cauſa & origo ſpectanda eſt; *l. tutor*, *de fidejuſſ. l. qui id quod*, *de donat.* immo & filiæ ſi maluerit competit hujusmodi actio, id eſt actio legati ex teſtamento. Cum quæritur quid cui relictum ſit, ſpectatur cujus contemplatione relictum ſit; *l. ſed ſi plures*, §. *in* † *adrogato*, *de vulgar. & pupillar.* Opponitur *l. ſervo legato*, §. † *ſi teſtator*, *de legat.* 1. ex qua ſi teſtator filiæ nomine genero dotem dari juſſerit, non genero, ſed filiæ competit actio ex teſtamento: ſed adhibenda eſt hujusmodi diſtinctio. Aut pater dotem genero legavit, quam ei debet ex ſtipulatione, & hoc caſu gener quidem habet actionem ex ſtipulatu, ſed non etiam actionem ex teſtamento, quia inutile eſt legatum ſi creditor debitori legat quod debet. Igitur hoc caſu actio ex teſtamento ſoli filiæ competit. Aut ſocer genero legavit dotem, quæ ante deberi non cœperat, ut ſi dotem filiæ nomine legato genero relicto moriens augere & ampliare voluerit, & tunc actio ex teſtamento utrique competit: ſed hoc caſu alterutra actione contenti eſſe debent.

L. 49.

SI vir ab eo, qui uxori ejus dotem facere id eſt dare volebat, certam pecuniam eo nomine ſtipulatus ſit, deinde eam acceptam fecerit, quæritur, an ea pecunia in dote eſſet? Julianus reſpondit, ſi acceptam non feciſſet, & promiſſor ſolvendo eſſe deſiiſſet culpa mariti, id eſt mora in exigendo, periculum dotis eſſe mariti, perinde enim eſt ac ſi pecuniam acceperit, & eandem promiſſori donaverit, ex *h. l.* Acceptilatio eſt vice ſolutionis; *l.* † *ſi extraneus*, ſupr. *h. tit.*

† V. in terminis *l.* 107. *de ſolut. & l.* 1. *& tot. tit. de acceptilat.*

L. 50.

POſt divortium redintegrato matrimonio dos prior redintegratur, ut *hic & l. dotem* 30. *l. divus*, *l. poſt divortium*, *h. tit.* Si mulier, quæ fundum in dote habebat, divortio facto, cum in prius matrimonium rediret, pacta ſit cum viro, ut decem in dote eſſent, & fundus ſibi reſtitueretur, (quod pactum valet: conſtante matrimonio permutatio dotis fieri poteſt, de re in rem, vel de re in pecuniam, ut probatur *hic*, *& l. ſi ei nuptura*, *& ſeq. h. tit. l. ſi mulier*, *de pact. dotalib. l.* 7. *de tutor. & cur. dat.*) & datis decem priusquam fundus ei reſtitueretur, in matrimonio deceſſerit, quæritur qua actione heredes ejus fundum repetere poſſint? Et Africanus ait, ex bona fide & negotio contracto, id eſt ex natura contractus, fundum repeti condictione ſine cauſa, quaſi apud maritum ſine cauſa eſſe cœperit, permutata dote de re in pecuniam; immo & agi poſſe actione de dote, quæ ſupereſſe videtur, donec fundus reſtituatur: & ita pacto facta permutatione pignoris, puta ex fundo Titiano in Cornelianum, ea lege, ut fundus Cornelianus reſtituatur, ſtatim recte agi poteſt pigneratitia ad recipiendum fundum Cornelianum.

Digitized by Google

L. 51.

DOs profectitia eſt quæ profecta eſt a patre, vel de bonis vel facto ejus; *l.* 5. ſupr. *h. tit.* Si res, quas pater filiæ emancipatæ donavit, ex voluntate ejus poſtea pro ea in dotem datæ ſint, dos non videtur data a patre, quia res ſemel donatæ filiæ ſunt extra cauſam bonorum.

L. 52.

NOn ſolum ſi æſtimatus fundus, ſed etiam non æſtimatus in dotem datus eſt, & mulier duplum de evictione promiſerit, cum neceſſe non haberet, quia dupla promittitur de evictione ex cauſa emptionis; *l. ſciendum*, *l. ſi dictum*, *de evict.* At dotis æſtimatio non eſt ſimplex venditio, ſed venditio dotis cauſa; *l. quotiens*, ſupr. *h. tit.* Dote evicta, quodcumque maritus eo nomine conſecutus fuerit a muliere, quandoque ſoluto matrimonio reſtituet mulieri de dote agenti, ex *h. l. & d. l. quotiens*, *l.* 1. *C. h. tit.*

L. 53.

SI debitor mulieris, qui ſolvendo non erat, delegatus a muliere dotem marito promiſerit, & maritus delegationem mulieris dotis cauſa ſusceperit, cum vir uxori donare vellet, periculum eſt viri, quatenus vir fuit ſolvendo, & ſi poſtea debitor locupletior factus ſit, periculum creſcit ad eam ſummam, quæ acceſſit facultatibus † debitoris, & periculum ſemel contractum permanet, etiam ſi rurſus pauperior factus ſit, quia neque tunc cum dos promitteretur donatio facta eſt, niſi ejus pecuniæ, quæ a † debitore ſervari non poterat, neque cum ſolvendo eſſe cœpit, donationis cauſa permanet, cum res recidit in eum caſum in quo eſſet, ſi cum dos promitteretur debitor locuples fuiſſet, ut *hic*, *& l.* † 41. §. *ſi a debitore*, ſupr. *h. tit.* Obligatio valet, ſi res recidat in eum caſum, a quo incipere potuit; *l. pro parte*, *de ſervitut. l. quia in eum caſum*, *ad l. Aquil. l. exiſtimo*, † *in princ. de V. O.*

L. 54.

REs ex dotali pecunia comparatæ dotales videntur, ex *h. l. & l. ſi cum dotem*, *in fin. ſolut. matrim.* Opponitur *l. ex pecunia*, *C. h. tit.* ex qua res ex dotali pecunia comparatæ non ſunt proprie dotales, ſed dotales videntur, ideoque rei ex dotali pecunia comparatæ, ſi maritus non ſit ſolvendo, non niſi utilis vindicatio datur uxori; *l.* † *uxor marito*, *ff. de don. int. vir. & uxor.* alioqui ei tantum competit actio de dote. *Hæc lex* eſt Gaii ad edictum prætoris urbani de prædiatoribus. Prædiator eſt, qui nexus eſt fiſco ob ſuum debitum, cum ſuis bonis: *lege prædiatoria* bona conductorum vectigalium a fiſco tenentur fiſco, ut ſi non ſolvant, bona eorum venalia pendeant ſub haſta in vacuum, id eſt quaſi vacantia fiſco addicantur, ſi emptorem non invenerint, de quo M. Tull. *pro Balbo* (20.) & 12. *ad Attic. ep.* † 14. & 17. Tranquill. *in Claud. cap.* 9. Cujac. 5. *obſ.* 29. Idem ad *l.* 9. & 10. *ad Turpil.* Turneb. 27. *adverſ.* 19.

L. 55.

DOtis ſtipulationi fidejuſſor accedere poteſt, vel expromiſſor, qui in ſe recipiat totam obligationem; *l.* *) *in eo* 110. §. 1. *de R. J.* ſtipulationi dotis fidejuſſor accedere poteſt; *l. profectitia*, §. † *ſi pater* 6. *& ſeq.* ſupr. *h. tit.*

tit. l. creditor, §. 1. *mandat.* vel expromiſſor, & ſi detur expromiſſor, fidejuſſor eo nomine datus tenetur, nemo eſt idoneus expromiſſor rei alienæ ſine ſatisdatione, id eſt niſi adhibito fidejuſſore; *d. l. in eo*. Fidejuſſor dari poteſt a muliere vel patre vel extraneo pro dote danda. Et fidejuſſor eo nomine datus tenetur: ſed fidejuſſor a marito exigi non poteſt pro dote ſervanda & reſtituenda. Et fidejuſſor eo nomine datus non obligatur; *l. 1. & 2. C. ne fidejuſſ. dot. dent. l. unic. C. Th. de fidejuſſ. dot.* quia ſi mulier ſeſe ſuamque dotem marito credidit, cur fidejuſſorem exigit, ut cauſa id eſt materia perfidiæ in eorum connubio generetur? Nec obſtat, quod pignus ſeu hypotheca pro dote reſtituenda contrahi poteſt; *l. res hypothecæ, de pignorib. l. 1. qui potior. in pign. l. quod autem, §. ſi uxor, de donat. int. vir. & uxor. l. Callippo, al. l. quamvis, de ſolut.* moleſta & gravis eſt fidejuſſoris datio, non pignoris. Poſt divortium fidejuſſor de dote reſtituenda dari poteſt; *l. ſi conſtante, §. quotiens, ſolut. matrim.* v. Cujac. 4. *ad African. in l.* † *vir uxori, §. ſi mulier, ad Vellejan.*

L. 56.

DEbitor ipſo jure liberatur naturali interitu rei, ante moram contingente; *l. quod te, de reb. credit. l. ſi ex legati, de V. O. l. ſi mihi alienum, de ſolut.* Si is qui Stichum mulieri debebat ei delegatus ſit, & antequam ſolveret debitor Stichus naturali facto deceſſerit, neque per debitorem ſteterit quominus ſolveret, neque maritus fuerit in mora agendi, id eſt exigendi, periculo mulieris Stichus moritur, quamquam etiam ſi maritus moram fecerit in exigendo, ſi Stichus æque moriturus fuit apud maritum, actione dotis maritus non teneatur.

§. *ibi dos*, † §. *poſt mortem*.

IBi dos eſſe debet, ubi onera matrimonii ſunt, ex *h.* §. † *ibi dos*: puta dos debet eſſe apud maritum, id eſt dotis fructus pertinent ad maritum, quia onera matrimonii ſuſtinet; *l. quamvis*, infr. *h. tit.* vel apud patrem, qui dotem accepit, poſt mortem patris ſtatim onera matrimonii filium ſequuntur, ſicut liberi & uxor, ex *h.* §. † *poſt mortem, & l. ſi filia*, §. † 2. *l. ſi maritus, famil. erciſc. l. actione*, §. *ult. pro ſoc.* Ideo conſtante matrimonio dos videtur communis inter virum & uxorem, & fundo in dotem dato, vir & uxor ejus fundi poſſeſſores intelliguntur; *l. ſciendum*, §. *ſi fundus*, ſupr. *qui ſatisd. cog.* In judicio familiæ erciſcundæ filiusf. heres inſtitutus debet præcipere dotem uxoris datam patri, quia ſuſtinet onera matrimonii; *d. l. ſi filia, d. l. ſi maritus*. Diſtracta ſocietate, ſi unus ex ſociis ſit maritus, dotem præcipere debet, quia dos apud eum eſſe debet qui onera matrimonii ſuſtinet; *d. l. actione*, §. *ult.* Qui rem in dotem dedit, vendidiſſe videtur propter onera matrimonii; *l. ſicut*, §. *ſed ſi permiſerit*, ſupr. *quib. mod. pign. vel hypothec.* Et ſi dos ſocero data ſit, & filius patri heres extiterit ex aſſe, vel pro parte, dotem in ære alieno deducit in ponenda ratione legis falcidiæ ex aſſe, vel pro qua parte heres patri extitit, ne uxorem indotatam habeat; *l. ſi dos, ad l. falcid.*

§. *quod dicitur*.

IMpenſis neceſſariis ipſo jure dos minuitur, ex quo non ſtatim efficitur, ut ſi fundus in dote ſit, ſtatim propter impenſas neceſſarias deſinat eſſe dotalis ex aliqua parte: ſed niſi impenſa reddatur, datur retentio totius fundi, aut partis: ſed ſi tantum in fundum impenſum eſt, quanti fundus eſt, deſinit eſſe dotalis, niſi mulier ultro marito intra annum impenſas offerat. Si pecunia, id eſt certa quantitas pecuniæ, & fundus in dote ſint, & neceſſariæ impenſæ in

Digitized by Google

fundum factæ ſint, dos quæ conſiſtit in pecunia minuitur propter impenſas neceſſarias. Quod ſi mulier impenſas ſolverit, ſtatim ager in cauſam dotis revertitur, rurſus incipit eſſe dotalis: ſed interim alienatio fundi inhibetur, ex *h.* §. *l.* 3. §. *ult. l.* 5. *de impenſ. in res dotal. fact. l.* 5. *in fin. de pact. dotalib. l. dote, de rit. nuptiar. l. ſi pro re*, §. *ſi pro evictione, de evict. l. unic.* §. † *taceat, verſ. ſed nec ob impenſas*, C. *de rei uxor. act.* §. *pen. inſt. de act.* Cujac. 23. *obſ.* 12. Ant. Faber, 2, *conject.* 2.

L. 57.

EX contractu filiiſ. duo obligantur, filiusſ. in ſolidum, pater quatenus eſt in peculio, vel quatenus in rem patris verſum eſt; *l. ſi quis cum filiof. de pecul.* §. † *actiones autem, inſt. de act.* Si mulier nuptura filiof. debitori ſuo, ſocero dotem ita promiſerit, quod filius tuus mihi debet in dote tibi erit, multum intereſt utrum filii obligatio, an patris perſecutio, id eſt obligatio, quod eſt in peculio, vel quod in rem patris verſum eſt promiſſione dotis contineatur. Nam ſi id, quod filium dare oportet mulier in dote eſſe voluit, tota pecunia, in quam filiusf. obligatus eſt, promiſſione dotis continetur: ſin autem id, quod patrem actione de peculio, vel de in rem verſo præſtare oportet, æſtimandum eſt quantum ſit in peculio, vel in rem verſo, eo tempore quo dos promittitur, ut ea ſumma in dote ſit, qua pater eo tempore tenetur filii nomine actione de peculio, vel de in rem verſo. Quod ſi non appareat de cujus obligatione mulier ſenſerit promittendo dotem, præſumptio ad filii debitum ſpectatur, id eſt præſumitur in dote eſſe id in quo filius obligatus eſt, id eſt quod filius debet in ſolidum, niſi evidentiſſime contrarium appateat. Præſumptioni juris ſtandum eſt, niſi contrarium probetur; *l. non eſt, quod met. cauſ.* In ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt, id eſt favorabilius interpretandum eſt; *l. in ambiguis*, infr. *h. tit.*

L. 58.

DOtis ſtipulationi ineſt tacita conditio, ſi nuptiæ ſequantur. Et hoc intelligitur de primis nuptiis: dotis enim promiſſio extinguitur, ſi mediæ nuptiæ cum alio interceſſerint; *l. dotis promiſſio*, infr. *h. tit.* Si ante ſponſalia dotem Titio Seiæ nomine promiſeris, cum Seia pro qua dotem promiſiſti Titio nubere nollet, tamen ſi poſtea ei nupſerit, dotem debebis, niſi aliæ nuptiæ mediæ intervenerint, ex *init. h. l.* Conditio nuptiarum de primis nuptiis intelligitur; *l. boves*, §. *hoc ſermone, de V. S.*

§. *ſi mulier.*

SI mulier ancillam Pamphilam a Titio dari ſtipulata, deinde Titio nuptura, quod is ſibi debebat, Titio in dotem promiſerit, etſi Pamphila non erit viri, ipſa tamen Pamphila in dote & mulieris periculo erit: an & partus ancillæ, quæ eſt in dote, erit in dote, & morte viri vel divortio ſoluto matrimonio mulieri reddi debebit, quia ſi in ſua cauſa prior ſtipulatio manſiſſet, id eſt ſi ancilla, quæ in ſtipulatum deducta erat, non fuiſſet promiſſa in dotem, ſoluto matrimonio non redderetur: ſed multum refert, an vir habuerit penes ſe rem, quam debebat, tempore conſtitutæ dotis, nam ita potuit videri res ipſa ad eum perveniſſe, fictione brevis manus ſc. an non habuerit, nam ſi non habuerit, magis eſt ut liberatio obligationis potius, quam res ipſa ad eum jam perveniſſe videatur, ideoque nec ancilla, nec partus ancillæ debetur: maritus liberatur naturali interitu rei; *l. ſi ex legati, de V. O.*

L. 59.

SI mulier marito ſtipulanti promiſerit, dotem viro aut Titio dotis nomine dari, hoc caſu Titio dari poteſt: ſed de dote vir tenetur, quemadmodum ſi Titio juſſiſſet dari, quia dos Titio ſolvitur quaſi adjecto ſolutionis cauſa; *l.* † *vero procuratori*, §. *pen. l. aliud*, *de ſolut.* Nec mirum ſi mulier promittat viro aut Titio dotem dari: cum etiam promiſſura viro dotem, poſſit delegante eo alteri promittere. Delegatio pro juſta præſtatione eſt; *l. quod debetur*, *de pecul.* Etſi dici ſolet, mulierem alii quam marito non poſſe obligari dotis nomine; his enim caſibus dos viro adquiritur, quia mulier non creditur promiſiſſe alii dotem dari, ut de Titii nuptiis cogitaret; id eſt Titius non eſt adjectus ſolutionis cauſa, ut eſſet in obligatione, ſed adjectus eſt ſolutionis cauſa, ut ei ſolvi poſſet.

§. *ex* † *aſſe*.

SI heres inſtitutus ex aſſe, & rogatus reſtituere dodrantem hereditatis mulieri, juſſu ejus quod debet in dotem promiſerit, non eſt obligatus, nam mulieri in hoc tenetur, ut reſtituendo hereditatem transferat omnes actiones activas & paſſivas, quas transferre ad alium non poteſt, quam cui debet fideicommiſſum. Rationem dubitandi ſibi objicit Marcellus, quod in certi actione, id eſt condictione cum eo, id eſt herede rogato, agi poteſt, ut marito ex delegatione mulieris præſtet æſtimationem fideicommiſſi: ſed nihil movetur Marcellus hac objectione, quod mulieris debitorem ita demum marito obligari æquum ſit, ſi accipere id ipſum quod mulieri debetur vir poſſit: vir autem non poteſt accipere fideicommiſſum quod debetur mulieri, cum non alii ſit reſtituendum ex Trebelliano, quam cui teſtator voluit. Verum ne indotata mulier eſſe videatur, Marcellus ait, mulieri ex Trebelliano reſtituendam eſſe hereditatem, ut eam marito in dotem ſolvat, ex cauſa dotis, non ex cauſa ceſſionis ſeu delegationis fideicommiſſi: & hoc eſt quod dicitur in *fin.* §. *delegatione propter nimiam ſubtilitatem & caſus neceſſitatem minime obtinente*. Delegatio ſeu ceſſio fideicommiſſi non admittitur, quia ex Trebelliano non poteſt reſtitui, niſi fideicommiſſario, & caſus neceſſitas, id eſt neceſſitas dandæ dotis, ne indotata mulier ſit, & matrimonium impediatur, excludit ſubtilitatem juris, id eſt delegationem, quæ eſt remedium juris: cum de bona fide agitur, de apicibus juris non eſt diſputandum; *l. ſi fidejuſſor*, §. *quædam*, ſupr. *mandat.* Sed omiſſa delegationis via, ſatius eſt hereditatem reſtitui mulieri, ut reſtitutam hereditatem mulier marito præſtet in dotem. Delegatio non admittitur propter nimiam ſubtilitatem, quia delegatio habet vim ſolutionis; *l. quod debetur*, *de pecul.* Et caſus neceſſitas, id eſt neceſſitas præſtandæ dotis, quæ non fert moram & circuitum delegationis, excludit delegationem; Ant. Faber, 5. *conject.* 7.

§. *ult.*

EI, qui decem dotis nomine dedit pro ancilla, quæ pro libera habebatur, datur condictio ob cauſam dati cauſa non ſecuta, ut ei, qui dotem dediſſet pro libera, datur condictio nuptiis non ſecutis. Igitur ſi mulieri id eſt ancillæ donaturus dediſti, condictio datur domino: quemadmodum ſi ei, qui ſibi donaturus eſſet, mulieri donare juſſiſſet, ex *h. l.* Cujac. 13. *obſ.* 40.

Digitized by Google

L. 60.

CUrator generalis vel ſpecialis dari poteſt dotis conſtituendæ cauſa ; *l. five generalis*, infr. *h. tit. l. mulier*, *C. eod. l. 7. de tutor. & curat. dat.* Curator adultæ mulieri, & minori 25. annis, dotem promittenti conſenſum accommodare debet pro modo facultatum patris & dignitate mariti. Modus dotis conſtituendus eſt pro facultatibus & dignitate mulieris & mariti, ex *h. l. & l. cum poſt*, §. *gener*, §. *nuptiis*, infr. *h. tit. l. qui liberos*, *al. l. 19. de rit. nupt. l. ult.* §. *utramque*, *C. de dot. promiſſ.* Et ſi curator ſit in mora, adito præſide compelli poterit dotem dare puellæ pro modo facultatum ; *l. ſi curatores*, *C. de adm. tutor.* Ita & alimenta pupillo & magiſtris mercedes pro facultatibus & dignitate natalium præſtantur ; *l. cum plures*, §. *cum tutor*, *ff. eod. l. 1. & 2. C. de aliment. pupill. præſtand.*

L. 61.

SI curator generalis vel ſpecialis dotis conſtituendæ cauſa datus, dolo dotem promiſerit ultra vires patrimonii puellæ, promiſſio ipſo jure non valet, quia lege rata non habetur auctoritas curatoris dolo malo interpoſita. Quæritur an promiſſio dotis in totum infirmetur, an in id quod excedit vires patrimonii ? Et utilius id eſt æquius eſt, promiſſionem tantum infirmari in id tantummodo, quod eſt ſupra vires patrimonii, ex *inir. h. l.* Opponitur *l. cum poſt*, §. 1. infr. *de adminiſtr. tutor.* ſi tutor per errorem bona fide dotem promittat ultra vires patrimonii, tenetur, ſed cauſa cognita reſtituitur beneficio prætoris. Sed ſi dolo dotem promiſerit ultra vires patrimonii, ſciens facultates impares eſſe, non reſtituitur. Sed ſpecies ſunt diverſæ, nam in *h. l.* curator dotem promiſit pro puella, promiſſio ipſo jure nulla eſt quoad puellam : ſed quia promiſit dotem ſciens dolo ultra vires patrimonii, propter dolum tenetur in id quod excedit vires patrimonii, ut recte diſtinguit *gloſſ.* Alioquin ſi puella minor 25. annis dolo circumſcripta dotem dederit ultra vires patrimonii, reſtituitur in integrum adverſus dotem, quatenus excedit modum dotis ; *l. ſi ex cauſa*, §. *in dotis*, ſupr. *de minorib.*

§. *iſte autem*.

CUrator generalis vel ſpecialis puellæ datus dotis conſtituendæ cauſa, non poteſt alienare res immobiles puellæ, dotis conſtituendæ cauſa, ſine decreto prætoris, puta ſi puella aliter honeſte nubere non poſſit, ſi non inveniat maritum, niſi pecunia in dotem detur, forte æris alieni ſolvendi cauſa, ex *h.* † §. & *l. ult.* infr. *h. tit.*

L. 62.

SI Titia, cum eſſet minor 25. annis, quartam hereditatis maternæ permutaverit cum fratribus, accepto ab eis fundo, quaſi emptionis jure, & poſtea hunc fundum cum aliis rebus marito in dotem dederit : ſi adverſus permutationem mulier reſtituta ſit beneficio ætatis, & ut partem maternæ hereditatis reciperet fundum reddiderit fratribus : quæritur an maritus contentus eſſe debeat ceteris rebus in dotem datis, & fundum reſtituere fratribus uxoris ? Modeſtinus reſpondit, marito dotem auferendam non eſſe, pro parte, vel in totum, quia mortua in matrimonio muliere dos adventitia ſemper cedit lucro mariti : ſed mulierem vel heredes ejus marito condemnandos eſſe in meram æſtimationem fundi, quanti ſc. fuit eo tempore, quo in dotem datus eſt, ex *h. l.* Evicto fundo in dotem dato, quem mulier poſſidebat ex cauſa permutationis cum parte hereditatis maternæ, marito datur actio ex empto in mulierem, vel here-

des

Digitized by Google

des ejus, in id quod intereſt fundum evictum non eſſe, quia permutatio eſt ſimilis emptioni venditioni; *l. ſciendum*, §. *pen. de ædil. edict. l.* 1. C. *de rer. perm.* ita ut mulier vel heredes ejus teneantur præſtare æſtimationem fundi, quanti fuit tempore contractus; Ant. Faber, 8. *conject.* 10.

L. 63.

SI extraneus, qui dotem dedit, ſtipulatus ſit dotem ſibi reddi ſoluto matrimonio, divortio ſoluto matrimonio ſtatim ſtipulatio committitur, nec redintegrato matrimonio actio ex ſtipulatu ſemel quæſita intercidit, ex priori parte *h. l. l. in inſulam*, §. *ult.* infr. *ſolut. matrim.* Actio ſemel extincta non reviviſcit; *l. qui res*, §. *aream*, *de ſolut.* Hoc caſu, ut redintegrato matrimonio dos redintegretur, denuo conſentiente ſtipulatore dos conſtituenda eſt, ne ſequenti matrimonio mulier indotata ſit, & hoc ſi vult, non enim cogendus eſt; *l. dotem*, ſupr. *h. tit. l. cum maritus*, §. *Titius*, *de pact. dotalib.* ſed magis ſuadetur conſentire, ne mulier indotata ſit; *l. ſi donaturus*, *de condict. cauſ. dat. l.* 5. *l. pen. de dol. & met. except.* Dos data ab extraneo interpoſita ſtipulatione de dote reddenda ſoluto matrimonio, divortio ſemel facto non redintegratur redintegrato matrimonio ſine conſenſu ſtipulatoris, niſi dos ab ipſa profecta ſit, quam alius permiſſu ejus ſtipulatus eſt ſibi reddi ſoluto matrimonio, tunc enim conſenſus ejus non eſt neceſſarius, id eſt dos redintegratur redintegrato matrimonio ſine conſenſu ſtipulatoris, tunc enim mulier conſentiendo dotem ab ipſa profectam aliquem ſtipulari ſibi reddi ſoluto matrimonio, non videtur renuntiaſſe juri communi, ex quo divortio ſoluto matrimonio, ſi mulier redeat ad maritum, dos redintegratur redintegrato matrimonio, ne mulier indotata videatur; *l. divus*, ſupr. *l. cum poſt*, infr. *h. tit. l. ſi mulier*, *ſolut. matrim. l. ult. rer. amotar.*

L. 64.

SI mulier divortio facto alii nupſerit, & poſtea ad priorem virum redierit, dos tacite redintegratur, ſi poſt divortium maritus ei de dote reſtituenda nihil caverit, ex *h. l. & l. ſi mulier*, *l. pen.* §. *uxor*, *ſolut. matrim.* Redintegrato matrimonio dos redintegratur, etiam ſi medio tempore mulier alii nupſerit, quia idem matrimonium eadem dos repetita videtur, maxime dote non reddita, etſi tempore divortii maritus de dote reſtituenda ei nihil caverit, ſecus ſi caverit de dote reſtituenda. Cautio de ſolvendo habet vim ſolutionis; *l. ult.* C. *ad leg. falcid.*

L. 65.

SI ſervus dotalis heres inſtituatur, vel aliquid ei legetur, interim id marito adquiritur, ſed ſoluto matrimonio reddendum eſt mulieri, ex *h. l.* quia legatum aut relictum videtur contemplatione mulieris, exemplo fructuarii; *l. ſi ſervi uſusfructus*, *& ſeq. de uſufruct. l. ult.* C. *eod. l. ſervus dotalis*, infr. *ſolut. matrim. l.* *) *item*, §. 1. *commun. divid. l.* 4. *commodat.* niſi contemplatione mariti relictum appareat; *l. ſed ſi plures*, §. *in adrogato*, *de vulgar. & pupillar.* Hinc lege *Julia* fundus ſervo dotali legatus alienari non poteſt, quaſi dotalis; *l.* 3. infr. *de fund. dotal.* Cujac. 23. *obſ.* 38.

L. 66.

USusfructus id eſt jus uſusfructus in dotem dari poteſt, ut *hic*, *& l. uſufructu*, infr. *ſolut. matrim. l. unic.* §. † *cum autem*, *verſ. exactio*, C. *de rei uxor. act.* Si extraneus uſumfructum fundi, id eſt jus ipſum uſusfructus

fundi, pro muliere in dotem dederit, cuius fundi proprietatem mulier non habebat, divortio ſoluto matrimonio, quomodo mulieri reddenda ſit dos, quæ conſiſtit in jure uſusfructus? Ratio difficultatis erat, quod uſusfructus a fructuario cedi non poteſt, niſi domino proprietatis, & ſi cedatur extraneo conſolidatur proprietati. Remedii loco inductum eſt, ut maritus mulieri vendat vel locet uſumfructum nummo uno, ut jus ipſum uſusfructus remaneat penes maritum, perceptio vero fructuum, id eſt emolumentum ſeu commodum fructuum pertineret ad mulierem. Venditio vel locatio nummo uno eſt imaginaria venditio vel locatio, quæ remedii cauſa excogitata eſt rerum expediendarum cauſa, ut *hic*, & *§. præterea, inſt. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.* & *§. 1. inſt. de teſtam.* Cujac. *ad l. ult. pro donat.* Alias venditio vel locatio nummo uno non valet, quia donationis inſtar inducit; *l. ſi quis donationis, de contrah. empt. l. ſi quis conduxerit, locat. conduct.* Maritus, qui eſt vice fructuarii in rebus dotalibus, conſtante matrimonio poteſt vendere vel locare uſumfructum nummo uno, quia fructus dotis ad eum pertinent, ex *h. l.* & *l. arboribus, §. uſufructuarius, de uſufruct.* ſoluto matrimonio dotis reſtituendæ cauſa poteſt locare uſumfructum mulieri nummo uno, ut jus ipſum uſusfructus remaneat penes maritum, commodum fructuum pertineat ad mulierem dum ipſa vixerit, ne ſi cedatur uſusfructus mulieri ceſſione amittatur, & redeat ad proprietarium. Uſusfructus poteſt in dotem dari, & divortio ſoluto matrimonio non extinguitur, remedio locationis nummo uno factæ mulieri, quia jus ipſum uſusfructus remanet penes maritum, nec ſoluto matrimonio ſolvitur uſusfructus dotis cauſa datus, quia dotis cauſa, qua transfertur dominium, videtur perpetua; *l. 1. ſupr. h. tit.* vel potius uſusfructus in dotem datus, cum ſoluto matrimonio redit ad mulierem, videtur non abſceſſiſſe a perſona mulieris, ne fraus videatur fieri proprietario per locationem vel venditionem imaginariam, quæ fit nummo uno. Quia uſusfructus non diſſolvitur divortio ſoluto matrimonio, ne mulier dotem amittat, ne ſi uſusfructus extinguatur, reſtitutione dotis mulier indotata ſit; *l. divus, l. ſi mulier, §. ex aſſe*, ſupr. *h. tit.* cum uſusfructus venditur vel locatur mulieri nummo uno, jus ipſum uſusfructus remanet apud maritum, quia locatio vel venditio nummo uno, quæ eſt imaginaria, non transfert dominium, jus uſusfructus remanet penes maritum, & ex ipſius perſona æſtimatur, nec tranſit in mulierem niſi perceptio fructuum. Aliud eſt jus ipſum uſusfructus, aliud perceptio ſeu commodum fructuum; *l. neceſſario, §. ult. de peric. & commod. rei vend.* vel etiam maritus tenetur de novo conſtituere uſumfructum mulieri dotis reſtituendæ cauſa, ne mulier indotata abeat; *l. cum in fundo*, infr. † *h. tit.* Quandoque etiam uſusfructus ſemel extinctus reſtituitur officio judicis; *l. a liberto*, inſr. *de bon. libert.* Ant. Faber, 8. *conject.* 10. Donell. *de jure civil. libr.* 10. *cap.* 19.

L. 67.

INter ſervos non eſt matrimonium, neque dos; *l.39.* ſupr. *h.tit.* Si ancilla, quæ quaſi libera nupſit, dotis nomine pecuniam viro dederit, ſive ſciens ſive ignorans ſe ancillam eſſe, pecuniam non facit accipientis, & pecunia manet cujus fuerat, antequam dotis nomine viro traderetur, id eſt domini, niſi forte uſucapta ſit, id eſt niſi forte maritus poſſidendo eam pecuniam pro ſuo uſuceperit, antequam ſc. matrimonium eſſet, ut indicant verba quæ ſubjunguntur: *propius eſt, ut exiſtimem eum lucrifeciſſe: utique, ſi antequam matrimonium eſſe ceperit, uſucepit*. Et ſi ſemel maritus eam pecuniam uſuceperit, antequam matrimonium eſſet, mulier poſtquam apud eundem virum libera facta eſt, ejus pecuniæ cauſam mutare non poteſt, id eſt uſucapta pecunia non poteſt converti in dotem, quia uſucapione pro ſuo transfertur in maritum domi-

minium pro ſuo. Itaque facto divortio mulier non poteſt eam pecuniam repetere dotis jure, id eſt actione de dote. Quod ſi vir eam pecuniam poſſidendo pro ſuo uſuceperit, quia ſc. per errorem exiſtimavit mulierem liberam eſſe, propius eſt ut eam lucrifecerit uſucapione, ſi antequam matrimonium eſſe cœpit; id eſt antequam libera eſſet uſucepit. Idem dicendum eſt ſi quid vir ex ea pecunia comparavit, antequam dos eſſet, ita ut non poſſideat eam, nec dolo deſierit poſſidere.

L. 68.

IN nuptiis filii, qui eſt in poteſtate patris, non requiritur conſenſus præcedens patris, ſufficit ut conſenſus patris poſt nuptias ſequatur; *l. ſi uxor*, §. *ſi quis uxorem*, *ad leg. Jul. de adulter.* Ideo dotis promiſſio non ideo minus valet, quia ab initio patre inſciente nuptiæ contractæ ſint, ſi poſtea pater conſenſerit, quia dotis promiſſio tacitam conditionem accipit futuri matrimonii: dotis promiſſio confertur in tempus nuptiarum, huic ineſt tacita conditio ſi nuptiæ ſequantur; *l. ſtipulationem*, *l. promittendo*, §. 1. ſupr. *h. tit.* nam & ſi puella minor 12. annis, ut major deducta ſit, id eſt nupſerit & deducta ſit in domum mariti, quod eſt argumentum rite impleti matrimonii; *l. pen.* §. *ult. de don. int. vir. & uxor.* non ſunt juſtæ nuptiæ antequam major 12. annis apud virum eſſe cœperit; *d. l. ſi uxor*, §. *ſi minor*, *l. minorem*, *de rit. nupt.* Et hoc caſu dos non petetur actione ex ſtipulatu de dote, antequam major apud virum eſſe cœperit, quia tunc primum incipit juſta uxor eſſe. Quod enim vulgarum eſt, promiſſionem dotis tantum deſtinari primis nuptiis, ut *hic*, & *l. boves*, §. *hoc ſermone*, *de V. S.* neque durare obligationem, id eſt evaneſcere promiſſionem dotis, ſi poſt alterius matrimonium ei nupſerit, cui dos promiſſa ſit, tunc locum habet, ſi medio tempore interceſſerint aliæ nuptiæ; *l. inter ſocerum*, §. *ult. de pact. dotalib.*

L. † 69.

DIvortio facto culpa mulieris, petitio dotis promiſſæ marito competit etiam poſt divortium, ſicut retentio dotis traditæ: quod ſi poſt divortium viro ſciente mulier longo tempore poſſederit ea prædia, quæ in dotem promiſerat, tacite conceſſiſſe videtur, ne maritus dotem promiſſam peteret, & ſi petere cœperit, exceptione taciti pacti a muliere repellitur, ex *h. l. init.* Dotis petitio tacite remittitur ſilentio longi temporis, ut petitio uſurarum, vel fideicommiſſi; *l. cum quidam*, §. 1. *de uſur. l. Procula*, *de probat.*

§. *mulier*.

SI mulier pecuniam ſibi debitam a Seio in dotem promiſerit cum uſuris futuri temporis, eas quoque uſuras, quarum dies poſt nuptias ceſſit, dotis portionem eſſe rationis non eſt: ſic enim legendum eſt adjecta negativa, quod comprobatur *l. ſi mulier*, *infr. h. tit.* ne ſi uſuræ dotis poſt nuptias ſint in dote, dos ſit ſterilis & infructuoſa. Dos nulla eſt, quæ non ſervit oneribus matrimonii; *l. ſi pater*, *infr. h. tit.* Idem confirmatur *l.* 4. *infr. de pact. dotalib.* non valet conventio, ut fructus dotis ſint in dote, ne dos ſit ſterilis, ne mulier indotata ſit, niſi convenerit ut fructus cederent ſortis loco, ſi majores eſſent, & maritus contentus eſſet uſuris redactis ex perceptis fructibus, vel niſi convenerit ut mulier ſe ſuoſque alat.

Digitized by Google

§. *uſuras.*

REdintegrato matrimonio dos tacite redintegratur, ut *hic*, *& l. divus*, ſupr. *h. tit.* Si poſt divortium vir promiſerit uxori, ſe ſoluturum dotem cum uſuris, poſtea redintegrato matrimonio uſuræ dotis non debentur a die ſecundi matrimonii, id eſt redintegrati matrimonii, quia nec ſortis exactio locum habere cœpit. Medii autem temporis uſuræ debentur, quia medio tempore maritus non ſuſtinuit onera matrimonii.

§ *in domum.*

SI pater filiæ nomine dotem promiſerit, & uſuras dotis quoad eam ſolveret, filia deducta in domum viri abſentis, nullo interim in eam ex re viri ſumptu facto, reverſus maritus uſuras ejus temporis improbe petet, quia uxorem non exhibuit, ex *h.* §. Uſuræ dotis debentur propter onera matrimonii; *l. in inſulam*, §. *uſuras*, inſr. *ſolut. matrim. l. ſi quis pro uxore*, §. *ſi uxor*, *de don. int. vir. & uxor. l. ult. in pr. de dol. & met. except. l. cum de in rem verſo*, §. 1. *de uſur.* Inanis eſt ſtipulatio uſurarum, ſi mulier mariti ſumptu alta non ſit. Ex conſtitut. uſuræ dotis debentur poſt biennium a die contracti matrimonii, ſine pacto vel ſtipulatione; *l. ult.* §. *præterea*, C. *h. tit.* Hodie uſuræ dotis debentur ipſo jure a die nuptiarum, vel a die deſtinatæ ſolutionis; *cap. ſalubriter, de uſur. cap. per veſtras*, *de don. int. vir. & uxor.* Cujac. *conſult.* 16.

§. *gener.*

SI gener a ſocero ſtipulatus ſit dotem dari arbitrio ſoceri, non demonſtrata certa re vel quantitate, arbitrio detracto, id eſt remoto, ſtipulatio valet; *l.* 3. *C. de dot. promiſſ.* nec ſimile videtur, quod legatum fundi vel ſtipulatio fundi ſimpliciter, non demonſtrato certo fundo, non valet, incertæ rei nullum eſt legatum, vel ſtipulatio fundi, ut ſcriptum eſt, *hic*, *& l. ſi domus*, inſr. *de legat.* 1. *l. Seiæ*, *de aur. & argent. legat.* quia multum intereſt, inter modum conſtituendæ dotis, & legatum vel ſtipulationem corporis ignoti id eſt incerti, quia dotis modus conſtitui poteſt pro facultatibus patris & dignitate mariti, ex *h.* §. *& l. quæro*, ſupr. *h. tit.* Opponitur *l.* 1. *C. de dot. promiſſ.* quæ ait, ſtipulationem dotis nullam eſſe, ſi mulier marito ſtipulanti dotem promiſerit, non demonſtrata re vel quantitate. Multum intereſt, utrum pater dotem promiſerit pro filia, vel ipſa mulier nuptura pro ſe: pater enim dotem filiæ conſtituere debet pro modo facultatum ſuarum & dignitate mariti. At incertum eſt quam dotem mulier ſibi ipſi conſtituat, & ſufficit vel modicam dotem dari, ne mulier indotata videatur. Item legatum conferri poteſt in arbitrium alterius tamquam arbitrium boni viri, quia arbitrium boni viri certam quantitatem continet; *l.* 1. *l. quidam*, *de legat.* 2. *l. ſi filiæ*, *de legat.* 3. arbitrium boni viri ſemper certum eſt. Alias apud comicos certum diſtinguitur ab arbitrario; Plaut. in Pœnulo (3. 5. 42.): *Nunc pol ego perii certo, haud arbitrario.*

§. *nuptiis.*

NUptiis ex voluntate id eſt deſtinatione patris puellæ cum filio tutoris contractis, dos pro modo facultatum & dignitate natalium a tutore conſtitui poteſt, ex *h.* §. Tutor pupillam ſibi vel filio matrimonio jungere non poteſt, niſi deſponſa ſit a patre, vel deſtinata teſtamento patris; *l. tutor*, † *de rit. nupt.* Hoc caſu juſtæ ſunt nuptiæ cum tutoris filio, & dos a tutore pupil-

pillæ conſtitui poteſt. Nec obſtat, quod tutor non poteſt eſſe auctor in rem ſuam; §. *ult. inſt. de auct. tutor. l.* † 1. §. *fuit quæſitum*, *ad Trebell.* quia ex quo juſtæ ſunt nuptiæ, neceſſaria eſt dotis datio, ne mulier indotata ſit. Et tutor non videtur eſſe auctor in rem ſuam, ſed exequi voluntatem patris: ut ſi quis ab eo fundum emerit, cujus filio poſtea tutor datus eſt, poteſt ſibi tradere poſſeſſionem fundi; *l. fiſtulas*, §. *fundum*, *de contrah. empt.* quia poſſeſſio a patre pupilli jam tradita videtur, vel ſaltem ex voluntate patris.

§. *patrona*.

SI patronus pro liberta dotem promiſerit, vel dederit, non poteſt eam retinere vel revocare ob ingratitudinem libertæ, ex *h.* §. & *l. ſi dotem*, *C. h. tit.* ne concordans matrimonium turbetur; *l.* 1. §. *ult. de liber. exhibend.*

§. *cum res*.

SI convenerit, ut res æſtimatæ in dotem datæ ſoluto matrimonio redderentur, rebus evictis, mulier ſi bona fide eas dederit non tenetur de evictione, quia hujuſmodi æſtimatio non eſt venditio, ſed declaratio ſeu taxatio ſummæ dotis. Hoc caſu par eſt cauſa dotis æſtimatæ, & inæſtimatæ; *l. unic.* §. † 15. *verſ. in fundo*, *C. de rei uxor. act.* Alioquin ſi mulier mala fide eas dederit, tenetur de dolo, ex *h.* §. non directa actione de dolo, quia actio de dolo, quæ eſt famoſa, in uxorem vel eam quæ uxor fuit non datur in honorem priſtini matrimonii; *l.* 1. & 2. *rer. amotar.* Si mulier res æſtimatas in dotem dederit, rebus evictis viro tenetur actione ex empto, vel ſtipulatione duplæ: verum divortio facto, quidquid evictionis nomine ab ea maritus conſecutus fuerit, dotis actione id mulieri reſtituere tenetur, quia dotis æſtimatio non eſt ſimplex venditio, ſed venditio dotis cauſa; *l. quotiens*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi mulier res non æſtimatas in dotem dederit, re evicta non tenetur de evictione, niſi ultro marito caverit de evictione, & tunc divortio facto, quidquid evictionis nomine maritus ab ea conſecutus fuerit, id mulieri reſtituere debet; *l. non ſolum*, ſupr. *h. tit.*

§. *pen.*

REbus æſtimatis in dotem datis, earum dominium viro adquiritur, quamvis eas mulier in uſu habeat, ex *h.* §. & periculum earum ad virum pertinet, etiam ſi uſu uxoris deteriores fiant; *l. æſtimata*, infr. *ſolut. matrim.* niſi aliud pactum ſit, ut in caſu *l.* 1. *C. h. tit.*

§. *ult.*

DIxi ad *l. plerumque*, §. *ſi ſervi*, ſupr. *h. tit.*

L. 70.

IN ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt, ut *hic*, & *l. in ambiguis* 85. *de R. J.* Hæc regula reſpicit formulam actionis rei uxoriæ, quod æquius melius ſit dari, repromittive, cujus veſtigium extat, in *l. pen. in fin. ſolut. matrim.* & apud. M. Tull. *pro Roſcio Comœdo*, & 3. *offic.* In ambiguis ea interpretatio ſumitur, quæ pro dote facit, id eſt pro dote ſervanda & reſtituenda mulieri. Ut in *l.* 2. infr. *de pact. dotalib.* ſi convenerit, ut quoquomodo ſoluto matrimonio liberis intervenientibus dos apud virum remaneret, qui ſermo ambiguus eſt, nam ambiguum eſt, utrum id convenerit divortio vel morte

viri ſoluto matrimonio: Papinianus reſpondit, non videri conveniſſe, ut morte viri ſoluto matrimonio dos apud virum vel heredes remaneret, ne mulier indotata eſſet: nec ſi id nominatim conveniſſet conventionem valere, quia eſt contra dotem, quod mulierem indotatam faciat, quæ eſt ſuperſtes viro. Et in *l.* † *nuptura*, ſupr. *h. tit.* ſi mulier nuptura filiof. ita dotem ſocero promiſerit, quod filius tuus mihi debet in ſolidum, quia obligatus eſt in ſolidum, vel quod filii tui nomine debes, quatenus eſt in peculio, favor doris priorem interpretationem recipit, ut amplior dos ſocero debeatur, ut totum quod filiusf. debet ſit in dote. Et in *l. cum pater*, inſr. *de pact. dotalib.* ſi promiſſa vel dicta dote ſocer ita cum genero paciſcatur, ne ſe vivo dos petatur, neve conſtante matrimonio, hæc poſtrema verba, *neve conſtante matrimonio*, ambigua ſunt, quia duas diverſas ſententias continent, vel ut conſtante matrimonio ſe vivo non petatur, vel ne omnino petatur a ſe vel herede ſuo conſtante matrimonio, ſed demum finito matrimonio. At prior interpretatio aſſumenda eſt, ut ſc. marito ſtatim atque ſocer diem obierit, dotis petitio competat, ne mulier conſtante matrimonio indotata videatur. Indotata enim eſſe videtur, cujus dos non ſervit oneribus matrimonii, id eſt cujus fructus maritus non percipit; *l. 76.* inſr. *h. tit.* v. *l.* Gaius, *in fin.* inſr. *ſolut. matrim.*

L. 71.

SI extraneus, puta debitor mulieris, dotem promiſerit, periculum eſt mulieris, ſi nulla ſit mora mariti in exigenda pecunia debita, vel quia debiti conditio nondum extiterat, vel quia nondum ſecutæ erant nuptiæ, vel ſi debitor fuit non ſolvendo tempore promiſſæ dotis; *l. non enim*, *l. promittendo*, §. *ſi a debitore*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi extraneus mulieris nomine dotem promiſerit, & † maritus nomen ſecutus, a debitore uſuras exegerit, periculum eſt mariti, ex *h. l.* in creditum iiſſe videtur dulcedine uſurarum; *l. ait prætor*, §. *ſi quid in fraudem*, *quæ in fraud. creditor.* Bonum nomen facere videtur, qui admittit debitorem delegatum; *l. inter cauſas*, §. *abeſſe*, *mandat.* Periculum eſt mariti, ſi moram fecerit in exigenda pecunia debita; *l. ſi extraneus*, ſupr. *h. tit.*

L. 72.

MUlier omnia bona ſuá in dotem dare poteſt, ut *hic*, & *l. nulla*, *C. h. tit. l.* 1. §. 1. inſr. *pro dot.* Olim ſi matrimonium contraheretur conventione in manum, omnia bona viri fiebant dotis nomine, ex M. Tullio in *topic.* & Servio in illud 1. † Georg. 30. & ſeq.

Tibi ſerviat ultima Thule,
Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis.

Si mulier omnia ſua bona in dotem dederit, maritus non tenetur oneribus hereditariis reſpondere, quaſi heres, in ſolidum ſc. ſed plus non eſt in promiſſione dotis, quam quod ſupereſt deducto ære alieno: maritus non tenetur creditoribus ultra vires bonorum, quia bona intelliguntur deducto ære alieno; *l.* 2. §. *illud*, *de collat. bonor. l. ſubſignatum*, §. 1. *de V. S. l. ult.* §. † *ſin autem*, *C. de bon. quæ liber.* Si mulier minor 25. annis omnia bona ſua in dotem dederit, reſtituitur in integrum adverſus dotem, quia quandoque ejus expedit bona omnia in dotem non dari; *l. unic. C. ſi adverſ. dot.*

§. *Paulus reſpondit.*

DOtis non æſtimatæ periculum pertinet ad mulierem; *l. plerumque*, ſupr. *h. tit.* In rebus dotalibus non æſtimatis maritus vel pater mariti, qui do-

dotem accepit, non præſtat periculum, ſed præſtat dolum & culpam, ex *h.* §. id eſt dolum & diligentiam, quam ſuis rebus adhibet, quia ſua cauſa dotem accepit; *l. in rebus, l.* † *cum dotem, h. tit. l. etiam*, infr. *ſolut. matrim.*

§. *ult.*

MUlier, quæ de ſuo dotem dedit, ſi matrem adhibuerit, quæ ſtipularetur dotem ſibi reddi ſoluto matrimonio, potuit poſtea inſtrumentum dotale mutare, id eſt ſtipulari dotem ſibi reddi, non matri, quia mater ſtipulata eſt mandato filiæ, quod nuda voluntate revocatur.

L. 73. in princ.

Dixi ad *l.* 41. ſupr.

§. *manente.*

COnſtante matrimonio dos uxori reddi non poteſt, niſi certis ex cauſis, veluti ut ſeſe ſuosque alat, ut fundum idoneum emat, ut in exilium vel in inſulam relegato parenti præſtet alimoniam, aut ut egentem virum, fratrem, ſororemve ſuſtineat, aut ut urgens æs alienum ſolvat; ex *h.* §. *l. ult.* infr. *h. tit. l. quamvis, & ſeq. ſolut. matrim. l.* 1. *C. de repud.* Conſtante matrimonio ſi convenerit, ut mulier dote ſua frueretur, ut ſe ſuosque paſceret, uſuræ dotis peti non poſſunt, quia compenſantur cum oneribus matrimonii; *l. ſi quis pro uxore*, §. *ſi uxor, de don. int. vir. & uxor.* Maritus ob ſumptus funeris uxoris funeraria non convenietur, ſi uxori in matrimonio dotem ſolverit ex quibus cauſis legibus permiſſum eſt; *l. ſic pro rata*, §. *maritus*, ſupr. *de religioſ.* Alias conſtante matrimonio dos ſine cauſa reddi non poteſt, quia dotis repræſentatio ſpecies eſt donationis; *l. ult.* §. *ſi a ſocero*, infr. *quæ in fraud. credit. l. unic. C. ſi dos conſtant. matrim.* Dos etiam repeti poteſt conſtante matrimonio, marito vergente ad inopiam; *l. ubi adhuc, C. h. tit. l. ſi conſtante*, infr. *ſolut. matrim.* Quod ſi conſtante matrimonio dos reddita ſit uxori ſine juſta cauſa, mortua uxore repetitur ab ejus heredibus cum fructibus medii temporis, ſervata proprietate liberis prioris matrimonii, viro transeunte ad ſecundas nuptias; *d. l. unic. C. ſi dos conſtant. matrim. nov.* 22. *cap.* † 39.

L. 74.

MUlier in dote repetenda præfertur omnibus creditoribus anterioribus, etiam hypothecariis; *l. aſſiduis, C. qui potior. in pign.* Si ſponſa dotem dederit, nec nupſerit, vel ſi minor 12. annis pro uxore habeatur, ut ſi deducta ſit in domum quaſi mariti, exemplo dotis in condicenda dote habet privilegium exactionis inter perſonales id eſt inter chirographarios creditores, ex *h. l. quæſitum*, §. 1. *& l. ſeq. de reb. auctor. jud. poſſid. l. ſi cum dotem*, §. *ult. ſolut. matrim. l.* † *ſancimus, C. qui potior. in pign. l. eum qui duas, C. ad leg. Jul. de adulter.* non repetit dotem vel quaſi dotem actione de dote, quia dos eſt quæ juſto matrimonio cohæret; *l. dotem, de caſtrenſ. pecul.* ſed condicit condictione ob cauſam dati, quæ eſt actio in perſonam, quaſi dotis repetendæ cauſa, quaſi dos eſt quæ nullo vel non juſto matrimonio cohæret.

† Hæc lex deſideratur.

L. 75.

Dixi in *Tryphoninum libr. 6. diſput.*

L. 76.

Dixi in *Tryphoninum libr. 9. diſput.*

L. 77.

Dixi in *Tryphoninum libr.* 10. *diſputat.*

L. 78.

Dixi in *Tryphoninum libr.* 11. *diſputat.*

L. 79.

Dixi in *l.* † 5. §. 1. ſupr. *h. tit.*

§. † *pater.*

SI pater dotem promiſerit filiæ nomine, cum commodum erit, tenetur cum primum ſine infamia & turpitudine dare poterit, ex *h.* §. id eſt cum primum poterit ſine incommodo, deducto ære alieno, ſalva dignitate; *l.* † *Sempronius, de legat.* 2. *l. nepos, de V. S.*

† V. ſi facit. Et junge *l.* 29. *de condit. & demonſtr. & l.* 29. *quand. dies legat.*

L. 80.

SI debitor mulieris dotem ſponſo promiſerit, mulier ante nuptias non poteſt eam pecuniam a † debitore petere, quia ea promiſſio eſt in pendenti, donec ea obligatio in ea cauſa eſt, id eſt in cauſa dotis, ex *h. l. & l. ſi debitor*, infr. *h. tit.* ut exiſtimat Javolenus rejecta ſententia Labeonis, ne temere diſſolvatur ſpes nuptiarum. Dos vel quaſi dos data ante nuptias, non eſt repetenda priusquam ſponſalia diſſolvantur: incivile eſt dotem datam ante nuptias repeti, dum ſperatur futurum matrimonium. Caſum adverſamque fortunam ſpectari hominis liberi, neque civile, neque naturale eſt; *l. inter ſtipulantem*, §. *ſacram, de V. O.*

L. 81.

SI pater nummos alienos, quos mutuos acceperat, aut in creditum id eſt ſolutum receperat, filiæ in dotem dederit, conſumptis nummis, dos profectitia efficitur, ex *h. l. & l. ſi alieni, l.* † *ſi is cui nummos*, infr. *de ſolut.* quia nummi alieni crediti, vel in ſolutum dati, non fiunt accipientis, & mutuum non contrahitur, vel liberatio non contingit priusquam conſumpti ſint; *l. nam etſi fur, de reb. credit.* Cujac. 13. *obſ.* 28. Neque obſtat *l. jure ſuccurſum eſt*, §. 1. ſupr. *h. tit.* ſi pater alienum fundum bona fide emptum a non domino in dotem dederit, dos profectitia intelligitur, quia hoc verum eſt in emptore bonæ fidei, ſi res evincatur habet actionem de evictione adverſus venditorem. Et rem habere videtur, qui habet actionem de evictione.

L. 82.

SI uxor virum ſuum pecuniam, quam ſibi debebat, in dotem filiæ communis dare juſſerit, obſervandum eſt utrum maritus ſuo an uxoris nomine dotem dederit: ſi ſuo nomine, nihilominus uxori debitor manet, quia dotem dediſſe videtur ut pater, non ut debitor mulieris; ex *h. l. & l.* † *ſuccurſum eſt*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* Paternum officium eſt dotare filiam; *l. qui liberos, al. l.* 19. *de rit. nuptiar. l. ult. C. de dot. promiſſ.* ſi uxoris nomine dotem dederit, ab uxore liberatur, quia maluiſſe videtur ſe liberare, quam dotem dare de

† Lex iſta non extat.

de ſuo : nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtit ; *l. proxime*, *de rit. nuptiar. l. rem legatam*, *de adimend. legat.*

L. 83.

Dixi *ad l.* 80.

L. pen.

SI extraneus dotem promiſerit, condemnatur in ſolidum : ſi pater dotem promiſerit, manente affinitate, id eſt conſtante matrimonio, tenetur tantum in quantum facere poteſt, deducto ne egeat. Si ſoluto matrimonio conveniatur, tenetur in ſolidum, ſi ſciens ſupra vires patrimonii dotem promiſerit, ut ſpecie, id eſt colore, & illecebris futuræ dotis genero inſidiaretur, ex *h. l. & l. etiam*, *l. ſi conſtante*, infr. *ſolut. matrim.* idem probatur *l. ſicut autem*, *& ſeq. de re judic.* Cujac. *ad l.* 28. *de R. J.* Ant. Faber, 2. *conject.* 14. Si curator ultra vires bonorum dotem conſtituerit, tenetur in ſolidum, quia officium ſuum egreſſus ſponte ſe obligavit ; *l. cum poſt*, §. 1. *de adminiſtr. tutor.* vel videtur promiſiſſe donandi animo ; *l. ſi donaturus*, *de condict. cauſ. dat. l.* † *in commodato*, §. *ſicut autem*, *commodat.*

L. ult.

PAter filiæ nomine fundum in dotem, vel partem dotis dedit, ſi poſtea filia patri ex aſſe heres extiterit, & urgentibus creditoribus hereditariis, utilius videatur fundum dotalem quia minus fructuoſus erat diſtrahere, & hereditarios retinere, marito conſentiente dos mulieri reſtitui poteſt, conſtante matrimonio. Si nulla in ea re ſit captio, id eſt deceptio mulieris, id eſt ſi pretium redactum ex venditione fundi dotalis creditoribus ſolvatur, & alii fundi hereditarii tradantur marito vice ejus qui diſtractus eſt, quia dos non tollitur marito, ſed permutatur de re in rem, & hoc utile eſt ; *l. ita conſtante*, ſupr. *h. tit.*

AD TITULUM

De pact. dotalib.

L. 1. *in pr.*

DE dote reſtituenda paciſci licet poſt nuptias, etiam ſi nihil ante convenerit, ex *inir. h. l.* dummodo dotis cauſa deterior non fiat ; *l. cum maritus*, infr. *h. tit.*

§. 1.

PActa, quæ de dote reddenda fiunt, inter omnes fieri oportet, qui dotem repetere poſſunt, & a quibus dos repeti poteſt, ne ei qui non interfuit apud arbitrum cognoſcentem (Actioni de dote a prætore addici ſolebat arbiter, id eſt judex dotis recuperandæ ; de quo in *l.* 7. *de fund. dotal. l. Titia*, infr. *de ſolut.* Tertull. 2. ad uxor. de mulieribus Chriſtianis : *Quarum dotem objectione nominis*, *mercedem ſilentii*, *ſcilicet apud arbitrum ſtipulatorem litigaturi.*) pactum non proſit, id eſt noceat ; *l.* 7. 8. 20. §. 1. infr. *h. tit.*

Digitized by Google

L. 2.

LIberis intervenientibus, dotis cauſa pactis deterior fieri non poteſt ; *l.* 1. §. 1. infr. *de dot. preleg.* ut in ſpecie *h. l.* ſi convenerit, ut quoquo modo, etiam divortio, ſoluto matrimonio, liberis intervenientibus, dos apud virum remaneret, divortio ſoluto matrimonio valet pactum, ut dos apud maritum remaneat propter liberos. Morte mariti ſoluto matrimonio, pacto effici non poteſt, ut morte mariti ſoluto matrimonio dos apud maritum vel heredem mariti maneat, nec ſi id convenerit pactum valet, quia eſt contra dotem, ex eo ſc. mulier indotata fieret, quæ eſt ſuperſtes viro. Ita conſultus Papinianus Juniano prætori reſpondit in *hac l.* ut in *l. Neſennius*, infr. *ad l. falcid.* Paulus conſultus reſpondit Neſennio judici: in dubiis jurisperiti judicibus conſulentibus de jure reſpondebant ; *l.* 2. §. *ult. verſ. neque reſponſa*, *de orig. jur.* Quod ſi pater dotem dando pactus ſit, ut mortua in matrimonio filia dos apud virum maneret, valet pactum etiam liberis non extantibus ; *l. ſi pater*, *l. inter ſocerum*, §. *cum inter*, *h. tit. l. ſi dotali*, infr. *ſolut. matrim.*

L. 3.

PActa conventa, quæ in divortii tempus collata ſunt, non facto divortio locum non habent, ex *h. l.* Pacta non extenduntur de caſu ad caſum.

L. 4.

SI convenerit inter virum & uxorem, ut fructus dotis in dote eſſent, conventio non valet, ne dos ſit ſterilis, & mulier prope indotata fiat. Dos nulla eſt, quæ non ſerviat oneribus matrimonii ; *l. ſi pater* 76. *de jur. dot.* Quod ſi convenerit, ut fructus percepti redigerentur in ſortem, & ejus ſortis uſuras maritus perciperet, conventio valet, ſi ea contemplatione mulier majorem dotem dederit. Item pactum valeret ſi convenerit, ut fructus in dotem converterentur, & mulier ſe ſuoſque aleret, & univerſa onera ſua ſuſtineret, ex *h. l. & l.* †† *cum poſt*, §. 1. ſupr. *de jure dot. l. ſi quis pro uxore*, §. *ſi uxor*, † *de donat. int. vir. & uxor.* Ant. Faber, 6. *conject. ult.*

†† V. ſi probat. Et adde *l.* 12. §. 1. *h. tit.*

L. 5.

SI convenerit † ante nuptias vel conſtante matrimonio, ne ſoluto matrimonio ob res donatas vel amotas agatur, id eſt retentiones ex dote fiant, hoc pactum non valet, quia altero pacto mulieres ad furandum invitantur, id eſt provocantur, altero jus civile impugnatur, id eſt donatio intet virum, & uxorem contra jus admittitur. Et ſi convenerit, ne ob impenſas neceſſarias retentiones ex dote fiant, pactum non valet, quia tales impenſæ ipſo jure dotem minuunt: ſi hujusmodi pactum fiat poſt divortium valet ; *l. ob res*, *in pr.* infr. *h. tit.*

† Recitatio iſta pertinet ad §. 1. & 2. *h. l.* De *ſinit.* verbum nullum.

L. 6.

IN rebus dotalibus non æſtimatis, maritus non præſtat periculum, ſed præſtat dolum & culpam ; *l. in rebus*, *l. mulier bona*, §. *Paulus reſpondit* 1. *de jur. dot.* Maritus non poteſt paciſci, ne ſolum dolum præſtet in dote, videlicet propter utilitatem nubentium, quamvis paciſci poſſit, ne dos ſit periculo mulieris, ex *h. l.* Pacto effici non poteſt, ne dolus præſtetur ; *l. ſi unus*, §. *illud*, *de pact.*

L. 7.

Digitized by Google

L. 7.

PAter ab initio in dote danda, ſine conſenſu filiæ paciſci poteſt dotem ſibi reddi ſoluto matrimonio, quia qui dotem dat poteſt ab initio legem dicere rei ſuæ, ut *hic*, *& l. ob res*, §. 1. infr. *h. tit.* ut & qui rem ſuam donat, ab initio poteſt paciſci, ut ea res poſt tempus alii reddatur; *l. quotiens*, *C. de donat. quæ ſub mod.* Poſt dotem datam & nuptias contractas, pater non poteſt id ſine conſenſu filiæ, quia jam adquiſita mulieri dos eſt: dos eſt proprium patrimonium mulieris, ut *hic*, *& l.* 2. infr. *ſolut. matrim.* Et ſi forte filia familias temere conſenſerit patri ex intervallo ſtipulanti dotem ſibi reddi ſoluto matrimonio, in integrum reſtituitur adverſus eam conditionem, quia dos proprium filiæ patrimonium eſt; *l.* 3. §. *ergo*, ſupr. *de minor.* Filia ſola non poteſt paciſci de dote in fraudem patris, ad quem mortua ea in matrimonio dos reverſura eſt, ex *h. l. & l.* † *quotiens*, infr. *ſolut. matrim. l.* † *cum a ſocero*, *C. de jur. dot.* † V. *l.* 2. §. 1. *ff. ſolut. matrim.*

L. 8.

PAtre furioſo vel ab hoſtibus capto, filiusf. uxorem ducere, filiaf. nubere poteſt; *l. ſi nepos*, *l.* † *ſi filius*, *de rit. nuptiar. l. in bello*, §. *medio*, *de captiv. & poſtlim. reverſ. l. ſi furioſi*, *C. de nupt.* Et conſequenter de dote paciſci, ex *h. l* id eſt dotem promittere; *l. promittendo*, ſupr. *de jur. dot.* quia nuptiis permiſſis conceſſa videntur ea omnia, ſine quibus ad nuptias perveniri non poteſt; *l.* 2. *de juriſdict.*

L. 9.

SI pater pactus ſit cum genero, mortua filia in matrimonio dotem ſibi reddi, vel ſe mortuo, filio vel heredi ejus, mortua filia in matrimonio, utilis actio ex ſtipulatu datur ſocero, eo mortuo, filio vel heredi ejus, ex *h. l. & l. pater*, infr. *h. tit.* Et hoc eſt quod dicitur in fin. *h. l. benigna interpretatione defendi*, *utilem ſtipulationem eſſe*. Ratio dubitandi erat, nemo alteri ſtipulari poteſt, niſi filius patri vel ſervus domino; *l. ſtipulatio iſta*, §. *alteri*, *de V.O. l. quæcumque*, *de oblig. & act.* Si pater ſtipuletur filiæ, filiæ datur utilis actio ex ſtipulatu; *l. quodcumque*, §. *ſi quis ita*, *de V.O.* non directa. Si avus maternus ſtipuletur nepti ſoluto matrimonio dotem reddi, nepti datur utilis actio ex ſtipulatu; *l. Gaius*, infr. *ſolut. matrim.* Si pater pactus ſit dotem datam pro filia, ea prius mortua in matrimonio nepotibus reſtitui, utilis eis actio accommodatur; *l. pater*, *C. de pact. convent.* ut in *l.* † *Publia Mævia*, *depoſit.* mater utiliter paciſcitur depoſitum reſtitui filio. Per filium, qui in poteſtate eſt, patri adquiritur directa actio ex ſtipulatu, quia per filium patet ipſe ſtipulatus videtur: filia inutiliter ſtipulatur matri dotem reddi ſe mortua in matrimonio; *l. inter ſocerum*, §. *pen.* infr. *h. tit. l. debitor*, §. 1. *ad Trebell.* quia mater non habet liberos in poteſtate: pater vel avus utiliter ſtipulatur filio vel nepoti dotem reddi: plus tribuitur affectui parentum, quam liberorum; *l.* † *cum pater*, §. *mater*, *de legat.* 2. Ant. Faber, 1. *conject.* 4. Cujac. in *l.* 38. §. *in ſtipulationibus*, *de V. O.* † V. ſi facit. Et v. *l.* 45. *ff. ſolut. matrimon.*

L. 10.

SI avus promittendo dotem pro nepte ex filio, pactus ſit ne a ſe, neve a filio dos petatur, filio heredi prodeſt exceptio pacti, quia heredi ſuo cavere conceſſum eſt, ceteris heredibus, id eſt heredi extraneo, non item, ex *h. l. & l. avus*, *de pact.* Ratio dubitandi erat, quod qui paciſcitur nulla mentione

facta heredis, ſibi & heredi paciſci intelligitur, quia plerumque tam heredibus noſtris, quam nobismetipſis cavemus; *l. ſi pactum*, *de probat.* Tamen favore dotis, ſi pater paciſcatur filio dotem reddi, pactum non prodeſt heredi extraneo; *Cujac.* 11. *obſ.* 29.

L. 11.

SI pater dotem promittendo pro filia pactus ſit, ne ſe vivo, neve conſtante matrimonio dos petatur, poſterior pars conventionis interpretanda eſt, quaſi adjectum eſſet ſe vivo, id eſt quaſi pactus eſſet, ne ſe vivo conſtante matrimonio dos petatur, quia indigniſſimum viſum eſt, fructus dotis ab oneribus matrimonii ſeparari, & mulierem indotatam videri: matrimonium ſine dote magis videtur concubinatus, quam matrimonium; Plaut. in trinumm. (3. 2. 64. & ſeq.)

Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi
Sic ſine dote dediſſe, magis quam in matrimonium.

Dos nulla eſt quæ non ſervit oneribus matrimonii; *l. ſi pater* 76. *de jur. dot.* Ex quo efficitur ut mortua filia vivo patre, vel divortio facto ſine culpa mulieris, dos peti non poſſit: conſtante autem matrimonio mortuo patre dos peti poſſit, ex *h. l.* & *l. ob res*, §. *ult.* infr. *h. tit.* In ambiguis ſemper pro dotibus reſpondendum eſt; *l. in ambiguis*, *de jur. dot.* Cujac. *ad l.* 70. *eod. tit.*

L. 12. *in pr.*

DIxi ad *l.* 2. ſupr. *h. tit.*

§. *ex pactis*.

SI convenerit ante nuptias, vel poſt nuptias, ut mulier ex dote promiſſa ſe alat, & conſtante matrimonio dos ab ea non petatur, aut certam ſummam, id eſt penſionem annuam viro præſtet, pactum valet. Quod ſi convenerit quando dos petatur, vel quemadmodum reddatur, non ſemper contrahentium voluntas ſervatur. Quod ſi convenerit ne omnino dos petatur, pactum non valet, ne mulier ſit indotata, ex *h.* §.

§. *ſi mulier*.

SI mulier pacta ſit ante nuptias, ne amplius quam pars dimidia dotis promiſſæ a ſe petatur, adjecta ſtipulatione pœnali, ſi contra pactum quid fiat, alterutro contenta eſſe debet, vel exceptione pacti, id eſt ſe tueri exceptione pacti, ſi maritus petat totam dotem, vel plus quam dimidiam. Et ſi ſe tueatur exceptione pacti, acceptam facere debet pœnæ obligationem, id eſt pœnam remittere per acceptilationem: vel ſi agat ex ſtipulatione pœnali, ſi pœnam petat ex ſtipulatu, non poteſt uti exceptione pacti, ex *h.* §. cui conjungenda eſt *l. reſcriptum*, §. *ſi pacto*, *de pact.* & *l. apud Celſum*, §. *Labeo ait* 7. *de dol.* & *met. except.* Excipitur unus caſus, niſi in ſtipulatione pœnali addita ſit clauſula, *rato manente pacto*. Hoc caſu, qui pactus eſt addita ſtipulatione pœnali, ſi contra pactionem fecerit, repellitur exceptione pacti, & pœnam præſtare cogitur; *l. pen. de tranſact.* *l. cum proponas*, *C. eod.*

§. *pen.*

SI fundo æſtimato in dotem dato mulier pacta ſit, ut quanto pluris venierit, id in dote ſit, vel quanto minoris venierit ipſa debeat, valet pactum, ex *h.* §. quod ſervatur etiam in venditione ita facta, *fundus ille ſibi emptus eſto centum*; & *quanto pluris vendiderit*, valet venditio, quia certum pretium habet,

Digitized by Google

bet, & angetur pretium, ſi pluris emptor eum vendiderit; *l. hac venditio*, §. *ult. de contrah. empt.*

§. *ult.*

QUod ſi fundo æſtimato in dotem dato convenerit, ut ſive pluris ſive minoris venierit, pretium quanto venierit in dote ſit, pactum valet, nec videtur deterior fieri conditio dotis, quia res tanti æſtimatur, quanti venire poteſt; *l. ſi ſervum, ad l. Aquil.* quod ſi dolo aut culpa mariti fundus minoris venierit, id quo minus venierit ſoluto matrimonio maritus uxori ſupplere debet, quia dotis cauſa deterior fieri non poteſt dolo aut culpa mariti.

L. 13.

QUod ſi fundus non venierit, æſtimatio præſtanda eſt, id eſt æſtimatio facta, quia æſtimatio. eſt vice emptionis; *l. plerumque*, §. *ſi ante*, *de jur. dot.*

L. 14. 15. 16.

JUre veteri dos reddebatur annua, bima, trima die, id eſt tribus penſionibus annuis. Ex conſtitutione Juſtiniani intra annum reddi debet; *l. unic.* §. *cum autem*, C. *de rei uxor. act.* De die reddendæ dotis, id eſt qua die reddatur, paciſci licet, dummodo mulieris conditio deterior non fiat, ex *h. l.* † 14. id eſt de dote reddenda paciſci licet, ut citeriore, id eſt propiore quam annua, bima, trima die, reddatur, quia dotis conditio pactis melior fieri poteſt, deterior non poteſt; *l.* † 15. *l. Attilicinus*, infr. *h. tit.* Ut autem longiore, id eſt longiore, quam annua, bima, trima die, ſolvatur, conveniri non poteſt, vel ne omnino reddatur, quia pactis dotis conditio deterior fieri non poteſt; *l.* 16. *d. l. Attilicinus*. Si in ipſo divortio ex continenti convenerit, ut dos ſtatim reddatur, hæc pactio ſervanda eſt; *l. jurisgentium*, §. *quinimmo*, *de pact.* Divortium pro contractu habetur; *l.* *) *ſi uxor*, ſupr. *de judic.* licet ſit magis diſtractus, quam contractus.

L. 17.

SI ante nuptias convenerit inter virum & uxorem, ut quibus diebus dos data, iisdem divortio facto reddatur, pactum valet: ſi convenerit, ut propiore die, id eſt propiore quam annua, bima, trima die, dos reddatur, pactum valet: ſi convenerit, ut longiore die dos reddatur, pactum non valet, quia pactis dotis conditio melior fieri poteſt, deterior non poteſt, ex *h. l.* & *l. aliud eſt*, infr. *h. tit. l. ſi unus*, §. *pactus ne peteret*, *de pact.* Quod ſi convenerit, ut dos præſenti die reddatur, & poſtea placuerit, ut dos reddatur intra legitimum tempus, id eſt annua, bima, trima die, poſterius pactum valet, nec videtur dotis conditio pacto deterior fieri, quia dos redditur formæ, id eſt naturæ ſuæ; *d.* §. † *pactus ne peteret*, quod ſi poſt divortium convenerit, ne intra tempus ſtatutum dos reddatur, ſed ſtatim, pactum non valet, ne ex pacto naſcatur actio; *l. juris gentium*, §. † 5. *verſ. ut puta*, *de pact.*

L. 18.

SI conſtante matrimonio convenerit inter virum & uxorem, ut ſoluto matrimonio longiore die dos reddatur, pactum non valet, quia eſt donatio. Quod ſi poſt divortium ex juſta cauſa convenerit, ut longiore die reddatur, puta ut parcatur inopiæ mariti, pactum valet. Eadem ex cauſa in dote reſti-

Digitized by Google

ſuis, quos in poteſtate habebat, reddi: poſt mortem patris mortua filia liberis ſuperſtitibus, filii, id eſt fratres filiæ, beſſem dotis ex ſtipulatu petere poſſunt, ex *h. l.* Si avus maternus ſtipulatus ſit ſoluto matrimonio nepti dotem reddi, nepti datur utilis actio ex ſtipulatu; *l. Gaius*, infr. *ſolut. matrim.* Neque obſtat *l. inter ſocerum*, §. *pen. h. tit.* ſi filia ſtipuletur matri dotem reddi, mortua filia in matrimonio ſine liberis, matri non adquiritur actio ex ſtipulatu: plus tribuitur affectui parentum, quam liberorum.

L. 24.

SI conſtante matrimonio pactum ſit inter virum & uxorem, ut certa pars dotis vel tota dos ob unum vel plures liberos intervenientes retineretur, pactum prodeſt etiam liberis natis antequam dos daretur, aut ampliaretur, nam ſufficit eos ex eo matrimonio naſci, in quo dos data eſt, ex *h. l.* Pater præſumitur paciſci non modo liberis naſcituris, ſed maxime natis ante dotem datam vel auctam. Paterna pietas ſemper optimum conſilium capit pro liberis; *l. nec in ea lege*, §. *ult. ad l. Jul. de adulter.* Dos de novo conſtitui vel ampliari poteſt conſtante matrimonio, ex *h. l.*

L. 25.

SI pater in danda dote filiæ nomine, pactus ſit de dote reddenda, ſi data eſſet, mortua filia in matrimonio, idem de non petenda dote conveniſſe videtur. Et pater, pacti exceptionem nactus, eam tranſmittit ad heredem, ex *h. l.*

L. 26.

SI pater in danda dote filiæ nomine pactus ſit cum genero, ut filia mortua in matrimonio ſuperſtite anniculo filio, dos tota apud virum remaneret: mortua autem in matrimonio filia ſine liberis, præmortuo forte jam ante anniculo filio, pars dotis ad virum pertineret: ſi mater & filius anniculus ſimul caſu, puta naufragio, perierint, pars dotis tantum ad virum pertinet, pars ſocero redditur, quia in dubio mater præſumitur ſupervixiſſe infanti, ex *init. h. l. l.* † *qui duos*, *de reb. dub.*

† V. ſi facit. Et in terminis v. *l. ſi mulier*, *eod. tit.*

§. *vir dotem*.

INter virum & uxorem convenit, ut divortio ſoluto matrimonio, uno pluribusve liberis exiſtentibus ex eo matrimonio, dotem maritus retineret. Quæ conventio plerumque apponi ſolebat, ut *hic*, & *l.* 23. 24. 27. *h. tit.* & *l.* 1. §. 1. *de dot. prælegat.* divortio facto una filia communi relicta, vir dotem, quam ex pacto filiæ communis nomine retinere potuit, ſi lapſus per errorem facti reſtituerit mulieri, id eſt matri, filia, quæ patri ex aſſe heres extiterit, matri pro parte, apud arbitrum diviſionis, id eſt in judicio familiæ erciſcundæ hereditatis maternæ, non improbe dotem a † patre perperam, id eſt per errorem, ſolutam præcipit, id eſt per præceptionem ante omnia deducit, quaſi per præceptionem teſtamento matris ei legata ſeu prælegata ſit, ad evitandam condictionem indebiti: poteſt & dotem condicere condictione indebiti, quia indebitum ſolviſſe videtur; *l. qui exceptionem*, §. *ſi pars*, *de condict. indebit.* Si uni ex heredibus prælegatum relictum ſit, in judicio familiæ erciſcundæ prius deducitur, & præcipuum ſervatur ei cui teſtator dedit; *l.* † *heredes*, §. *ult.* & *l. ſeq. famil. erciſc. l. cum pater*, *in pr. de legat.* 2.

Digitized by Google

§. *cum inter*.

SI inter ſocerum & generum convenerit, ut in matrimonio ſine liberis defuncta filia, dos ſocero reſtitueretur, tacite actum videtur, ut liberis ſuperſtitibus defuncta filia, dos a marito retineretur. Et pactum de reddenda dote factum in dote data ab initio, valet in dote data conſtante matrimonio additamenti ſeu augmenti cauſa, ex *h.* §. quia una & eadem res non debet diverſo jure cenſeri, ut *hic*, & *l.* † *ſi ex toto*, *de legat.* 1. *l. ſcimus*, §. *repletionem*, *C. de inoff. teſtam. nov.* 97. *cap.* 2. *cap. cum in tua*, *de decim.* Si convenerit, ut in matrimonio ſine liberis defuncta filia, dos patri redderetur, tacite actum videtur, ut ſuperſtitibus liberis dos remaneret apud maritum propter liberos, quæ retentio fit jure communi, ut *hic*, & *l. etiam*, *C. de jur. dot. l. ſi conſtante*, *verſic. pactis*, *C. de don. ante nupt.* Caſus omiſſus remanet in diſpoſitione juris communis; *l. ſi cum dotem*, inſr. *ſolut. matrim.* Cujac. *ad l.* 81. *de R. J.*

† V. *l.* 23. *in fin. de uſucap.*

§. *convenit*.

INter virum & uxorem convenit tabulis nuptialibus, ut quocumque iret ſumptu mariti veheretur: mulier pactum id eſt pacti fidem ad litteras viri ſecuta, id eſt litteris viri, qui erat centurio in provincia, evocata, in provinciam profecta eſt ſuo ſumptu: non ſervata fide conventionis, uxori nulla actio directa competit, ſed tamen datur utilis actio in factum, quæ eſt prætoria, ex *h.* §. & *l. ſi quis pro uxore*, *de don. inter vir. & uxor.*

§. *filia*.

SI pater ſtipuletur dotem datam pro filia filio reddi, filio datur utilis actio ex ſtipulatu; *l. cum dos*, *l. ſi ita*, ſupr. *h. tit. l. quodcumque*, §. *ſi quis ita*, *de V.O.* Si avus ſtipuletur nepti dotem reddi, nepti datur utilis actio ex ſtipulatu; *l. Gaius*, *ſolut. matrim.* Quod ſi filia nudo pacto dotem pro ſe promittendo, pepigit, ſi deceſſerit ſine liberis matri dotem reddi, ex pacto filiæ nulla quæritur matri actio: ſi tamen heres filiæ matri dotem ultro ſolverit, marito dotem repetenti obſtabit exceptio pacti, ex *h.* §. *l. debitor*, §. *ult. ad Trebell.* Ex pacto non naſcitur actio, ſed tantum exceptio; *l. juris gentium*, §. † 3. *verſ. igitur nuda*, *de pact.*

§. *ult.*

SI pater dando dotem pro filia, dotem ſibi dari id eſt reddi ſtipulatus ſit, ſi filia in matrimonio deceſſiſſet ſine liberis, & conſtante matrimonio pater capitis damnatus ſit, divortio vel morte viri ſoluto matrimonio, conditio ſtipulationis deficit, & in caſum omiſſum dos reddenda eſt filiæ; *l. ſi cum dotem*, *ſolut. matrim.* Quod ſi mulier in matrimonio deceſſerit, actio ex ſtipulatu fiſco adquiritur, quia fiſcus eſt vice heredis patris; *l. inter eos*, §. *ult. de fidejuſſ. l.* 2. *C. ad leg. Jul. de vi*. Poſt verum autem divortium renovatis nuptiis non committitur fiſco ſtipulatio, id eſt fiſco non adquiritur actio ex ſtipulatu, licet filia defuncta ſit in matrimonio, quia ea ſtipulatio pertinet tantum ad primas nuptias, ex *h.* §. Hæc ſtipulatio, qua pater ſtipulatus eſt dotem ſibi reddi, ſi filia in matrimonio obiret, pertinet tantum ad primas nuptias, non ad ſecundas, itaque divortio expiravit, ut *hic*, & *l. dotis promiſſio*, ſupr. *de jur. dot.*

L. 27.

L. 27.

SI mulier liberis ſublatis, id eſt ſuſceptis, ſimulato divortio redierit ad virum ea lege, ne dotata ſit, veluti venali concordio conventio non valet, ex *h. l.* quia dotis promiſſio eſt ſpecies donationis; *l.* † *etiam*, *C. ad Vellejan.* Donatio inter virum & uxorem non valet, ne concordia pretio conciliari vel redimi videatur; *l.* 3. *de don. int. vir. & uxor.*

† V. ſi probat. Et recurre ad *l. un. C. ſi dos conſt. matrim. nov.* 22. *cap.* 39. & *l. ult.* §. *ſi a ſocero, quæ in fraud. creditor.*

L. 28.

SI convenerit ante nuptias, ut ex fructibus fundi in dotem dati creditor mulieris dimittatur, valet pactum, quia non eſt donatio, ſed eo modo dos minor conſtituitur. Poſt nuptias pactum non valet, quia eſt mera donatio: fructus dotis relevant id eſt ſuſtinent onera matrimonii, ex *h. l.* Objicitur *l. Julianus*, *de jur. dot.* ubi valet pactum, ſi mulier paciſcatur, ne a ſe viva dos exigatur: ſed facilis eſt reſponſio. Dilatio illa dotis exigendæ non eſt donatio, quia id agitur, ut poſt mortem mulieris fructus dotis conſtante matrimonio ab ea percepti marito reſtituantur.

L. 29.

SI maritus initio matrimonii dotis nomine prædia æſtimata acceperit, & deinde conſtante matrimonio pactus ſit cum uxore, ut ea prædia inæſtimata eſſent, circumſcribendæ id eſt decipiendæ mulieris gratia, ut ea prædia periculo uxoris deteriora faceret, pactum valet, ſi deteriore loco dos non eſſet, id eſt ſi maritus prædia deteriora non fecerit. Quod ſi prædia deteriora fecerit, tenetur actione de dote, ex *h. l.* Dotis cauſa pactis deterior fieri non poteſt; *l. Attilicinus*, † ſupr. *h. tit. l. ſi* † *unus*, §. *pactus ne peteret*, *de pact.*

§. *Titius*.

TItius mulieris nomine dotem dedit, & ſtipulatus eſt dotem ſibi reddi, morte vel divortio ſoluto matrimonio, quæ dos receptitia dicitur *l. mortis cauſa capitur*, §. † 2. *verſ. ſed & dos*, *de mortis cauſa don.* Gellio *lib.* 17. *cap.* 6. divortio ſecuto ſtipulatio committitur, id eſt actio ex ſtipulatu datur Titio qui dotem dedit. Sed ſi Titius poſt divortium non repetita dote deceſſerit, & heres ejus conſenſerit tedintegrationi matrimonii & una redintegrationi dotis, & poſtea repetat dotem ex ſtipulatione, exceptione pacti ſubmovetur, ex *h. l. l. dotem quæ*, *l. poſt divortium*, ſupr. *de jur. dot.* Redintegrato matrimonio, dos quæ data eſt a patre vel uxore tacite redintegratur: ſed dos data ab extraneo non redintegratur, niſi conſentiente eo, qui dotem dedit, vel herede ejus.

§. *ult.*

SI mulier in danda dote pacta ſit, ut ſi in matrimonio deceſſiſſet fratri ejus redderetur, & in eum quoque caſum frater mulieris ſtipulatus ſit ſibi dotem reddi, quod ponendum eſt, alioquin ex pacto ſororis non haberet actionem, nemo poteſt paciſci alteri; *l. inter ſocerum*, §. *pen. h. tit.* & poſtea mulier teſtamento res quaſdam marito & aliis legaverit, & ſervos dotales manumiſerit, quæſitum eſt, an frater, qui dotem ſibi reddi ſtipulatus eſt, eam rem legatam repetere poſſit, & ſervos manumiſſos? Scævola reſpondit poſſe: ceterum heredes mulieris tam legata quam libertates præſtare teneri, quia le-

gatum non præſumitur relictum animo compenſandi; *l. creditorem*, *de legat.* 2. *l. creditor*, *C. de legat.*

L. 30.

Dixi in Tryphoninum *libr.* 10. *diſputat.*

L. pen.

SI inter virum & uxorem convenerit, ut fructus poſtremi anni matrimonii, qui ſolent dividi inter virum & uxorem pro rata temporis, quo eo anno matrimonium ſtetit; *l. fructus*, infr. *ſolut. matrim.* nondum percepti omnes fierent mulieris, hujuſmodi pactum valet, quia donatio confertur in tempus ſoluti matrimonii, quo valere poteſt; *l. ſi* † *eum*, §. 1. *de don. int. vir. & uxor.* vel quia conventio facta eſt ab initio in dote danda, & eo minor dos conſtituta; *l. quæris*, ſupr. *h. tit.*

L. ult.

MUlier fundum æſtimatum centum viro in dotem dedit, poſtea cum viro convenit, ut divortio facto, eodem pretio id eſt tanti pretii vir fundum reſtitueret: poſtea volente uxore vir eum fundum vendidit ducentis, electio eſt viri utrum maluerit ducenta, vel fundum præſtare, quia volente muliere fundus veniit, neque ei pactum remittitur, alioquin ex pacto fundus omnino erat reſtituendus, ex *h. l.* Lege *Julia* fundus dotalis alienari poteſt voluntate mulieris; *l. æſtimatis*, infr. *ſolut. matrim.* Cujac. 8. *ad Afric. ad l.* 9. *de fund. dotal.* Sed conſtit. Juſtiniani etiam volente muliere fundus dotalis alienari non poteſt; *l. unic.* §. *& cum lex*, *C. de rei uxor. act.*

§. *ſi pater*.

SI pater filiæ nomine certam pecuniam in dotem promiſerit, & in promittenda dote pactus ſit, ne invitus eam ſolveret, nihil ab eo exigendum eſt, quia in dote eſſe non videtur id de quo convenit, ne ab invito exigatur, vel quod dicitur, nihil exigendum eſſe, intelligendum eſt ipſo jure, quia ex hujuſmodi promiſſione vel ſtipulatione datur actio dotis, ſed ea actio ſtatim eliditur oppoſita exceptione pacti.

AD TITULUM

De fundo dotali.

DIG.

L. 1.

LEGE *Julia* alienatio fundi dotalis vetita eſt. Lex *Julia* intelligitur de fundo non æſtimato, qui proprie dotalis eſt, nam fundi æſtimati alienatio non prohibetur, cujus dominium & periculum pertinet ad maritum; *l. unic.* §. *& cum lex*, *C. de rei uxor. act.* quia æſtimatio dotis eſt vera venditio; *l. plerumque*, §. *ſi ante*, ſupr. *de jur. dot.* fundi dotalis æſtimati alienatio non eſt vetita, immo & res ſoli, quæ ab initio æſtimata data eſt in dotem, etiam ſi poſt-

Digitized by Google

poſtea convenerit inter virum & uxorem, ut eodem pretio, vel tanti pretii res redderetur, poteſt alienari, ex *l. Julia*, volente muliere; *l. ult.* ſupr. *de pact. dotalib. l. æſtimatis*, infr. *ſolut. matrim.* Lex *Julia* pertinet ad res ſoli, non ad res mobiles: hac lege maritus poteſt alienare res mobiles in dotem datas, ſive æſtimatas, ſive inæſtimatas; *l. quod ſi*, *verb. promercales*, infr. *de impenſ. in res dotal. fact.* & maritus ſervum dotalem manumittere poteſt, ſi ſit ſolvendo; *l. ſervum dotalem*, *de manumiſſ. l. 1. C. de ſerv. pign. dat. manumiſſ.* Superficium fundi dotalis, id eſt quod ſolo inædificatum eſt, poteſt alienari a marito, volente uxore; *l. ſi ex lapidicinis*, *de jur. dot.* Nec me movet quod voluit V. cl. Gvill. Maranus, fraudem fieri legi *Juliæ*, ſi ſuperficium fundi dotalis poſſit alienari, quia ſuperficium eſt pars fundi, & ſublato vel mutato ædificio, non idem fundus videtur; quia hoc verum eſt ut uſusfructus extinguatur, uſusfructus fragilis eſt, & ſublato ſuperficio extinguitur; *l. 5. §. 2. & 3. quib. mod. uſusfr. amitt. l. 13. de ſervit. ruſtic. præd.* Superficium eſt pars fundi quamdiu cohæret ſolo: ſed ſi tollatur ruina vel alio caſu, deſinit eſſe pars fundi, & a marito alienari poteſt, maxime uxore volente. Lex *Julia* de non alienando fundo dotali locum habet in alienatione voluntaria, non in alienatione neceſſaria, puta ſi ob id quod maritus vicino non cavebat damni infecti, vicinus miſſus ſit in poſſeſſionem ædium ex primo decreto, deinde poſſidere juſſus ſit ex ſecundo decreto. Sic enim vicinus dominus fit, id eſt poſſeſſor, & poſſeſſio fundi dotalis alienatur, & per eam proprietas ſecuta uſucapione; *l. 5. de damn. infect.* Et valet alienatio fundi dotalis, quia non eſt voluntaria, ſed neceſſaria, quæ fit ex decreto prætoris, ob non præſtitam cautionem damni infecti. Prohibita alienatione fundi dotalis, vel pupillaris, excipitur alienatio quæ fit judicio familiæ erciſcundæ vel communi dividundo; *l.* † *alienationes*, *famil. erciſc. l. cum in fundo*, *§. pen. de jur. dot. l. 2. C. h. tit. l.* † *ſi pupillorum*, *de reb. eor. qui ſub tutel. vel cur. ſunt*, *l. 2. C. de præd. minor.* Prohibita alienatione, non prohibetur alienatio neceſſaria; *l. filiusf. §. divi 14. de legat. 1. l. peto*, *§. prædium*, *de legat. 2.* Lege *Julia* permittitur alienatio fundi dotalis volente muliere, & voluntati comparatur ratihabitio; *l. æſtimatis*, infr. *ſolut. matrim.* Sed ex conſtit. Juſtin. etiam volente muliere fundus dotalis alienari non poteſt; *d. l. un. §. & cum lex*. Hoc jure fundi piſtrinorum aſcripti emolumentis piſtorum dotales dicuntur, quia alienari non poſſunt; *l. 7. & 13. C. Th. de piſtorib.*

Cujac. 7. *obſ.* 13.

§. ſed & per † univerſitatem.

Ex *Julia* de non alienando fundo dotali ceſſat in alienatione neceſſaria, veluti in alienatione quæ fit cum univerſitate bonorum: fundus dotalis non poteſt per ſe alienari, ſed cum univerſitate bonorum tranſit in heredem; *l. quædam*, *de adquir. rer. dom.* puta in heredem mariti, non pleno jure, ſeu irrevocabiliter, ſed ſecundum quod poſſibile eſt, id eſt cum ſua cauſa & onere, ut ſtatim reſtituatur mulieri, refuſis impenſis neceſſariis. Lege *Julia* fundus dotalis alienari poteſt volente muliere, obligari non poteſt. Ratio diverſitatis eſt, quia facilius mulier conſentit obligationi, quam alienationi, quæ cauſa eſt, cur Vellejano ſubvenitur mulieri ſe obliganti pro alio, non donanti, quia facilius ſe mulier obligat pro alio, quam alicui donat; *l. 4. in fin. ad Vellejan.* Lege *Julia* etiam fundus Italicus non potuit alienari invita muliere, fundus provincialis ne conſentiente quidem muliere. Ex conſtit. Juſtin. ſublata differentia inter alienationem & obligationem, inter prædia Italica & provincialia, fundi dotalis alienatio prohibetur etiam conſentiente muliere, ne fragilitate ſexus, facile conſentiendo, in repentinam deducatur inopiam; *l. un. §. & cum lex*, *C. de rei uxor. act. inſt. quib. alien. lic. vel non*, *in princ.*

Cujac. † 7. *obſ.* 23. Robert. *animad. libr.* 3. *cap.* 9.

Digitized by Google

L. 2.

MArito in ſervitutem redacto, quo caſu ſervitute ſolvitur matrimonium, dominus, in cujus poteſtate eſt, non poteſt alienare fundum dotalem, quia ſoluto matrimonio prædium non deſinit eſſe dotale. Quare ſi maritus ſervus fiſci factus ſit, & ſervus dotalis ad fiſcum pervenerit, alienari non poteſt, quamvis fiſcus ſemper idoneus ſit & ſolvendo, ex *h. l.* Fiſcus ſemper eſt locuples, ideo non tenetur ſatiſdare; *l.* 1. §. *ſi ad fiſcum, ut legat. ſeu fideic. ſerv. cauſ. cav. l. niſi*, §. *item ſciendum, ſi cui plus quam per leg. falcid.*

L. 3.

LEge *Julia*, ſi fundus dotali ſervo legatus ſit, alienari non poteſt, quia eſt quaſi dotalis, ex *h. l.* ſi fundus hereditate vel legato relictus ſit ſervo dotali, interim adquiritur marito, & ſoluto matrimonio cum dote reſtituitur mulieri; *l. ſi legato, de jur. dot.*

§. *totiens*.

FUndus dotalis alienari non poteſt, quoties mulieri actio de dote competit aut competitura eſt omnimodo, ſoluto ſc. matrimonio, ex *h.* † §.

L. 4.

LEge *Julia* maritus prohibetur alienare vel obligare fundum dotalem; *l.* 1. *h. tit.* Lex *Julia* plenius interpretanda eſt, ut in ſponſo idem juris ſit, quod in marito, ex *h. l.* id eſt in fundo in dotem dato ante nuptias, quia hic fundus eſt quaſi dotalis, propter deſtinationem & ſpem futuræ dotis. Prædium in dotem datum ante nuptias eſt quaſi dotale, ut alienatio impediatur, propter ſpem futuri matrimonii, etiam ſoluto matrimonio non deſinit eſſe dotale; *l. etiam, h. tit.* ita ut mulieri competat actio de dote dotis recuperandæ cauſa. Lege *Julia* fundus dotalis alienari non poteſt, & ſi alienetur mulier alienationem irritam facit; *l. cum pater*, §. *qui dotale, de legat.* 2. ſi maritus fundum dotalem vendiderit ſcienti vel ignoranti, venditio non valet: ſed ſi poſtea mortua in matrimonio muliere dos lucro mariti ceſſerit, venditio confirmatur; *l. cum vir, de uſucap.*

L. 5.

LEge *Julia* maritus ſervitutem fundo dotali debitam remittere non poteſt, quia remiſſio hujuſmodi eſt genus alienationis, neque ſervitutem imponere. Similiter a tutore vel curatore fundo pupilli vel adulti ſervitus imponi vel remitti non poteſt; *l.* 3. §. *pen. de reb. eor. qui ſub. tut. vel cur. ſunt.*

L. 6.

SErvitus fundo dotali debita, conſtante matrimonio a marito remitti non poteſt; *l. prox.* ſupr. Libertas ſervitutis urbano prædio dotali debitæ, conſtante matrimonio uſucapi non poteſt, ex *h. l.* quia uſucapio eſt alienatio; *l. ſi fundum*, infr. *h. tit. l. alienationis, de V. S.* Alias libertas ſervitutis urbano prædio debita uſucapi poteſt; *l.* 4. §. *ult. de uſucap.* Libertas ſervitutis urbano prædio dotali debitæ non competit, id eſt uſucapione adquiri non poteſt; Cujac. 7. *obſ.* 23. 11. *obſ.* 28.

L. 7.

Digitized by Google

L. 7.

SI maritus fundum Titii ſervientem prædio dotali adquiſierit, ſervitus confunditur, id eſt confuſione extinguitur: ſed ſi eum Titio reddiderit non reſtituta ſervitute, hoc caſu maritus tenetur præſtare litis æſtimationem. Quod ſi maritus non ſit ſolvendo, utilis actio datur mulieri adverſus Titium ad reſtituendam ſervitutem, ex *h. l. l. Papinianus*, *de ſervit.* Cujac. † 11. *obſ.* 28.

§. *ſed cum uxor*.

SI mulier fundum in dotem dederit, cui ſervitus debebatur a prædiis mariti, ſervitus confuſione amittitur, quia nemini res ſua poteſt ſervire: ſed cauſa fundi dotalis per maritum non ſit deterior; morte enim viri, vel divortio ſoluto matrimonio, officio judicis judicantis de dote, id eſt arbitri dati dotis recuperandæ cauſa, cujus meminit *l.* 1. ſupr. *de pact. dotalib.* continetur, ut redintegrata ſervitute, fundus mulieri vel heredi ejus reſtituatur, quia dotis cauſa deterior fieri non poteſt.

L. 8.

DOte relegata, id eſt prælegata uxori, ligna in fundo dotali exciſa, ex olivero, precibus uxoris, ut novellum reponeret, mulieri reddi oportet, quaſi portionem dotis, quia dotis actionem continet doris prælegatum; *l.* 1. §. *adeo*, *de dot. præleg.* id eſt actio ex teſtamento, quæ datur mulieri dotis prælegatæ nomine, continet actionem de dote, id legato dotis ineſt, quod inerat actioni de dote. Ait rogatu uxoris, ut intelligatur nihil eſſe factum contra legem *Juliam*, & non eſſe cogendos heredes novellum reponere. Dote prælegata uxori, dotis uſuræ, quæ debentur, legato non continentur, ſed donationis titulo remiſſæ intelliguntur; *l. vir uſuras*, *de don. int. vir. & uxor.*

L. 9. † *in pr.* & §. 1. & 2.

SI mulier marito debitori certi fundi, id quod debebat in dotem promiſerit, dotalis fundus efficitur, † *ex init. h. l.* Quod ſi mulier ei promittat qui fundum aut decem debuit, in arbitrio eſſe mariti quid in dote ſit, † *ex* §. 1. quia in alternativis obligationibus electio eſt debitoris; *l. plerumque*, §. *ult.* & *ibi gloſſ.* ſupr. *de jur. dot.* Quod ſi maritus fundum aut Stichum debuit, & quod debuit doti ei promiſſum ſit, Sticho mortuo fundus in dote erit, † *ex* §. 2. quia utrumque erat in obligatione.

§. *his conſequens*.

SI mulier debitori fundi Corneliani aut Semproniani, id quod debet doti promiſerit, electio eſt debitoris quem maluerit fundum alienare, quem retinere quaſi dotalem. Quod ſi fundum Cornelianum alienaverit, poteſt eum redimere, & ſervare quaſi dotalem, & alienare fundum Sempronianum, quem ante retinuerat, ex *h.* † §.

L. 10.

IGitur poteſtas legis eſt ambulatoria, id eſt poteſtas legis *Juliæ* de non alienando fundo dotali eſt in alternatione, & in pendenti, quia ſi mulier debi-

Digitized by Google

tori fundi Corneliani aut Semproniani, id quod debet in dotem dederit, electio eſt debitoris quem velit fundum alienare, quem retinere, & ſi alienatum rurſus redemerit, adhuc in ejus poteſtate eſt, quem retinuit alienare, quia dotis talis eſt obligatio, id eſt obligatio dotis eſt alternativa. Unde quæritur, ſi fundo Corneliano, aut Sempromano in dotem dato, maritus fundum Cornelianum alienaverit, illo nondum redempto, alterum id eſt Sempronianum alienare poſſit? Paulus ait, alterum alienari non poſſe, alioquin neuter in dote eſſet, & mulier indotata fieret, ſed alienatio convaleſcit ex poſt facto, illo poſtea redempto: quod ſæpius evenit in jure, ut ex poſt facto confirmetur quod erat in pendenti; *l. proinde, de reb. credit. l. ſed & ſi quid*, §. 1. *de uſufruct.* Hoc ſpeciale eſt in lege *Julia* de non alienando fundo dotali. Poteſtas legis eſt ambulatoria, ut fundo Semproniano aut Corneliano in dotem dato, electio ſit debitoris quem velit alienare, & quem retinere quaſi dotalem, & ſi alienatum redemerit, poteſt eum retinere, & alterum alienare. In electione fundi dotalis variare & pœnitere licet: mitius agitur cum lege, quam cum homine; *l. Celſus, de recept. qui arbitr. l. cum militi, de compenſat.* Optione ſervi data ab homine, optio ſervi primo actu conſumitur; *l. 5. de legat.* 1, *l. apud Aufidium, de opt. legat.*

L. 11.

LEge *Julia* fundus dotalis inæſtimatus, qui proprie dotalis eſt, alienari non poteſt, fundus æſtimatus alienari poteſt, quia non eſt dotalis, eſt proprius mariti emptionis jure; *l. un.* §. *& cum lex, C. de rei uxor. act.* Quod ſi fundus æſtimatus in dotem datus ſit ea lege, ut mulieris electio ſit, an fundum repetat, an æſtimationem, hoc caſu fundus æſtimatus alienari non poteſt, quia mulier quaſi dotalem repetere poteſt ſi velit: quod ſi arbitrio mariti relinquatur fundum reſtituere, an æſtimationem, hoc caſu alienari poteſt, ex *h. l. & l.* 1. *C.* † *h. tit.* Quod ſi fundus æſtimatus in dotem detur, multum intereſt an æſtimatus detur ea lege, ut maritus præſtet æſtimationem, vel ut reſtituat fundum: nam ſi fundus æſtimatus in dotem detur, ita ut æſtimationem præſtet maritus, ſola æſtimatio eſt in dote, fundus alienari vel obligari poteſt; *l. 6. C. de uſufruct.* ubi non recte legi videtur eadem poſſeſſio, pro æſtimatio.

L. 12.

LEge *Julia* fundus dotalis conſtante matrimonio alienari vel obligari non poteſt; *l.* 1. *h. tit.* & fundus in dotem datus ante nuptias, non poteſt alienari a ſponſo, quia eſt quaſi dotalis; *l.* † 4. *h. tit.* Etiam ſoluto matrimonio prædium dotale alienari non poteſt, quia etiam ſoluto matrimonio dotale intelligitur, ex *init. h. l.* ad hoc ne alienari valeat; *l. ſi cum dotem*, §. *ſi mulier*, *inſr. ſolut. matrim.*

§. *ſoceri*.

FUndus dotalis permittitur alienari, volente & conſentiente muliere: ſoceri, id eſt patris mulieris, voluntas in diſtrahendo dotali prædio nulla eſt, ex *h.* §. Ex conſtit. Juſtin. etiam voluntas uxoris in diſtrahendo fundo dotali nulla eſt, propter fragilitatem ſexus; *l. unic.* §. *& cum lex, C. de rei uxor. act.*

L. 13.

LEge *Julia* inhibetur alienatio fundi dotalis: prædium dotale intelligitur ne alienari poſſit, tam urbanum, quam ruſticum, id eſt omne ædificium, ſive in urbe ſit, ſive ruri, ex *init. h. l. l. fundi, de V. S.*

§. *præ-*

Digitized by Google

§. *prædii*.

LEge *Julia* fundus dotalis alienari non poteſt. Lege *Julia* appellatione prædii, etiam pars continetur: pars fundi eſt fundus; *l. plane*, §. † *ult. de legat.* 1. Proinde ſive totum prædium in dotem ſit datum, ſive pars prædii, alienari non poteſt, pars prædii eodem jure cenſetur, quo totum.

† §. *iſte* etiam ad hoc laudatur a *gloſſ. in l.* 1. *ff. de evi-ction.* v. tamen ſi facit. Et v. *l.* 15. §. 1. *qui ſatisd. cog.*

§. *dotale*.

LEge *Julia* de non alienando fundo dotali, prædium dotale dicitur, cujus dominium marito quæſitum eſt, traditione ſc. ex *h.* §. & *l.* 5. *infr. ſolut. matrim. l. ſi ſocius*, *pro ſoc.* Dotale prædium etiam conſtituitur ſine traditione ſola conventione; *l. ſi fundum*, *infr. h. tit.* Cujac. ad *l.* 15. *h. tit.* & † 14. *obſ.* 9. Traditione dominium transfertur in maritum, ſi res mulieris propria ſit, ſi res aliena fuerit non transfertur dominium, ſed poſſeſſio, & per eam occaſio uſucapiendi pro dote; *l.* † *unic. C. de uſucap. pro dot.* Dotale prædium eſt, cujus dominium marito quæſitum eſt, vel poſſeſſio, & per eam occaſio uſucapiendi, nam qui poteſt uſucapere jure prætorio loco domini eſt; §. † *ſed iſtæ*, *verſ. alia autem ſunt*, *inſt. de act.*

§. *heredi*.

NOn tantum conſtante, ſed etiam ſoluto matrimonio prædium dotale eſſe intelligitur, ne alienari poſſit quoad reſtitutum ſit mulieri, vel heredi ejus. Et hoc eſt quod dicitur in *hoc* §. mulieri & heredi ejus præſtari idem auxilium, id eſt vindicationem prædii alienati, ſeu revocationem alienationis. Huc valde pertinet *l. ſi poſt*, *infr. ſolut. matrim.* mortua muliere, herede ejus agente cum viro parenteve ejus, eadem in reſtituenda dote ſervari, quæ ipſa muliere agente obſervari ſolent: puta ut iisdem diebus dos redderetur, ut maritus non damnetur in ſolidum, ſed in quantum facere poteſt. Alias privilegium dotis, puta exactionis & hypothecæ, non tranſit ad heredem mariti, niſi ſit filius; *l. aſſiduis*, §. 1. † *verſ. exceptis*, *C. qui potior. in pign. l. unic. C. de privileg. dot.*

§. *ult*.

SI maritus uxore herede inſtituta, ab ea fundum dotalem legaverit extraneo, valet legatum ſi deductis legatis mulier inveniat in hereditate quantum eſt in dote: ſi minus ſit, mulier ex ea retinere poteſt quod deeſt doti, quaſi non valeat legatum fundi dotalis, quod lege *Julia* alienari non poteſt. Opponitur *l. cum pater*, §. *qui dotale*, *de legat.* 2. ſi maritus mulieri legatum reliquerit, & agnito legato mulier vindicet fundum dotalem alienatum a marito, exceptione doli mali ſubmovetur. Hoc verum eſt in hac ſpecie, mulier non poteſt vindicare fundum dotalem, quia tantum erat in legato, quantum eſt in dote: ſed in noſtra ſpecie mulier poteſt ſupplere ex legato vel hereditate quod deeſt doti, quia legatum minus erat dote.

L. 14.

Dixi in *l.* 19. *de jure dot.*

§. † *ſi mulieris*.

SI quis mulieris nomine fundum in dotem dederit, dotalis fundus erit, perinde ac ſi ab ipſa muliere in dotem datus eſſet: propter uxorem enim, id

eſt dotis cauſa, videtur is fundus ad maritum perveniſſe, ex *h.* §. fundus dotalis eſt, qui nomine uxoris ad virum pervenit, ex cauſa dotis &c.

§. *ult.*

SI fundum legatum ſibi dotis cauſa mulier † repudiaverit, vel etiam ſubſtituto viro omiſerit hereditatem, vel legatum, fundus erit dotalis, id eſt non deſinet eſſe dotalis, quod repudiatum vel omiſſum ſit legatum, quia mulier non videtur remittere dotem, quæ repudiavit legatum, vel omiſit hereditatem: ſic filius, qui omittit hereditatem, non amittit legatum; *l. filio*, *de legat.* 1.

L. 15.

DOtale prædium conſtituitur traditione, ut *hic*, & *l.* 5. infr. *ſolut. matrim.* Finge maritus accepto prædio dotali per litteras ad uxorem emiſſas, quæ habent vim pacti, ut *hic*, & *l. qui negotia*, *mandat. l. Paulus reſpondit*, *de liberal. cauſ.* declaravit, id prædium doti non fore. Poſt hujuſmodi litteras, prædii poſſeſſionem retinuit: in matrimonio vita functa muliere, quo caſu dos, quæ erat adventitia, ceſſit lucro mariti, vir retinet prædium, quia mulier vel heres ejus ex pacto actionem non habet, ex *h. l.* Dotis cauſa pactis deterior fieri non poteſt; *Cujac.* † 9. *obſ.* 4.

L. 16.

Dixi in *Tryphoninum libr.* 11. *diſputat.*

L. pen.

LEge *Julia* alienatio fundi dotalis non valet; *l.* 1. & *paſſim*, † ſupr. *h. tit.* Si maritus dotale prædium vendiderit & tradiderit, venditio ab initio non valet: ſed ſi mortua in matrimonio muliere dos lucro mariti ceſſerit, alienatio ex poſt facto convaleſcit, & fundus emptori avelli non poteſt, ex *h. l.* & *l. cum vir*, infr. *de uſucap.* quia res recidit in eum caſum, a quo incipere potuit.

L. ult. in pr.

Dixi ad *l.* 32. ſupr. *de jur. dot.*

§. *ult.*

COnſtante matrimonio dos poteſt permutari de re in rem, vel de re in pecuniam, ſeu æſtimationem rei, ut *hic*, & *l. ſi ei nuptura*, & *ſeq. l. quæ fundum*, *de jur. dot. l. ſi mulier*, *de pact. dotalib.* Si mulier fundum in dotem dederit, & pacta ſit, ut præſtita æſtimatione fundum reciperet, & mulier ſit in mora ſolvendæ partis æſtimationis fundi, fructus totius fundi interim perceptos ad virum pertinere Labeo ait, in pœnam moræ: ſed potior eſt ſententia Javoleni, fructus pro portione partis æſtimationis non ſolutæ virum habiturum, & reliquos mulieri reſtituturum, quia mora non poteſt coerceri, niſi pro modo delicti. Et hæc eſt vera ſpecies *h.* §. quam Accurſius omnino non eſt aſſecutus, etſi varias ſpecies tentavit.

AD

Digitized by Google

AD TITULUM

Soluto matrimonio.

DIG.

L. 1.

DOTIS cauſa, id eſt dos, ſemper & ubique præcipua eſt, nam & reipublicæ intereſt dotes mulieribus conſervari, publice intereſt dotes mulieribus ſalvas eſſe, propter quas nubere poſſint; *l.* 2. ſupr. *de jur. dot.* publice intereſt mulieres eſſe dotatas, ut inveniant virum ad ſobolem procreandam, replendamque liberis civitatem, quia feminæ indotatæ vix inveniunt virum; *l. ult.* §. 1. *quæ in fraud. cred.* Dotium cauſa ſemper & ubique præcipua eſt, multa ſingularia introducta ſunt favore dotium. Ut dos nudo pacto conſtituitur ſine ſtipulatione; *l. ult. C. de dot. promiſſ.* licet ex nudo pacto actio non oriatur. Dotis dationi ineſt tacita ſtipulatio de dote reddenda, & tacita hypotheca; *l. un.* §. 1. *&* 2. *C. de rei uxor. act.* Dotis datio poteſt conferri in arbitrium alterius, videtur enim collata in arbitrium boni viri, quod ſemper certum eſt; *l. cum poſt*, §. *gener*, ſupr. *de jur. dot. l.* 3. *C. de dot. promiſſ.* Lege *Julia* fundus dotalis alienari non poteſt; *l.* 1. ſupr. *de fund. dotal. inſt. quib. alien. lic. vel non, in pr.* Conſtante matrimonio dos repeti poteſt ex cauſa; *l. ubi, C. de jur. dot.* Mulier in dote præfertur ceteris creditoribus etiam anterioribus, perſonalem vel hypothecariam actionem habentibus; *l. aſſiduis*, *C. qui potior. in pign.* Doti repetendæ compenſatio non opponitur; *l. unic.* §. *taceat*, *C. de rei uxor. act.* In ambiguis benigna interpretatione pro dotibus reſpondere melius eſt; *l. in ambiguis*, ſupr. *de jur. dot.* Dos data ante nuptias non poteſt repeti, donec ſpes eſt nuptiarum; *l. quod Servius*, *de condict. cauſ. dat.* ne diſſolvatur ſpes nuptiarum.

L. 2.

SOluto matrimonio dos reſtituenda eſt mulieri, ex *init. h. l.* Plaut. in Sticho: (1. 3. 50.) *Uxorin' ſit reddenda dos divortio?* Et hoc eſt quod dixiſſe fertur Antoninus Ph. qui cum Fauſtina uxore, Antonini Pii nata, imperium acceperat, de ea repudianda admonitus, *ſi uxorem dimittimus*, inquit, *reddamus & dotem*, ut legitur apud Capitolin. *in ejus vit.* ne mulier indotata ſit: nec cogitur maritus eam alii ab initio ſtipulanti promittere, id eſt ſi pater vel extraneus, qui dotem dedit, ſtipuletur, eam ſibi vel alteri reddi, non cogitur cavere de reddenda dote alteri. Ratio dubitandi erat, quod ſi pater vel extraneus in dote danda ſtipuletur dotem alteri reddi, pactum valet, quia unusquisque poteſt ab initio legem dicere rei ſuæ; *l.* 7. *l. ob res*, §. 1. *de pact. dotalib. l. unic.* §. *accedit*, *C. de rei uxor. act. l.* 9. *C. de pact. convent.* Ergo ſi pater vel extraneus, qui de ſuo dotem dedit, in dote danda ſtipuletur alteri dotem reddi, ſoluto matrimonio maritus compelli poteſt alii quam uxori dotem reddere: verum quidem eſt, quod ſi pater vel extraneus, qui dotem dat, initio doris dandæ ſtipuletur alteri dotem reddi, actione ex ſtipulatu maritus compelli poteſt alteri quam uxori dotem reddere, quia quisque legem dicit rei ſuæ: ſed *hic* non agitur de ſtipulatione facta initio dandæ doris, ſed ſtatim poſt dotem datam. Igitur ſi pater vel extraneus, qui dotem dedit ab initio, in dote danda ſtipuletur alteri dotem reddi, valet ſtipulatio, & ſoluto matrimonio

maritus compellſitur dotem reddere alteri, quam uxori. Sed ſi ſtipulatio fiat ſtatim poſt dotem datam, licet ab initio fieri videatur, maritus non compellitur alii quam uxori dotem reddere, quia ſtipulatio de dote reddenda alteri non valet, niſi interveniat ab initio in ipſa dote danda: maritus ex ſtipulatione dotem ſtipulanti alteri reddi ſtatim poſt dotem datam, non tenetur alii quam uxori dotem reddere, niſi hoc ei nihil noceat. Nihil tam naturale & æquum eſt, quam mihi tribui quod mihi prodeſt, & alteri non nocet; *l. 2. §. item Varus, de aqu. & aqu. pluv. arc. l. in creditore, de evict. l. reſcripta*, C. *de precib. Imperat. offerend.* Si enim maritus quid incommodi ſuſpectum habeat, non eſt cogendus alii quam uxori ſtipulanti promittere dotem reddi: debitor invitus ex delegatione non cogitur mutare creditorem; *l. 1. l. nec creditores*, C. *de novat.* niſi ex cauſa dotis, ſi pater vel extraneus qui dotem dat ſtipuletur ab initio dotem alteri: multa ſingularia contra jus commune introducta ſunt favore dotium.

§. quod ſi in patris.

MOrte viri vel divortio ſoluto matrimonio dos reſtituenda eſt mulieri, & dotis actio datur mulieri ſoli, ſi ſit ſui juris, puta ſi ſit ſoluta patria poteſtate morte patris vel emancipatione; † *ex init. h. l. l. unic. §. videamus*, C. *de rei uxor. act.* Et filia quamvis patri heres extiterit dotem repetit, ſed jure proprio, quia dos non invenitur in hereditate patris, ſed in bonis filiæ; *l. pater filiam, ad leg. falcid. l. ſi ſocius, pro ſoc. l. 4. de collat. bon. l. 1. §. ult. de collat. dotis.* Soluto matrimonio, patri & filiæ communis eſt actio de dote, pater repetit dotem adjuncta perſona filiæ, volente & conſentiente filia, duobus caſibus, ſi dos ſit profectitia, & filia ſit in poteſtate patris, ex *h. §. l. filiæ*, C. *h. tit.* Quod ſi dos ſit adventitia, puta profecta a matre vel avo materno, ſola filia agit de dote; *l. Gaius*, inſr. *h. tit.* & ei agenti pater debet conſentire ſicut in ceteris bonis adventitiis; *l. ult. §. 1.* C. *de bon. quæ liber. auth. quod locum*, C. *de collat.* Dotis actio communis eſt patri & filiæ utroque caſu, ſi dos ſit profectitia, & ſi filia ſit in poteſtate patris, quaſi jure ſocietatis: ſi gener ſocero dotem ſolverit ignorante filia non liberatur, niſi ratum habuerit, quia in cauſa dotis filia eſt particeps & quaſi ſocia obligationis patris; *l. qui hominem, §. ſi gener, de ſolut.* Dos eſt proprium patrimonium mulieris, dos eſt vice legitimæ, repræſentatio ſc. legitimæ. Ceſſat hæc communio actionis quibusdam caſibus, & pater agit de dote ſine conſenſu filiæ, puta ſi ſtipulatus ſit in dote danda dotem ſibi reddi; *l. quotiens*, inſr. *h. tit.* aut cauſam contradicendi filia non habeat; *l. dotem*, inſr. *h. tit. l. ſi ut proponis*, C. *de nupt.* Aliquando filia ſola dotem repetit, puta ſi pater ſtipulatus ſit dotem reddi in unum caſum mortis, vel divortii, & altero caſu matrimonium ſolutum fuerit; *l. ſi cum dotem, in pr.* inſr. *h. tit.* Item ſi pater abſens vel furioſus ſit, vel tam turpis perſona, ut verendum ſit, ne acceptam dotem conſumat; *d. l. ſi cum dotem, l. filiusf.* ſupr. *de procurat.*

§. voluntatem.

SOluto matrimonio pater non aliter dotem repetere poteſt, quam volente & conſentiente filia. Ex reſcripto Antonini filia videtur conſentire patri, niſi evidenter contradicat. Nec obſtat *l. Titia*, inſr. *h. tit.* patri non datur actio de dote niſi probet filiam in ſua poteſtate eſſe, & conſentire: ſatis enim conſenſit filia, quæ non contradicit; *l. in adoptionibus, de adopt.* Pater quoque ex voluntate filiæ agere videtur, ſi filia furioſa ſit, conſentire creditur, quæ non poteſt contradicere propter dementiam: dotem voluntate filiæ recepiſſe videtur pater, ſi cauſam contradicendi filia non habeat; *l. dotem*, inſr. *h. tit.* filia furio-

rioſa patri dotem repetenti conſentire creditur, quaſi voluntatis reliquiis in furioſa manentibus ; *l. patre furioſo*, *de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* Curatori furioſi datur actio negotiorum geſtorum adverſus furioſum, quaſi ex mandato, quia furioſus mandaſſe videtur ; *l.* 3. §. *etſi furioſi*, *de negot. geſt.* Pater furioſi eſt vice curatoris ; *l. ult.* C. *de curat. furioſ.* Sed ſi abſens filia ſit, ſanæ mentis ſc. patri non datur actio de dote, niſi caveat rem ratam filiam habituram. Pater quaſi extraneus, ſi agat de dote abſente filia, tenetur cavere de rato, ut *hic*, *& l.* *) *ſi cum dotem*, §. *ſi patri*, infr. *h. tit. l. non ſolum*, §. *ſi de dote*, *de procur.* quia nemo eſt idoneus defenſor rei alienæ ſine ſatisdatione ; *l. in eo quod* 133. §. 1. *de R. J. l. qui proprio*, §. 2. *de procur.* Si gener ſocero filia ignorante dotem ſolverit, non liberatur, niſi filia ratum habeat ; *l. qui hominem*, §. *ſi gener*, *de ſolut.* Soluto matrimonio ſi pater furioſus ſit, curator ejus, voluntate filiæ, dotem petere poteſt : ſi curator abſit, filiæ agere licet, ita ut caveat de rato ; *l. ſi cum dotem*, §. *ſi ſoluto*, infr. *h. tit.*

L. 3.

MOrte viri vel divortio ſoluto matrimonio, actio de dote communis eſt patri & filiæ, quia dos eſt patrimonium filiæ, vel dos eſt quaſi communis patri & filiæ, ex *h. l. & l. ſi cum dotem*, §. 1. infr. *h. tit. l.* 3. §. *ergo etiam*, *de minorib.* Non ſolum autem ſi dos judicio petatur, ſed & ſi dos ultro ſolvatur, utriusque voluntas requiritur, quia patris intereſt, ne ſi filia dotem acceptam ferat vel conſumat, iterum cogatur eam dotare. Itaque ſolutio facta uni non poteſt nocere alteri, alter alterius conditionem deteriorem facere non poteſt: ſed ſi dos patri ſoluta ſit, quæ ad filiam pervenerit, actio de dote utriusque tollitur, ex *h. l.* quia patri conſenſiſſe creditur, quæ poſtea dotem accepit : plus eſt facto ratum habere, quam verbo. Idem dicendum eſt ſi filiæ ob juſtam cauſam dos ſoluta ſit ; *l. quamvis*, *l. ſi cum dotem*, §. 1. infr. *h. tit.* Sed & ſi filiaf. quæ liberam peculii adminiſtrationem habebat, ex peculio dotem dederit, dos ei recte ſolvitur quaſi a peculiari debitore ; *l. ſi filiaf. de jur. dot.* Dotis actio eſt communis patri & filiæ, non jure dominii, non ut dos ſit communis patri & filiæ jure dominii, ſed exigendi ſeu exactionis jure, ut communis patri & filiæ ſit actio de dote ; *l. & heredi*, §. † *filiaf. de pact.* Si pater ſit in mora agendi, etiam filiæ datur actio de dote ; *nov.* 97. *auth. quod locum*, *C. de collat.*

L. 4.

SOluto matrimonio actio de dote communis eſt patri & filiæ, ſed pater non poteſt minuere dotem in ſecundis nuptiis ; *nov.* 97. *cap.* 5. *auth. ſed quamvis*, *C. de rei uxor. act.* Si pater divortio ſoluto matrimonio, ſine conſenſu filiæ, a viro dotem exegerit, & eandem alii viro ejus filiæ nomine dederit, uti debet, & mortuo patre filia cum priore viro de dote agat, exceptione doli mali repellitur, ex *h. l.* quia dolo facit filia, quæ poſt dotem ſolutam patri, ipſius tacito conſenſu, rurſus agit de dote, maxime cum pater eandem dotem vel ampliorem in ſecundis nuptiis repetiit ; *l. dotem*, infr. *h. tit.* vel ſi filia heres patri extiterit, vel ex teſtamento legatum acceperit æquale doti ; *l. ſi cum dotem*, §. *ſi pater*, infr. *h. tit.*

L. 5.

FRuctus dotis pertinent ad maritum a die contracti matrimonii, ſi onera matrimonii ſuſtineat ; *l. ſi is qui Stichum*, §. 1. ſupr. *de jur. dot. l. pro oneribus*, *C. eod.* fructus ejus anni, quo matrimonium divortio ſolutum eſt, dividuntur inter virum & uxorem pro rata temporis, quo matrimonium ſtetit

Digitized by Google

eo anno, & quo onera matrimonii ſuſtinuit ; *l. fructus* † *eos eſſe*, infr. *h. tit. l. unic.* §. † 9. *verſ. ſed & noviſſimi*, *C. de rei uxor. act.* Et ſi poſt nuptias dos conſtituta & tradita ſit, fructus dotis pertinent ad maritum pro rata temporis ejus anni, quo divortium factum eſt, computando non a die contracti matrimonii, quia fructus dotis non retro trahuntur ad tempus contracti matrimonii, & non adquiruntur marito antequam dos conſtituta eſſet, neque a die conſtitutæ id eſt promiſſæ dotis, ſed a die quo primum dotale prædium conſtitutum eſt, id eſt a die traditionis poſſeſſionis ; ex *h. l.* Dotale prædium conſtituitur non ſola conventione, ſed traditione, quia traditione dotis transfertur dominium in maritum ; *l. dotale*, §. *dotale*, ſupr. *de fund. dotal.* Cujac. 14. *obſ.* 9.

L. 6.

SI fundus dotalis ante nuptias traditus ſit, in diviſione fructuum, quæ fit inter virum & uxorem pro rata anni, quo divortium factum eſt, annus computatur a die nuptiarum. Fructus dotis pertinent ad maritum a die nuptiarum ad tempus divortii : ſi ante nuptias fundus dotalis traditus ſit, fructus percepti ante nuptias augent dotem, & divortio facto fructus ante nuptias percepti reſtituendi ſunt mulieri quaſi pars dotis, ex *h. l. & l. fundus* 51. *famil. erciſc. l. videamus*, §. *ante*, infr. *de uſur.* Idem dicendum etſi matrimonium non conſiſtat, puta ſi minor 12. annis ducta ſit, propter onera matrimonii, quæ ſuſtinuit : & hoc lege municipali Bononiæ ſervari ait Accurſ. *hic*.

L. 7.

FRuctus intelliguntur deducto ſumptu fructuum quærendorum & colligendorum gratia facto : quæ regula locum habet, non ſolum in dote, ſed & in omni fructuum computatione; *l. videamus*, §. *item ſi* 14. *l. quod in fructus*, *de uſur. l. fundus*, *qui*, ſupr. *famil. erciſc. l.* 1. *C. de fruct. & lit. expenſ.* etiam ſi a malæ fidei poſſeſſore percepti ſint ; *l.* † *ſi a domino*, §. *ult. de petit. hered. l. domum*, *C. de rei vindic.* quod Scævola refert & ad mariti & mulieris impenſas : fructus intelliguntur deductis ſumptibus utriusque, quia dos ſervire debet oneribus matrimonii ; *l. ſi is qui Stichum*, §. 1. *de jur. dot. l. pro oneribus*, *C. eod.* nam ſi mulier pridie vindemias, id eſt kalendas ſeptembris, fundum in dotem dedit, & poſt vindemias, id eſt kalendis octobris, a marito divertit, undecim dumtaxat menſium fructus mulieri reſtituuntur, & e fructibus impenſæ deducuntur antequam portiones fructuum fierent, ex *init. h. l.*

§. *Papinianus*, *alias* §. *divortio*.

FRuctus fundi dotalis dividuntur inter virum & uxorem pro rata anni quo matrimonium ſtetit, ut in caſu *h.* §. finge mulier tempore vindemiæ, id eſt kalend. octobris, fundum in dotem dedit, mox maritus collegit vindemiam & kal. novembris vineam locavit, matrimonium divortio ſolutum eſt ſuprema die januarii, atque ita matrimonium ſtetit quatuor menſibus tantum : quæritur an maritus poſſit retinere integros fructus vindemiæ, quos percepit, & præterea quartam partem mercedis locationis, pro rata temporis, quo matrimonium ſtetit a die locationis ? Papinianus ait, non retinere : quod colligit ab abſurdo, nam ſi mulier kal. Octobris vineam in dotem dedit, & maritus collecta vindemia altera die divortium fecit, an retinebit integros fructus vindemiæ ? minime. Itaque fructus vindemiæ, & quarta pars mercedis locationis, confundi, ſeu commiſceri, & una computationis ratio haberi debet, ut ex ea ſumma tertia viro relinquatur. Fructus dotis anni noviſſimi, quo matrimonium ſolutum eſt, divi-

Digitized by Google

dividuntur inter virum & uxorem pro rata anni, quo matrimonium ſtetit; *l. cum in fundo*, §. † 2. *verſ. divortio*, *de jur. dot. l. ſi marito*, §. *ult. h. tit. l. unic.* §. † 9. *verſ. ſed & noviſſimi*, *C. de rei uxor. act.* niſi aliud conventum ſit; *l. pen. de pact. dotalib.* Alciat. *paradox. lib.* 3. *cap.* 1. Duaren. *diſp. libr.* 1. *cap. ult.* Cujac. 14. *obſ.* 22. Donell. *de jur. civil. libr.* 14. *cap.* 7.

§. *e contrario.*

E contrario ſi mulier lecta vindemia, puta kal. octobris ſtatim fundum viro in dotem dederit, & vir eum fundum locavit kal. martiis, (Locationes prædiorum & vectigalium fieri ſolebant kal. martiis, eodemque die penſiones inferri moris erat, ut *hic*, & *l. defuncta*, ſupr. *de uſufruct. l. Cæſar*, *de publican.* Macrob. 1. *Saturnal.* 12.) & divortium ſecutum eſt kal. aprilis, atque ita matrimonium ſtetit uno menſe tantum a locatione, a traditione fundi dotalis ſex menſibus: quæritur, an maritus ferat tantum 12. partem mercedis locationis, pro rata unius menſis, quo matrimonium ſtetit a die locationis, an ſemiſſem pro rata temporis, quo fundus dotalis fuit? Et Papinianus ait, maritum retinere ſemiſſem, quia fructus non dividuntur inter virum & uxorem a die locationis, ſed a die traditionis fundi dotalis; §. *Papinianus*, ſupr. *h. l.*

§. *item ſi* † *meſſes*, † §. *apparet.*

MUlier perceptis vindemiis ſtatim fundum in dotem dedit, & vir cum fundum locavit kal. martiis, ſub ea lege, ut fructus ejus anni, quo divortium factum eſt, colonum, id eſt conductorem, qui nummis conduxit, qui proprie colonus dicitur; *l.* † *ſi merces*, §. *vis major*, ſupr. *locat.* ſequerentur, poſtea & ante vindemiam ſoluto matrimonio, merces locationis meſſium veniet in computatione, in diviſione fructuum ejus anni, quæ fiet inter virum & uxorem, cum ſpe futuræ vindemiæ: merces locationis eſt vice fructuum; *l. mercedes*, *de hered. petit.* Fructus, quos mulier percepit antequam nuberet, non veniunt in contributionem, quia fructus ſunt mulieris, fructus non ſunt dotis.

§. *ob donationes.*

ACtione rei uxoriæ fiebat retentio ex dote ob res donatas a viro uxori, vel ob res amotas ab uxore, ut tradit Ulpian. *libr. reg. tit. de dotibus*, §. 9. Hoc jure ob res donatas vel amotas, fructus e fundo dotali percepti a viro poſt vindemiam compenſari poſſunt; *l. rei judicatæ*, §. 1. infr. *h. tit.* Hodie ex conſtit. Juſtiniani, ſublata actione rei uxoriæ, & converſa in actionem ex ſtipulatu de dote, retentio dotis non fit ob res donatas uxori, quia non valet donatio, ſed marito, qui res donavit, datur directa in rem actio, vel utilis, ſi res extent; *l. ſi donata*, *l. uxor marito*, *l. ſi mulier ex pecunia*, & *ſeq. de don. inter vir. & uxor.* vel condictio ſine cauſa; *l. ſi ſponſus*, §. *ult.* & *l. ſeq. eod. tit.* Neque ob res amotas fit retentio ex dote, quia maritus habet actionem rerum amotarum, & retentio fit ex dote tantum ob impenſas factas in res dotales; *l. unic.* §. *taceat*, *C. de rei uxor. act.*

§. *quod in anno*, † §. *& in pluribus*, §. *item ſi.*

FRuctus dotis dividuntur inter virum & uxorem pro rata anni, quo divortium factum eſt, ſi fundus dotalis talis ſit, qui fructus ferat ſingulis annis, vel pro rata ſemeſtris temporis, ſi fundus bis ferat fructus, ut contingit in locis irriguis, vel pro rata quinquennii, ut in ſilva cædua, quia ſilva cædua

Digitized by Google

quinto quoque anno cæditur: quod ſi ager locatus ſit in quinquennium, ut moris erat; *l. ſi in lege*, §. *colonus*, *l. item quæritur*, §. *ult.* ſupr. *locat. l. ſi quis* † *nec cauſam*, §. 1. *de reb. credit.* ſi in locatione agri convenit, ut ſuper id eſt ultra annuam mercedem, quinto quoque anno aliquid amplius præſtaretur, puta plauſtrum ligni, in diviſione fructuum inter virum & uxorem, id quod amplius eſt dividetur pro rata quinquennii.

§. *non ſolum*, † §. *in ſervo*, §. *de penſionibus*.

IN diviſione fructuum dotis inter virum & uxorem pro tata temporis, quo ſtetit matrimonium, non ſolum veniunt fructus naturales, puta frumentum, hordeum, vinum, ſed etiam fœtus pecoris, lana ovium: ſi enim maritus oves proximas partui, vel tonſuræ, in dotem acceperit, poſt partum & tonſuram earum divortio facto, percepti fructus non dividuntur inter virum & uxorem, ſed manent apud maritum, ratio enim horum fructuum habetur in diviſione fructuum, toto tempore quo curantur, non quo percipiuntur, id eſt hi fructus pertinent ad maritum, vel ad mulierem, non inſpecto tempore quo percipiuntur, quo fœtus naſcuntur, quo oves tondentur, inſpecto tempore curæ non ſolum debentur marito pro oneribus matrimonii, ſed etiam pro cura pecoris & ovium, † ex *h.* §. *non ſolum*. In diviſione fructuum veniunt etiam operæ ſervorum, pro rata anni, quo matrimonium ſtetit, ſi in annum forte eorum operæ locatæ ſunt, ut operæ in præteritum, operæ præteriti temporis pertineant ad maritum, poſt divortium autem pertineant ad mulierem, † ex *h.* §. *in ſervo*. In diviſionem veniunt & penſiones prædiorum urbanorum, ſicut & ruſticorum, ex *h.* † §. *de penſionibus*, quia penſiones ædium ſunt loco fructuum; *l. mercedes*, infr. *de hered. petit. l. prædiorum*, *de uſur.*

§. *ſi fundum*.

SI uxor fundum viro in dotem dederit, isque inde arbores deciderit, ſi hæ arbores ſint in fructu, puta arbores cæduæ. Silva cædua eſt in fructu; *l. quì fundum* 40. §. *cum fundum*, *de contrah. empt.* vel cremiales ſeu gremiales, quæ dicuntur cremia; *l. ligni*, §. 4. *de legat.* 3. *&* *pſalm.* † 142. Divortio facto arbores, quæ ſunt in fructu, cedunt lucro mariti pro rata temporis, quo matrimonium ſtetit: quod ſi arbores non ſunt in fructu, puta majores arbores, quæ ſunt pars fundi, ſi maritus has arbores deciderit, tenetur mulieri actione de dote, quaſi fundum deteriorem fecerit: & ſi vi tempeſtatis dejectæ ſint, non cedunt marito, non magis quam ſi theſaurus fuerit inventus in fundo, in fructu non computabitur: quod non eſt in fructu ad maritum non pertinet; *l. unic.* §. *cumque*, C. *de rei uxor. act.* Sed pars theſauri dimidia reſtituetur mulieri, quaſi in alieno inventi, ut in *hoc* §. cui conjunge *l. numquam*, §. *theſaurus*, *de adquir. rer. domin.*

† Nihil in pſalm. 142. In pſalm. vero 101. 4. *oſſa mea ut cremium aruerunt*.

§. *ſi vir*, † §. *ſed ſi cretifodinæ*.

LApidicinæ non ſunt in fructu, niſi lapis vel marmor ibi renaſcatur: ſi maritus in fundo dotali lapidicinas marmoreas invenerit, vel fundum fructuoſiorem fecerit, ſic enim legendum pro & fundum fructuoſiorem fecerit, quia lapis non ſolet ibi renaſci, marmor quod ibi cæſum, neque exportatum eſt, mariti eſt, licet non ſit in fructu, pro fructu habetur ut adquiratur marito, propter operam & impenſam exhibitam in aperiendis & effodiendis lapidicinis, & impenſa non eſt ei præſtanda, quia deducenda eſt de fructibus vel quaſi fructibus, quia marmor non eſt in fructu, niſi talis ſit lapis ut ibi renaſcatur, quales ſunt in Gallia & Aſia †, ex *h.* §. *ſi vir*, de quo Plin. *libr.* 36. *cap.* 18.

ſed

Digitized by Google

ſed ſi cretifodinæ, auri vel argenti fodinæ ſint in fundo dotali, in fructu habentur, † ex *h.* §. *cretifodinæ*, & fructus ex his percepti veniunt in diviſione inter virum & uxorem pro rata anni, quo matrimonium ſtetit: his conjunge *l. ult.* ſupr. *de fund. dotal.*

§. *interdum*.

IN diviſione fructuum, quæ ſoluto matrimonio fit inter virum & uxorem, pro rata anni, quo matrimonium ſtetit, veniunt non tantum fructus percepti a marito, ſed etiam fructus ſtantes, id eſt pendentes: qua de cauſa ſi mulier fundum dotalem recipiat ſtantibus fructibus, marito cavet de fructibus, id eſt de fructibus reſtituendis pro rata temporis, quo matrimonium ſtetit. Interdum maritus fundum omnino reſtituit cum fructibus, cum ſc. fructus pendentes ſunt, quia pas fundi eſſe intelliguntur; *l. fructus* 44. *de rei vindicat.* hoc caſu, ut conſulatur marito, a muliere cavetur de fructibus cum percepti fuerint reſtituendis, pro rata anni, quo matrimonium ſtetit. Interdum maritus totum retinet & nihil reſtituet uxori, nempe ſi non plus erit in fructibus perceptis, quam pro portione, id eſt pro parte anni, quo matrimonium ſtetit, eum retinere oportet: interdum vero partem reddi, ſi plus recepit, quam retinere eum oportet, pro rata anni, quo matrimonium ſtetit. Si vir in quinquennium fundum dotalem locaverit, & poſt primum forte annum divortium intervenerit, non alias mulieri fundum reddi oportet, quam ſi caverit eum indemnem præſtare adverſus conductorem, ſi quid maritus præter unius anni locationem damnatus ſit: ſed & maritus mulieri cavere debet, quidquid præter primum annum ex locatione conſecutus fuerit ei reſtituturum; *l.* † *ſi filiaf.* §. *ult.* infr. *h. tit.* Cujac. 15. *obſ.* 21. Quod in marito dictum, ejusdem juris eſt, ſi cum ſocero, vel herede alterutrius, id eſt patris mariti, vel mariti ipſius, qui patrem non habet, agatur.

§. *ult.*

DIvortio ſoluto matrimonio fructus dotis dividuntur inter virum & uxorem pro rata anni, quo matrimonium ſtetit. In diviſione fructuum fructus intelliguntur deductis impendiis fructuum quærendorum & colligendorum cauſa, puta agri arandi ſerendique cauſa, in tutelam id eſt refectionem ædificiorum, vel curationem ſervi ægri; *l. quod in fructus*, *de uſur. l.* 3. §. *ult. l. pen. de impenſ. in res dotal. fact.* deductis ſumptibus e mercedibus locationis ædificiorum, vel ex operis ſeu mercedibus operarum ſervorum, ex *h.* §. *& l. unic.* §. *cumque ex ſtipulatu*, *C. de rei uxor. act.* Cujac. 25. *obſ.* 36. Sed cum maritus fructus totius anni retinet, puta ſoluto matrimonio anno expleto, hæ impenſæ non petentur, quia prius deducuntur e fructibus: ſi maritus neceſſarias impenſas fecerit, puta in novæ villæ extructionem, vel in veteris ſine culpa ſua collapſæ reſtitutionem, ejus impenſæ petitio datur marito. Idem juris eſt ſi maritus paſtinum ſeu paſtinam inſtituerit, quod genus impenſæ eſt neceſſarium vel utile; *l. impenſæ*, §. 1. *de V.S. l. ſemper*, §. 1. *quod vi aut clam*. Paſtinare eſt plantare, fodere: paſtinatio Accurſio *hic* eſt plantatio arborum juxta ripam fluminis, ne terra labatur. De paſtinatione Columell. *lib.* 3. *cap.* 13. *&* 14.

L. 8.

SI fundus in dotem datus ſit, in quo lapis cæditur, id eſt cædi ſolet, & in fructu habetur, lapidicinarum commodum ad maritum pertinet, quia licet lapis non ſit in fructu, ſi non renaſcatur, tamen lapidicinarum commodum ex re percipi ſolitum in fructu habetur; *l. item ſi fundi*, §. 2. ſupr. *de uſufruct.* maxime quia palam ſit, fundum eo animo datum, ut iſte fructus ad maritum

Digitized by Google

pertineret, niſi contrariam voluntatem in danda dote declaraverit mulier, *ex init. h. l.* Pactum, quo convenerit inter virum & uxorem, ne lapidicinarum commodum ad maritum pertineret, valere poteſt, ſi alios fructus inde maritus percipere potuit: alias pactum non valet; *l.* 4. ſupr. *de pact. dotalib.* ne dos ſit ſine fructu.

§. quod in ſementem.

IN diviſione fructuum, quæ fit inter virum & uxorem divortio facto, ſumptus culturæ & ſeminis prius deducuntur e fructibus; *l. prox.* §. *ult.* ſupr. *l. quod in fructus*, ſupr. *de uſur.* Quod in ſementem erogatum eſt, ſi meſſis non reſponderit, ex vindemia ejusdem anni deducendum eſt, quia licet diverſæ ſint ſpecies fructuum, totius anni unus fructus eſt; *l. hactenus*, *de* † *uſufruct.* *chaque année porte ſes charges.*

† *al. l.* 7. & v. ſi facit.

L. 9.

SI mulier fuerit in mora recipiendæ dotis, maritus in ea non præſtat culpam, id eſt negligentiam, ſed dolum dumtaxat, ne facto, id eſt mora, mulieris, agrum ejus in perpetuum colere cogatur, ex *h. l.* Maritus in rebus dotalibus præſtat dolum & culpam; *l. etiam*, §. 1. infr. *h. tit.* tamen ſi mulier moram fecerit in recipienda dote, maritus ob dolum tantum non ob culpam tenetur; † *ex h. l.* Sola oblatio rei debitæ liberat debitorem, ſi poſt oblationem pecunia debita perierit ſine culpa debitoris; *l. qui* † *decem*, *de ſolut.* Alias ſola oblatio non liberat debitorem, niſi ſecuta ſit obſignatio; *l. acceptam*, *C. de uſur. l. obſignatione*, *C. de ſolut.* Fructus tamen, qui perveniſſent ad virum, redduntur. Maritus poſt moram mulieris impune poteſt incultum fundum omittere ut alienum; *l. venditor ex hereditate*, *de hered. vend.* ſi tamen fundum colat tenetur reſtituere fructus quos percepit. Alia eſt cauſa heredis, a quo fideicommiſſum petitum non eſt, fructus enim, quos percepit culpa non petentis fideicommiſſarii, non cogitur ei reſtituere; *l. mulier*, §. *ſi heres*, *ad Trebell.*

L. 10.

MOrtua filia in matrimonio, dos profectitia redit ad patrem, ſive filia fuerit in poteſtate patris, ſive emancipata, ex *init. h. l. l. filiæ meæ*, infr. *h. tit. l. jure* † *ſuccurſum*, *de jur. dot. l.* †† 5. §. *pen. de don. int. vir. & uxor. l. pater*, *de evict. l. unic.* §. *videamus*, *C. de rei uxor. act.* Et quod ait *l.* 4. *C. h. tit.* de filiaf. obtinet etiam in filia emancipata, quia emancipatio, quæ eſt beneficium patris, non debet ei nocere, non debet converti ad injuriam patris; *l. impuberi*, *de adm. tutor.* Quod ſi filia, quæ nupta erat, & dotem a patre profectam habebat, capta ſit ab hoſtibus, & apud eos deceſſerit, perinde obſervanda ſunt omnia, ac ſi nupta deceſſiſſet, & dos a patre profecta revertitur ad patrem, etiam ſi captivitate in poteſtate patris eſſe deſierit, ex quo erat ſerva hoſtium, dos profectitia redit ad patrem perinde ac ſi filia in matrimonio & in poteſtate patris deceſſiſſet, quia licet captivitate ſolutum ſit matrimonium, & patria poteſtas, ex † *h. l. l. ſi quis ſic*, infr. *h. tit. l. in bello*, §. *medio tempore*, *in fin. de captiv. & poſtlim. reverſ.* fictione legis Corneliæ fingitur deceſſiſſe primo captivitatis momento, præambula hora captivitatis; *l. lex Cornelia*, *de vulg. & pupill.* fingitur deceſſiſſe in civitate, & conſequenter in matrimonio, & in poteſtate patris. Alter caſus eſt, cum filiæ ægræ in hoc repudium miſit maritus, ne dos ad patrem rediret, filia mortua poſt divortium patri datur utilis actio dotis recuperandæ cauſa; *d. l. filiæ.*

†† V. ſi facit. Et adde *l.* 5. infr. *de divort.*

§. *ſi*

Digitized by Google

§. *ſi vir*.

MOrtua in matrimonio uxore, dos adventitia cedit lucro mariti: quod ſi vir uxorem occiderit, dotis actio datur heredibus uxoris, nec enim æquum eſt, virum ob facinus ſuum lucrifacere. Si maritus uxorem necaverit dotem amittit: idem juris eſt, ſi uxor mariti culpa periir, forte quia medicum non adhibuit, vel imperitum; *l. 3. de his quæ ut indign. l. quod ſi nolit*, §. *ſi mancipium*, *de ædil. edict. l. necare*, *de liber. agnoſc.* Idem e contrario ſtatuendum eſt, ſi nxor virum occiderir, ira ut non lucretur donationem propter nuptias.

L. 11.

SI mulier ſciens rem alienam in dotem dederit, divortio ſoluto matrimonio, ei datur actio de dote ad rem repetendam, quaſi ſuam dediſſet, ex *h. l. & l. cum ſponſus*, *de publician. in rem act.* & fructus dotis dividuntur inter virum & uxorem pro rata anni, quo divortium factum eſt, ex *h. l.*

L. 12. † *&* 13.

MAritus de dote non tenetur in ſolidum, ſed in quantum facere poteſt deducto ne egeat, ex *h. l. l. ſunt qui*, *& ſeq. de re judicat. l. in condemnatione*, *de R. J.* Hac exceptione non utitur maritus, ſi dolo fecerit, ne ſolidum præſtare poſſit; *l. etiam*, §. 1. infr. *h. tit.* Ex conſtit. D. Pii, maritus ſi de dore conveniatur, tenetur in quantum facere poteſt: ſed ſi conveniatnr ex aliis contractibus, puta qui delegatus eſt uxoris creditori, in ſolidum tenetur; *l. Neſennius*, *de re judic.* Si maritus conſtituerit ſe ſoluturum dotem, quam debet, in ſolidum quidem tenetur ex conſtituto, ſed uxori in quantum facere poteſt condemnatur; *l. quod ſi maritus*, *de conſtit. pecun.* Marirus de dote non tenetur in ſolidum, ſed in quantum facere poteſt, propter reverentiam maritalem: verum tenetur cavere de præſtando ſolido, ſi ad meliorem fortunam pervenerit, quinimmo tenetur in ſolidum, ſi dolo fecerit, ne ſolidum præſtare poſſit; *l. unic.* §. *cum autem*, *C. de rei uxor. act.* Si dos filiof. data ſit, pater filii nomine conventus actione de peculio, tenetur in ſolidum, ſi dolo fecerit, ne dotem, quæ erat in peculio, ſolveret; *l. in bonæ fidei*, *de pecul.* Hoc beneficium non datur extraneo heredi mariti, quia beneficium perſonale eſt, non egreditur perſonam, ſed datur heredi patris ſi ſit e liberis; *l. etiam*, infr. *h. tit.* non datur heredi exrraneo; *l. ſciendum*, *de re judicat.* Heres mulieris, quiſquis ſit, ſolidum non exigit a marito, ſed quatenus facere poteſt.

L. 14.

BEneficium, quod competit marito, ne de dote teneatur ultra id quod facere poteſt, non datur heredi extraneo, quia eſt perſonale non egreditur perſonam; *l.* 1. §. *plane*, *de conſtit. Princip.* Quod ſi defenſor, id eſt procurator vel negotiorum geſtor abſentis, conveniatur actione de dote, non damnatur, niſi in quantum damnaretur maritus ſi conventus eſſet, id eſt in quantum facere poſſet; ex *h. l. & l. ſi cum procuratore*, infr. *de re judicat.* quia non convenitur ſuo nomine, ſed ex perſona viri. Alia eſt cauſa fidejuſſoris, quia ſuo nomine convenitur, non mariti; *l. Papinianus*, ſupr. *mandat. l. qui bona*, §. 1. *de damn. infect.* ideoque ſolidum ab eo exigi poteſt, quod poſtea repetit a marito; *l. etſi fidejuſſor*, *de re judic.* Exceptiones, quæ cohærent perſonæ,

id eſt reo ratione perſonæ, non transeunt ad fidejuſſores; *l. exceptiones 7. de except.* §. *ult. inſt. de replicat.*

§. *eleganter*.

SI maritus paciſcatur, ne in id quod facere poteſt, ſed in ſolidum condemnetur, pactum non valet, quia eſt contra bonos mores, & contra receptam, id eſt moribus receptam, reverentiam, quæ marito exhibenda eſt, ex *h.* §. Hoc pactum non nocet marito: ſi enim conveniatur in ſolidum ex pacto, tuetur ſe exceptione doli: alioquin ſi maritus ultro ſolidum ſolverit, non habet condictionem indebiti; *l. quod nomine, de condict. indebit.* Si poſt divortium negotia uxoris geſſerit maritus, tamquam voluntarius procurator, & cum id temporis ſolvendo eſſet, a ſe dotem non exegerit, in ſolidum convenietur; *l. divortio, de negot.* † *geſt.* ſi ſecuto divortio fiat id pactum, non valere ſenſit Irnerius, ex *h. l. & arg. l. quod ſi nulla, de religioſ. & ſumpt. ſun.* contra nonnulli exiſtimant id valere, arg. *d. l. divortio*.

L. 15.

CUm quæritur quatenus maritus facere poſſit, ſpectatur tempus rei judicatæ, ex *init. h. l. & l. verum*, §. *tempus, pro ſoc. l. nec maritus, C. h. tit.* Immo ſi maritus poſt ſententiam locupletior factus ſit, adhuc in ſolidum conveniri poteſt, quia hoc beneficio juris omnino non liberatur, ſed ſuſtinetur exactio dumtaxat donec ſolvendo fiat; *l. unic.* §. *cum autem, C. de rei uxor. act.* In pupillo, cui ſine tutoris auctoritate ſolutum eſt, cum quæritur, an ex ea pecunia locupletior factus ſit, ſpectatur tempus litis conteſtatæ; *l. litis, de negot. geſt. l. quod autem, de don. inter vir. & uxor. l. in pupillo, de except. l. in pupillo, de ſolut.*

§. *heredi*.

HEredi mariti extraneo, ſi non competit hoc beneficium, ne de dote teneatur ultra quam facere poteſt, ut *hic, & l. maritum, & ſeq.* ſupr. *h. tit.* tamen ſi conveniatur de dote, poteſt opponere compenſationes, quæ ad pecuniariam cauſam reſpiciunt, veluti ob res donatas, vel amotas, vel ob impenſas, ut *hic, & l. divortio, al. l.* 7. §. *ob donationes*, ſupr. *h. tit.* non ob mores uxoris, puta ob adulterium, quia heres mariti non habet morum coercitionem in uxore defuncti; *l. ult. C. de revoc. don.* Jure civili marito licebat retinere dotem vel partem dotis ob mores uxoris; *l.* † *viro*, inſr. *h. tit.* Ulp. *lib. reg. tit. de dotibus*, §. 9. Plin. libr. 14. cap. 13. *Cn. Domitius judex pronuntiavit, mulierem videri plus vini bibiſſe, quam valetudinis cauſa, viro inſciente, ac dote multavit.* Gellius libr. 10. cap. 23. ex oratione Catonis de dote: *M. Cato non ſolum exiſtimatas, ſed multatas quoque a judice mulieres refert non minus, ſi vinum in ſe, quam ſi probrum & adulterium admiſiſſent.* Et conſtitutione Juſtiniani retentio dotis non fit ob res donatas, vel amotas, nec ob mores, ſed tantum ob impenſas neceſſarias, vel utiles; *l. unic.* §. *taceat, C. de rei uxor. act. l. ult. C. de repud.*

† V. ſi facit. Et v. etiam *l.* 47. *h. tit.*

§. *ſocero, & l.* 16.

SOcer a nuru de dote conventus tenetur in id quod facere poteſt, quia parentis loco eſt, ex *h.* §. *& l.* 16.

L. 17.

L. 17.

SI ſocer de dote conveniatur a genero, idem honor ei habendus eſt, ne teneatur ultra quam facere poteſt, ex *h. l. & l. ſunt qui, l. ſicut*, infr. *de re judic.*

§. *item ſi*.

MUlier ex promiſſione dotis conventa, tenetur in id quod facere poteſt, hoc colore, quod ſit ſocia omnium bonorum, ut *hic, & l. non tantum*, infr. *de re judic.* Socius omnium bonorum conventus actione pro ſocio, non tenetur, niſi in quantum facere poteſt; *d. l. ſunt qui*. Eodem jure mulier ex promiſſione dotis non tenetur in ſolidum, ſed in quantum facere poteſt, quod ſit ſocia omnium bonorum; *d. l.* †† *non tantum*. Mulier eſt ſocia divinæ & humanæ domus; *l. adverſus*, † *C. de crimin. expilat. hered.*

†† De ſocietate verbum nullum *hic* V. *l.* 52. *eod. tit. & l.* 1. *rer. amot.*

§. *ſi in judicio*.

SI in judicio dotis judex ignorantia juris maritum condemnaverit in ſolidum, in executione judicati maritus poteſt ſe tueri oppoſita exceptione doli, ex *h.* §. Exceptiones, quæ ſententiam non impugnant, ſed modum aliquem imponunt, poſſunt opponi in executione rei judicatæ; *l. ſi fidejuſſores*, §. 1. *de fidejuſſ.* Sic in actione noxali, judex ita condemnat reum, ut noxæ dedendi facultatem ei non adimat; *l. miles*, §. 2. infr. *de re judicat.* §. 1. *inſt. de offic. judic.* Oppoſita exceptio doli mali habet vim appellationis vel retractationis ſententiæ, quod eſt contra jus civile ex conſtitutionibus; *l. non diſtinguemus*, §. *cum quidam*, *de recept. qui arbitr.*

L. 18.

BEneficium hoc, ne maritus teneatur de dote, niſi in quantum facere poteſt, † non competit heredi, extraneo ſc. Item privilegium, ne mulier ex promiſſione dotis teneatur, niſi in quantum facere poteſt, non datur extraneo heredi, ſed datur filiis mulieris, id eſt filiis ex eodem matrimonio ſuſceptis, qui patri heredes extiterunt, ex *h. l.* non datur filiis alterius matrimonii, id eſt priviginis, quia pro extraneis habentur. Item privilegium tacitæ hypothecæ, vel exactionis dotis, non datur extraneo heredi, ſed filiis tantum; *l. aſſiduis*, *C. qui potior. in pign. l.* † *unic. C. de privileg. dot.*

† Lege ſic: non competit heredi, extraneo ſc. ſed datur filiis mulieris, id eſt filiis ex eodem matrimonio ſuſceptis, qui patri heredes extiterunt, ex *hac l.* non datur filiis alterius matrimonii, &c.

§. *licet*.

LIcet maritus præſtet dolum & culpam in rebus dotalibus, non æſtimatis ſc. tamen cum quæritur, an maritus in actione de dote tenetur tantum in id quod facere poteſt, dos dumtaxat comprehenditur, id eſt excipitur, id eſt maritus tenetur de dote in id quod facere poteſt, niſi dolo fecerit quominus ſolidum ſolvere poſſet, ut *hic, & l. unic.* §. *cum autem*, *C. de rei uxor. act.* Maritus non amittit beneficium legis ob culpam in rebus dotalibus ſervandis, quia in rerum ipſius adminiſtratione non erat culpa, id eſt culpæ ratio, ab eo exigenda: in re propria culpa fere præſtari non ſolet, quia licet unicuique re ſua arbitrio ſuo uti; *l. in re mandata*, *C. mandat.* Marito nocet dumtaxat dolus, quo uſus eſt propter uxorem, ne ſolidum præſtare poſſet, non dolus, quem admiſit propter quemlibet alium, puta alterius creditoris fraudandi cauſa, ut *hic, & l. Fulcinius*, §. *quod ſi adverſus*, §. *illud*, *quib. ex cauſ. in poſſ. eatur*,

Digitized by Google

l. filius, §. *ult. ad leg. Corn. de falſ.* Actione Pauliana tenetur, qui alienavit rem ſuam ſciens unum creditorem fraudari, etſi de ceteris ignoravit; *l. ait prætor*, §. *illud*, *quæ in fraud. creditor.* Offilius exiſtimabat, ſi dolo mariti res dotales periiſſent, & alioquin ſolvendo non eſſet, maritum damnandum in ſolidum rei dotalis nomine, in qua dolum feciſſet, quamvis dolo non feciſſet quominus ſolvendo eſſet, atque ſi dolo feciſſet quominus ſolidum facere poſſet. Ceterum ſi res dotales perierint ſine culpa & dolo mariti, maritus tenetur tantum cedere actiones, quas eo nomine habet, mulieri, puta actionem furti, vel damni injuriæ, id eſt legis Aquiliæ de damno injuria dato. Qui tenetur quod habet actionem, liberatur cedendo actionibus ſuis; *l. quod debetur*, *de pecul.*

L. 19.

REdintegrato matrimonio dos tacite redintegratur; *l. dotem*, *l. divus Severus*, ſupr. *de jur. dot.* Si mulier poſt divortium lite de dote conteſtata redierit in matrimonium, redintegrato matrimonio expirat judicium de dote, & omnia in priſtino ſtatu remanent, quia perempto jure agentis expirat judicium; *l.* *) *ſin autem*, §. 1. *de rei vindicat.* ut redintegrato matrimonio ſolvitur judicium rerum amotarum; *l. ult. rer. amotar.* Redintegrato matrimonio dos redintegratur, niſi dos ſit receptitia, id eſt niſi extraneus dotem dederit & caverit divortio ſoluto matrimonio dotem ſibi reddi, hoc caſu uxore ad virum reverſa poſt divortium, judicium acceptum de dote reddenda non diſſolvitur, nec officio judicis maritus abſolvitur; *l. in inſulam*, §. *ult. h. tit.* dos minime repetita intelligitur, niſi is qui dedit conſenſit denuo; *l. ſtipulatio de dote*, ſupr. *de jur. dot.* *l. cum maritus*, §. 1. *de pact. dotalib.* Si filia, quæ eſt in patris poteſtate, ſine conſenſu ejus redeat ad maritum, nihilominus dos a patre exigi poteſt; *l. ſi ut proponis*, *C. de nupt.*

L. 20.

COnſtante matrimonio dos uxori reddi poteſt juſtis de cauſis: puta ut æs alienum ſolvat, ut prædia idonea emat, vel etiam ut liberis ex alterius matrimonio egentibus vel parentibus conſulat, vel ut ab hoſtibus eos redimat, ex *h. l. & l. mutus*, §. *manente*, *l. ult.* ſupr. *de jur. dot.* Extra has cauſas, dos conſtante matrimonio uxori reddi non poteſt, quia repræſentatio dotis, eſt ſpecies donationis; *l. unic. C. ſi conſtant. matrimon.* tametſi ſoluto matrimonio dos filiæ, quæ eſt in poteſtate patris, non reddatur ſine conſenſu patris; *l.* 3. ſupr. *h. tit.* & ſi ſoluto matrimonio dos reddatur filiæf. ſine patre, dotis actio ſupereſt patri: tamen ſi ex his cauſis dos reddita ſit filiæf. conſtante matrimonio, dotis actio non ſupereſt patri; *l. ſi cum dotem*, §. 1. inf. *h. tit.*

L. 21.

DOs uxori reddi poteſt conſtante matrimonio juſtis de cauſis: puta ut æs alienum patris, cui forte heres extitit, exolvat, aut prædia idonea emat, ſi forte ei expediat dotem collocari in emptione prædiorum, vel ut parentes alat, vel ab hoſtibus redimat; *l. prox.* ſupr. Sed & ſi maritus ex dote expenderit, ut a latronibus redimeret neceſſarias perſonas mulieris, vel ut mulier e vinculis propter reatum vindicet aliquem de neceſſariis ſuis, reputatur ei quod expenſum eſt; ſi pars dotis ſit, pro ea parte; & ſi tota dos ſit expenſa, actio dotis evaneſcit: & hoc obſervatur, ſive pater agat de dote, ſive filia poſt mortem patris. Et ſi maritus ob has cauſas dotem expenderit, & conveniatur actione de dote, tuetur ſe exceptione doli, quia exceptio doli ineſt actioni de dote

dote & ceteris bonæ fidei judiciis, ut ſcriptum eſt *hic*, *& l.* 3. *de reſcind. vendit. l. hujusmodi*, §. *qui ſervum*, *de legat.* t. maxime ſi ſumptus factus ſit voluntate filiæ: alioquin invita & contradicente muliere, factus in eam rem ſumptus imputatur marito ; *l. ult. C. de negot. geſt.*

L. 22.

SI pater vel extraneus in danda dote, pro muliere pactus ſtipulatusve ſit dotem ſibi reddi, in unum caſum dumtaxat mortis vel divortii, in caſu omiſſo mulieri competit repetitio dotis, ex *init. h. l.* Caſus omiſſus remanet in diſpoſitione juris communis ; *l. inter ſocerum*, §. *cum inter*, ſupr. *de pact. dotalib. l. commodiſſime*, *de liber. & poſth. l. cum prætor*, *de judic. l. alimentorum*, *de aſſignand. libert. l. voluntatis*, *C. de* † *fideicomm.* Quod in ultimis voluntatibus locum habet ; *l. commodiſſime*, *de liber. & poſth. l. ult. C. de poſth. hered. inſtit.* Interdum tamen fit, ut exiſtente caſu omiſſo, dos nihilominus ſtipulanti reddenda ſit : puta ſi cum pater ſtipulatus eſſet ſub hac conditione, ſi filia in matrimonio deceſſerit, & ea dolo malo in fraudem patris a marito diverterit ; *l. filiæ*, infr. *h. tit. l. ſi* † *filia*, ſupr. *de divort.* Si inter patrem puellæ, & generum covenerit, ut in matrimonio ſine liberis defuncta filia dos patri reſtituatur, ſi liberis ſuperſtitibus filia defuncta ſit, id actum inter contrahentes intelligitur, ut dos retineatur, id eſt remaneat apud maritum propter liberos ; *d. l. inter ſocerum*, §. *cum inter.* Pactum factum in caſum mortis, valet in caſum ingreſſus religionis ; *l. Deo nobis*, *C. de Epiſc. & cleric.*

§. *ſi poſt.*

SOluto matrimonio, vivo patre, dos profectitia non recte ſolvitur filiæ, & ea ſolutione non tollitur actio competens patri conſumpta dote, niſi fuerit juſta cauſa ſolvendi ; *l. quamvis*, ſupr. *h. tit. l. mutus*, §. *manente*, ſupr. *de jur. dot.* Divortio ſoluto matrimonio ſi filiaſ. ſine conſenſu patris, exactam communem dotem, id eſt cujus exactio communis erat patri & filiæ, conſumat, patri integra eſt actio de dote, ſi perdituræ ſoluta ſit, id eſt ſi maritus eam ſolverit filiæ ſciens eam perditum iri. Si non perdituræ ſoluta ſit, & ex juſtis cauſis, patri nulla ſupereſt actio, nec mortuo patre heredi ejus, nec mulieri, ex *h.* §. *l. unic.* §. *videamus*, *C. de rei uxor act.*

§. *ſi mulier.*

SI mulier ſoluto matrimonio egentem reum per novationem, id eſt novandi cauſa, dolo adverſarii decepta admiſerit, integra eſt ei dotis actio, ex *h.* §. Neque obſtat, quod delegatio pro ſolutione eſt, & maritus per delegationem liberatur ; *l. inter cauſas*, §. *abeſſe*, ſupr. *mandat.* quia favore dotis mulieri deceptæ dolo delegantis ſalva eſt actio de dote. Non obſtat etiam *l. ſub prætextu*, *C. de tranſact.* ex qua ſi creditor dolo debitoris deceptus tranſegerit, datur ei actio de dolo, quia ipſo jure liberatio nulla non eſt. Tamen favore dotis, ſi mulier decepta inopem reum novandi cauſa admiſerit, integra eſt ei actio de dote, quia beneficium legis *Juliæ* de non alienando fundo dotali manet etiam poſt divortium, donec dos ſoluta ſit ; *l.* 12. *de fund. dotal.*

§. *ſi pater.*

MOrte viri, vel divortio ſoluto matrimonio, patri & filiæ communis eſt actio de dote : abſente filia patri datur actio de dote, præſtita cautione

de rato, ex *h.* §. & *l.* 2. *in fin.* ſupr. *h. tit. l. non ſolum*, §. *ſi de dote*; *de procur.* Si pater abſente filia dotem a ſe profectam exegerit omiſſa ſatisdatione de rato, & filia patri heres extiterit, vel teſtamento patris tantum ei legatum ſit, quantum eſſet in dote filiæ, denegatur actio dotis, & quod a patre datur compenſandum cum dote, ex *h.* §. Opponitur, quod in dubio legatum non præſumitur relictum animo compenſandi; *l. Titia*, §. † *qui dotale*, *de legat.* 2. *l. ſi compenſandi*, *C. de hered. inſtit.* ſed hoc verum eſt in voluntario debitore, quia legatum eſt mera liberalitas, animus compenſandi non præſumitur. Sed in neceſſario debitore, qualis eſt pater, qui dotem promiſit pro filia, ex officio paterno legatum præſumitur relictum animo compenſandi cum dote, pater potius ſe liberare quam donare velle præſumitur: legatum intelligitur relictum dotis nomine, ne duplici præſtatione heres oneretur; *l. fideicommiſſa*, §. *ſi quis decem*, *de legat.* 3. Jure *ff.* ſi legatum a marito uxori relictum eſſet, licet expreſſim non eſſet relictum animo compenſandi, alterutro, id eſt dote vel legato, eam eſſe contentam oportebat, propter edictum de alterutro. Sed ex conſtit. Juſtiniani, ſublato edicto de alterutro, legatum a marito uxori relictum, non intelligitur relictum animo compenſandi cum dote, niſi ſpecialiter expreſſum ſit; *l. unic.* §. † 3. *verſ. ſciendum*, *C. de rei uxor. act.* Cujac. † 13. *obſ.* 25.

† §. iſte deſideratur. v. *l.* 85. *eod. tit.* cum concor**dant.**

§. *ſi patri*.

ABſente patre propter condemnationem, propter quam patri in urbe eſſe non liceat, ubi dos petatur, puta propter inhoneſtam miſſionem e militia; *l.* 2. §. † *ignominiæ*, *de his qui not. infam.* vel propter relegationem e patria, cui interdictum eſt patria, & urbe abſtinere debet; *l.* 7. §. *conſtitutum*, *de interdict. & relegat.* filiæ datur actio de dote, adhibita cautione de rato, ex *h.* §. *l. in inſulam*, *in pr.* infr. *h. tit.* Calamitas patris non debet nocere filio; *l.* 5. §. *ingenui*, *de ſtat. hom. l. adoptivum*, §. *ult. de in jus voc.*

§. *eo autem*.

ACtio de dote communis eſt patri & filiæ, patri datur actio de dote non ſine conſenſu filiæ; *l.* 2. §. *ult.* ſupr. *h. tit.* patri agenti de dote filiam conſentire oportet tempore litis conteſtatæ, pater tamen ſolus agit; *gloſſ. in l. & heredi*, §. *filiaſ. de pact.* Quod ſi filia, quæ ſemel dixit ſe conſentire, ante litem conteſtatam mutaverit voluntatem, vel etiam emancipata ſit, fruſtra pater agit: in judicialibus licet pœnitere ante litem conteſtatam; *l. ſi convenerit*, *de juriſdict. l. is qui ſe*, *de rei vindicat. l. quamvis*, *de in jus voc.* quia ante litem conteſtatam res eſt integra: litis conteſtatio eſt initium litis; *l. amplius*, *rem rat. haber.* Ante litem conteſtatam procurator nuda voluntate revocatur; *l. ante litem*, *de procurator. l. ſi ante*, *judic. ſolv.* Cujac. 3. *obſ.* 16. Faber, 4. *conject.* 9.

§. *nec non*.

PAtri & filiæ communis eſt actio de dote, ita ut patri detur actio de dote non ſine conſenſu filiæ; *l.* 2. ſupr. *h. tit.* interdum cauſa cognita patri denegatur actio de dote, ſi tam turpis ſit perſona, ut verendum ſit, ne acceptam dotem conſumat: ideoque officium judicis interponendum eſt, ut filiæ & patri conſulatur. Sed ſi latitet filia, ne tali patri conſentire cogatur, patri quidem datur actio, ſed cauſa cognita. Quid enim filia ſi verecunde per abſentiam patri contradicat, id eſt ſi non contradicat palam coram patre propter verecundiam, id eſt propter reverentiam patris, ſed per abſentiam, id eſt abſens per libellum? Conſentire non videtur, qui verecundia non contradicit; *l. ſi quis cum*

ſum ſciret, *de furt. l. cum † vero*, *§. apparet*, *de fideic. libert.* Hoc caſu patri non eſt danda actio de dote: quod ſi pater is ſit, cui omnino conſentire filiam decet, id eſt vitæ probatæ, & bonæ frugi, filia levis mulier, vel admodum juvenis. (Quæ nota eſt loquendi formula, ut in *l. 3. §. 1. de ſepulcr. violat.* admodum impuberes. Tacit. 4. annal. de L. Antonino, dixit: *admodum adoleſcentulum*. Idem lib. 1. annal. *Marcellum admodum adoleſcentem*, dixit Pontificem & ædilem curulem factum; Frontin. ſtrateg. lib. 4. *P. Scipio adoleſcens admodum*. Mulieres admodum inſulſæ; Plaut. in Pœnulo.) Vel nimia circa maritum non merentem, id eſt nimis affecta in maritum, potius eſt patri a prætore dari actionem.

§. *ſi maritus*.

FUror impedit matrimonium contrahendum, ſed non diſſolvit contractum, ut *hic*, *& l. patre furioſo*, ſupr. *de his qui ſui vel alien. jur. ſunt. l.* † *conſenſu*, *C. de repud.* quid enim tam humanum, quam fortuitis caſibus mulieris virum vel uxorem viri participem eſſe? niſi furor ſit non ferendus, ita ut nullius culpa videatur diſſolvi matrimonium, neque in damnum alterutra pars incidat, id eſt vitetur pœna legitima, quæ eſt amiſſio dotis vel rerum propter nuptias donatarum, † ex *h. §.*

† V. ſi probat. Et adde *l. 16. §. ult. de rit. nupt. l. 4. de divort. l. 8. de ſponſal.*

§. *ſin autem*.

SI maritus uxore furioſa matrimonium dolo dirimere nolit, ſed uxori alimenta & curam non præſtet, tunc compellitur officio judicis, petente curatore, vel cognatis furioſæ, pro dotis modo alimenta præſtare: immo etſi nulla dos ſit tenetur alere, & ſumptus factos in eam rem repetere non poteſt, ſed affectioni ſuæ debet expenſas ferre; *l. quod ſi nulla*, *de religioſis*, *l. verbo victus*, *de V. S. l. quod in uxorem*, *C. de negot. geſt.* Conſtante matrimonio dos repeti non poteſt, niſi ex juſtis cauſis. Quod ſi maritus conſtante matrimonio dotem profliget, tunc dotem ſequeſtrari oportet, id eſt dotem apud ſequeſtrum deponi, ut ex ea competens ſolatium mulieri & familiæ ejus præſtetur, ex *h. §.* Sequeſtrationis uſus in quibuſdam cauſis moribus receptus; *l. Imperatores*, *§. ult. de appellat.*

§. *item pater*.

SI maritus uxori furioſæ non præſtet alimenta, tunc curatori furioſæ, vel cognatis datur actio de præſtandis alimentis, nec ſoli curatori miſſo furioſæ, ſed & patri furioſæ datur actio, ut dos reddatur, nuntio divortii miſſo, ut *hic*, *& l. Julianus*, ſupr. *de divort.* quia pater eſt vice curatoris & plus quam curator. Paterna pietas ſemper optimum conſilium capit pro liberis; *l. nec in ea lege*, *§. ult. ad leg. Jul. de adulter.*

§. *ſi ſoluto*, † §. *idem decernendum*.

SOluto matrimonio filiæ, ſi pater ſit furioſus, curatori patris datur actio de dote, aut ſi curatoris copia non ſit, filiæ datur actio de dote, ita ut caveat de rato: idem dicendum ſi pater ſit captus ab hoſtibus, filiæ datur actio de dote.

§. *transgrediamur*.

† V. ſi facit. Et adde *l. 11. §. 5. de pign. act. l. 49. 54. 56. 64. & 66. de ſolut.*

SOluto matrimonio dotis actio competit adverſus maritum, ſive ipſi dos data ſit, ſive alii juſſu ejus: nihil refert mihi an alii ſolvatur juſſu meo; *l.* † *etiam ſi*, *C. de jur. dot. l. nihil*, *C. de ſolut.* Sed ſi maritus ſit in poteſtate patris, & dos ſocero data ſit, dotis actio datur adverſus ſocerum: plane ſi dos filio data ſit, ſi quidem juſſu ſoceri, adhuc actio datur adverſus ſocerum: quod

Digitized by Google

ſi dos filio data ſit ſine juſſu patris, nihilominus cum patre agi oportet: dos enim videtur perveniſſe ad eum, penes quem eſt peculium, id eſt dominium peculii, ut *hic*, & *l. ſi filio familias*, † *in pr. inſtr. h. tit. l. ſi filio nupta*, ſupr. *famil. erciſc.* ad hoc ut damnetur quatenus eſt in peculio, vel quatenus verſum eſt in rem patris *; l. 3. §. proinde, de in rem verſ. l. tam ex contractibus, de judic.* Quod ſi ſocero dos data ſit, in maritum non datur actio de dote, niſi patri heres extiterit.

§. *ult.*

SI mulier per errorem nupſerit ſervo quaſi libero, non eſt dos neque matrimonium, quia inter ſervos non eſt matrimonium, ſed contubernium, & quod datum eſt dotis nomine non repetitur actione de dote, ſed condictione ob cauſam dati cauſa non ſecuta, quæ eſt privilegiaria inter perſonales actiones, id eſt inter chirographarios creditores, datur ei actio de peculio in dominum ſervi: in actione de peculio mulier non præfertur domino ſi quid ei debetur: pater vel dominus conventus actione de peculio, ante omnia deducit quod ſibi debetur *; l. depoſiti, §. ult. de pecul.* Mulier in actione de dote vel quaſi dote non præfertur domino, ſi quid ei debetur in cauſa peculii; niſi in his tantum rebus, quæ in dotem datæ ſunt, vel ex dote comparatæ quaſi & hæ dotales ſint: mulier in repetenda quaſi dote præfertur ceteris creditoribus chirographariis, ut *hic*, & *l. quæſitum, §. ult. & ll. ſeqq. de reb. auctor. judic. poſſid. l. ſi ſponſa, de jur. dot. l. ſi ignorans, C.* † *h. tit. l. circa, de adm. tutor.* Quod ſi mulier virum deceperit, caret privilegio *; l. a divo Pio, de rit. nupt. l. pen. §. ult. quod falſ. tutor. geſt. eſſe dicat.*

L. 23.

SI mulier per errorem nupſerit ſervo quaſi libero, non eſt dos neque matrimonium, tamen mulier quaſi privilegium habet in dote vel quaſi dote repetenda; §. *prox.* ſupr. & ſi quid in eam dotem impenſum eſt, per retentionem ſervabitur, oppoſita exceptione doli mali. In vera dote ob impenſas, quæ ipſo jure minuunt dotem, id eſt ob impenſas neceſſarias, datur retentio dotis, impenſæ neceſſariæ ſervantur per retentionem dotis, quaſi pignoris vice *; l. dote*, inſtr. *de dote prælegat. l. dote, de rit. nuptiar. l. unic. §.* † *taceat, verſ. cum enim neceſſariæ, C. de rei uxor. act.*

L. 24.

COnſtante matrimonio dos uxori reddi non poteſt, quia dotis repræſentatio ſpecies eſt donationis *; l. unic. C. ſi conſtant. matrimonio.* Excipiuntur nonnulli caſus. I. Conſtante matrimonio dos uxori reddi poteſt, ut ſe ſuoſque alat *; l. mutus, §. 1.* ſupr. *de jur. dot.* II. Marito vergente ad inopiam, ut *hic*, & *l. ſervum dotalem*, inſtr. *de manumiſſ. l. ubi adhuc, C. de jur. dot.* Idem in ſocero dicendum eſt quod in marito, ſi dotis actione conveniatur, quia eadem ratio verſatur. Quod ſi maritus profliget dotem mulieris furioſæ, dos ſequeſtranda eſt *; l. ſi cum dotem, §. ſin autem*, ſupr. *h. tit.* ut conſulatur mulieri, cui dos tuto reddi non poteſt.

§. *ſi exheredato.*

COnſtante matrimonio dos ab uxore repeti poteſt marito vergente ad inopiam, ex *init. h. l.* puta marito exheredato. Et dotis actio incipit a die aditæ hereditatis patris. Ante aditam hereditatem non datur actio de dote, quia

Digitized by Google

quia exheredatio nullius eſt momenti, niſi adeatur hereditas ex teſtamento; *l. filium*, † *in pr. verſ. ſed cum exheredatio*, *de bonor. poſſeſſ. contr. tab.*

§. *quotiens* † §. *ſive*.

COnſtante matrimonio maritus non tenetur ſatisdare de dote reddenda; *l.* 1. *& 2. C. ne fidejuſſ. dot. dent.* Divortio ſoluto matrimonio ſi maritus paciſcatur de dote ſolvenda poſt certum tempus datis fidejuſſoribus, tenetur ex pacto ſatisdare ſe dotem ſoluturum ſua die, vel etiam tenetur ex juſta cauſa ſatisdare de dote ſolvenda ſua die, puta ſi labatur facultatibus. In omnibus bonæ fidei judiciis ex juſta cauſa ante diem præſtandæ pecuniæ, præſtatur cautio de ſolvenda pecunia cum dies venerit; *l. in omnibus*, *de judic.* Quoties maritus ex juſta cauſa vel ex pacto tenetur ſatisdare de ſolvenda dote poſt diem, ſi fidejuſſorem dare non poſſit, compellitur officio judicis reſiduum repræſentare deducto commodo medii temporis, id eſt deducto interuſurio, deductis uſuris medii temporis, nec auditur mulier ſi malit pati dilationem, quam in repræſentatione deductionem commodi medii temporis, quia hoc ſtatuitur officio judicis, ut conſulatur ſecuritati dotis. Immo ſi cum maritus ſatisdare poſſet, nollet, condemnatur ſtatim in ſolidum, id eſt damnatur integram dotem præſtare, non habita ratione commodi medii temporis, in pœnam contumaciæ, † ex *h. §. quotiens*. Similiter ſi pater heres inſtitutus, & rogatus poſt diem hereditatem reſtituere filio, profligет fideicommiſſum, cogitur id repræſentare filio deducto commodo medii temporis; *l. Imperator*, *ad Trebell.* Sive autem mariti, ſive uxoris periculo dos ſit, id eſt ſive dos æſtimata ſive inæſtimata ſit, ſoluto matrimonio maritus tenetur eam ſolvere legitimo tempore, ex † *h. §. ſive*, id eſt annua, bima, trima die, tribus penſionibus, vel hodie intra annum ſi dos conſiſtat in pecunia, ex conſtit. Juſtiniani, *l. unic.* §. † 7. *verſ. exactio*, *C. de rei uxor. act.*

§. *ſi vir*.

MAritus poteſt manumittere ſervos dotales, ſi ſit ſolvendo, ut *hic*, *& l. dotalem*, infr. *h. tit. l. ſervum dotalem*, *de manumiſſ.* Si vir ſervos dotales manumiſerit voluntate mulieris, ſi mulier conſenſit manumiſſioni ſervorum dotalium, animo donandi viro, ſoluto matrimonio vir uxori non tenetur actione de dote præſtare æſtimationem ſervorum dotalium, nec tenetur de operis libertatis cauſa impoſitis ei præſtandis, id eſt de mercedibus operarum, quas in manumiſſione libertatis cauſa impoſuit, quia talis donatio ſervorum manumittendi cauſa valuit inter virum & uxorem, favore libertatis; *l. dotalem*, *cum tribus ſeqq.* infr. *h. tit. l. quod autem*, *§. ult. & dd. ll. ſeqq. de don. int. vir. & uxor. l. maritus*, *C. eod.* Quod ſi negotium inter virum & uxorem geſtum eſt, id eſt ſi convenerit inter conjuges, ut quidquid vir conſecutus ſit ex bonis liberti, vel ex obligatione, id eſt operis libertatis cauſa impoſitis, redderet ſoluto matrimonio, officio judicis tenetur cavere, ſe reſtituturum mulieri quidquid ad eum pervenerit ex bonis liberti, puta ex ſucceſſione liberti inteſtati ſine liberis, aut ex obligatione ſeu pacto operarum; *l. ſi vero*, *h. tit.* Simile eſt in *l. ſi quis ſervum*, *de act. empt. & l.* 1. *C. de ſerv. pign. dat. manum.* Alias de aliena hereditate paciſci non licet; *l. ult. C. de pact.* Valet hæc pactio de hereditate liberti, quia juſta eſt cauſa paciſcentium, quæ nullam omnem ſuſpicionem adimit.

§. † *ſi maritus*.

IN rebus dotalibus maritus præſtat dolum & culpam, id eſt negligentiam, & diligentiam, quam rebus ſuis adhibere ſolet; *l. in rebus*, ſupr. *de jur. dot.* Si maritus ſæviat in ſervos dotales, ſi tantum ſævus fuerit in ſervos uxoris, id eſt dotales, & in ſuos mitior fuerit, tenetur hoc nomine: ſi vero & in ſuos eſt naturalis, id eſt natura ſævus, ſi ſupra modum ſæviat tenetur hoc nomine: quamvis enim in rebus dotalibus præſtet tantum diligentiam, quam rebus ſuis adhibere ſolet, attamen ſævitia, quæ in propriis culpanda eſt, in alienis coercenda eſt, hoc eſt in dotalibus, ex *h.* §. Idem in depoſitario, præſtat diligentiam, quam ſui rebus adhibet; *l. quod Nerva*, *depoſit.* Res dotales ſunt in bonis mariti conſtante matrimonio; *l. quamvis*, ſupr. *de jur. dot. l. Lucius*, §. *item reſpondit conſtante matrimonio*, *ad municipal.* quia dos datur marito ad ſuſtinenda onera matrimonii: inſpecto exitu ſunt mulieris, quia ſoluto matrimonio dos redit ad mulierem, & hoc reſpectu maritus tenetur de ſævitia in alienis ſervis, hoc eſt dotalibus, ex *h.* §.

§. *ſi uxor*.

SI uxor invito & prohibente viro rem ejus commodaverit, † eaque perierit, ſoluto matrimonio, in judicio de dote ejus rei compenſatio, & deductio fit: ſi non prohibente viro, id eſt ſciente, & non contradicente, officio judicis mulieri datur modicum tempus, & indulgetur cautionem præbenti, id eſt ſatisdatione præſtita, ſe rem reſtituturam. Hodie nulla compenſatio opponi poteſt ad morandam actionem dotis; *l. unic.* §. *taceat*, *C. de rei uxor. act.*

§. *ult.*

BOnis mulieris pro parte publicatis, puta ob delictum mulieris perpetratum ante contractum matrimonium, ſoluto matrimonio mulieri ſupereſt reliquæ dotis exactio: immo etſi dos pro parte publicata ſit, poſt litem conteſtatam, actione de dote arbitrio judicis condemnatio fit pro parte reliqua: & ſi tota dos publicata, judicium expirat, id eſt judicium de dote ſolvitur, & maritus abſolvitur ab obſervatione judicii in rem; *l. ſi in rem actum ſit*, *de rei vindic. l. ſi petitor*, *de judic.* ſi dos pro parte publicata ſit, pro parte poſt litem conteſtatam judicio de dote ſufficit arbitrium judicis ad partem condemnationis faciendam, id eſt non eſt opus novo judicio, novo judice: videtur dote, de qua agebatur, publicata pro parte ſolutum judicium, cui judex addictus eſt, ſed officium judicis ſupereſt in parte non publicata. Judex addictus judicio dotis recuperandæ, non deſinit eſſe judex in parte quæ ſupereſt. Dos mulieris publicatur ob commiſſa delicta, puta majeſtatis & alia; *l.* 3. *& ſeqq. de bon. damnat.*

L. 25.

SI filiof. dos data ſit injuſſu patris, pater ſi conveniatur actione de dote, tenetur quatenus eſt in peculio duntaxat, peculium augetur ex eo quod pater habet actionem ex perſona filii ob impenſas factas a filio in res dotales, vel res donatas a filio uxori, vel ob res amotas ab uxore. Nam in peculio ſunt, non tantum res corporales, ſed & nomina debitorum; *l.* 7. §. *in peculio*, *de pecul.* Et ſi totum eſt præſtandum mulieri quod eſt in peculio, quia adhuc ſit quod uxori debeatur, pater non tenetur in ſolidum, ſed quatenus eſt in peculio. Sed ſi peculium non ſufficiat, totum quod eſt in peculio præſtandum eſt.

§. *ma-*

Digitized by Google

§. *maritum*.

MAritus in rebus dotalibus ſervandis præſtat dolum & culpam, id eſt negligentiam; *l. etiam*, §. 1. ſupr. *l. pen. in pr.* infr. *h. tit.* ubi adfertur elegans exemplum de Licinia uxore Gracchi, cujus res dotales perierunt in ſeditione, qua Gracchus occiſus eſt, quas res, conſultus P. Mutius reſpondit, Liciniæ præſtari oportere, quod Gracchi culpa ſeditio commota eſſet. Maritus in judicio de dote de dolo malo & culpa cavere debet: quod ſi dolo fecerit quominus reſtituere poſſit, damnatur quanti mulier in litem juraverit, id eſt tenetur præſtare æſtimationem litis jurejurando actoris, ut in judicio vindicationis; *l. qui reſtituere*, *de rei vindic.* In judiciis bonæ fidei & arbitrariis juratur in litem; *l. in actionibus*, *de in lit. jur.* Si dos data ſit filiof. injuſſu patris, pater non tenetur in ſolidum, ſed de peculio dumtaxat: quod ſi dolo patris capta fraudatave eſt mulier, tenetur in ſolidum; *l. 5. in pr. l. in bonæ fidei*, *de pecul. l. 1. §. filiumf. depoſit.*

§. *ſi poſt divortium*.

SI poſt divortium res dotales perierint, vel deteriores factæ ſint, poſt moram mariti in reddenda dote, maritus omnimodo præſtat periculum rei, ex *h.* §. quod ſervatur in omnibus bonæ fidei judiciis, ut periculum rei peremptæ poſt moram pertineat ad reum; *l. ſi duo*, §. *ult. l. promiſſor*, *de conſtit. pecun. l. venditor 21. de hered. vendit. l. cum res*, §. *ult. de legat.* 1. *l. ſi ex legati cauſa*, *de V. O.* Poſt moram etiam ſi res perierint ſine dolo & culpa debitoris, omnimodo periculum ſpectat ad reum: mora enim non eſt ſine dolo, dolo facere videtur, qui cum haberet copiam reſtituendi non reſtituit; *l. in bonæ fidei*, *in fin. de pecul.*

§. *ſi* † *qui*.

SOluto matrimonio, ſi qui ſervorum dotalium ſint in fuga, maritus debet cavere de ſervis perſequendis, & ſi eos receperit reſtituendis, quia maritus non præſtat fugam ſervorum dotalium, qui cuſtodiri non ſolebant: fuga ſervorum, qui cuſtodiri non ſolebant, numeratur inter caſus fortuitos; *l. ſi a bona fidei*, *de rei vindic. l. in rebus*, *commodat. l. contractus*, *de R. J.* In aliis actionibus obſervatur eadem cautio de ſervo, qui eſt in fuga, perſequendo, vel de re perſequenda; *l. item ſi cum*, §. † *quid ſi homo*, ſupr. *quod met. cauſ. l. ſervo legato*, §. *ult. de legat.* 1.

§. *ult.*

SI vir fundum locaverit in quinquennium, ut plerumque fiebat; *l.* 4. §. *pen. de reb. credit. l. qui per colluſionem*, *de act. empt.* & poſt primum annum locationis, divortio ſolutum ſit matrimonium, mulier non tenetur ſtare locationi factæ a marito: verum mulieri agenti de dote repetenda, non aliter fundum dotalem reſtituere tenetur maritus, quam ſi caverit, ſi quid poſt unius anni locationem maritus damnatus ſit, id ſe marito præſtitum iri, ex *h.* §. Eadem ratione ſi mulier ſoluto matrimonio agat de dote, debet cavere marito, ſe indemnem eum præſtaturum adverſus vicinum, cui maritus cavit de damno infecto; *l. cum mulier* 55. infr. *h. tit.* E diverſo mulieri cavere debet maritus, quidquid præter primum annum ex locatione conſecutus fuerit, id eſt mercedes ſequentium annorum, ſe ei reſtituturum. Eodem modo emptor fundi non tenetur ſtare locationi factæ a venditore, ſed venditor conductori tenetur ex conducto in id quod intereſt locatione perfrui; *l. ſi merces*, §. 1. ſupr. *locat. l.*

Digitized by Google

emptorem, *C. eod. l. arbores*, §. 1. *de uſufruct.* exemplo venditionis conſtituto uſufructu, fructuarius poteſt colonum expellere, niſi id ſpecialiter fuerit exceptum *; d. l. arbores*, §. 1.

L. 26.

MOra purgatur oblatione rei vel pecuniæ debitæ re integra, ex *h. l. & l. interdum*, §. *ult. l. ſi ſervum*, §. *ſequitur*, *de V. O. l. qui* † *decem*, *in pr. &* §. 1. *de ſolut. l. ſed & ſi alia*, *de conſtit. pecun.* Semel facta mora in reſtituendo ſervo dotali, ſoluto matrimonio, ſi ſervum dotalem poſtea offerente marito, accipere noluerit mulier, & is ita deceſſerit ſine culpa mariti ſuo fato, maritus heresve ejus pretium, id eſt æſtimationem ſervi, præſtare non debet, ne damnum ſentiat maritus, quod poſtea offerente eo ſervum dotalem mulier accipere noluit. Ubi uterque moram fecit, creditor & debitor, mora noviſſima, mora poſterior nocet *; l. illud*, *de peric. & commod. rei vendit. l.* † *ſi & per emptorem*, *de act. empt. l. debitor*, *de uſur.* Alias ſi ſemel maritus moram fecerit in reddendo ſervo dotali, & poſtea ſervus dotalis moriatur ſuo fato, non purgata mora, periculum pertinet ad maritum *; l. prox.* §. *ſi poſt*, ſupr.

L. 27.

SI poſt divortium mortua muliere, heres ejus cum viro parenteve ejus agat de dote repetenda, eadem videntur de reſtituenda dote intervenire, quæ ipſa muliere agente obſervari ſolent, id eſt ut maritus vel ſocer damnetur de dote in id tantum quod facere poteſt *; l. rei judicatæ*, *in fin.* ſupr. *h. tit. l. ſicut*, infr. *de re judicat.* & ut priusquam dos ſolvatur, fundus dotalis alienari non poſſit *; l. dotale*, §. *heredi*, *de fund. dotal.*

L. 28.

MAritus de dote dumtaxat tenetur in id quod facere poteſt: facere poſſe videtur maritus, etiam in id quod a muliere conſequi poteſt, puta ſi jam ei aliquid abſit, ob impenſas in res dotales, vel ob pecuniam mandato mulieris ſolutam. Cum quæritur, an maritus facere poſſit, ſpectatur non tantum quod maritus poſſidet, ſed etiam quod conſequi poteſt aliqua actione, puta nomina & actiones *; l. ſi maritus in id*, infr. *h. tit.* Rem in bonis habere videtur, qui habet actionem ad rem adipiſcendam vel recuperandam *; l. rem in bonis*, *de adqu. rer. dom.* Ceterum ſi nondum ei abeſt, puta ſi ſub conditione ſit obligatus, nondum videtur facere poſſe, ex *h. l.* quia expectandus eſt eventus conditionis, ut ſciatur an debeat: quod debetur ſub conditione, nondum debetur *; l. is cui*, *de oblig. & act.* Et abeſſe videtur in quo quis pure obligatus eſt *; l. ſi quis mandatu*, *de negot. geſt.*

L. 29.

PAtri & filiæ communis eſt actio de dote repetenda *; l.* 2. 3. ſupr. *h. tit.* niſi pater in traditione dotis ſtipuletur ſibi dotem reddi, vel in continenti: ſi pater in dote danda, vel in continenti ſtipuletur ſibi dotem reddi, ſolus poteſt agere de dote ſine filia, in ſuam perſonam de dote actionem transfert ſtipulatione adhibita in traditione dotis, vel in continenti, ut *hic*, *& l. cum a ſocero*, *C. de jur. dot.* Ceterum ſi ex intervallo ſtipuletur ſibi dotem reddi, ſtipulatio non valet, niſi facta ſit conſentiente filia, quamvis in poteſtate ſit, quia dotis conditio pactis deterior fieri non poteſt, niſi filia conſentiat. Plane ſi pater ante nuptias dotem dederit, poteſt ſtipulari ex intervallo, ante nuptias con-

contra voluntatem quoque filiæ dotem ſibi reddi , quia videtur ſtipulatus ab initio , cum ſtipuletur ante nuptias re integra , quia dos confertur in tempus nuptiarum . Cum pater dotem dat pro filia abſque ſtipulatione , actionem de dote repetenda abſque ſtipulatione in perſonam ſuam non transfert : mater ſolo pacto ; *l. avia*, *C. de jur. dot.* Ratio diverſitatis eſt , quia neceſſaria eſt dotis datio, quæ fit a patre , non voluntaria . Officium patris eſt dotare filiam ; *l. qui liberos* , *al. l. 19. de rit. nuptiar.*

§. *ſi quis*.

SI quis pro muliere dotem dederit , & convenerit , ut quoquo modo, id eſt morte vel divortio ſoluto matrimonio dos ipſi redderetur , & poſtea divortio ſoluto matrimonio , maritus uxori dotem dederit , id eſt reddiderit , nihilominus ei, qui dotem dedit, datur actio de dote contra maritum ; quia quilibet poteſt legem dicere rei ſuæ ; *l. ob res*, §. *1. de pact. dotalib.* Si maritus ſocero dotem ſolverit ignorante filia , non liberatur , & poteſt condicere ſolutum condictione indebiti ; *l. qui hominem* , §. *ſi gener* , *de ſolut.*

L. 30.

DIvortio ſoluto matrimonio , ſi mulier alteri nupſerit , non prohibetur dotem repetere a priore viro actione de dote . Ratio dubitandi erat , cauſa repetendæ dotis ceſſare videbatur , poſtquam mulier alii nupſiſſet , quia reip. intereſt mulieres dotes ſalvas habere , propter quas nubere poſſint ; *l. 2. de jur. dot.* At ratio publicæ utilitatis ceſſat in muliere ſecundo nupta , quæ virum invenit : ſed dotis actio ſupereſt mulieri, etiam ſecundo nuptæ , ne ſit indotata , quia virum invenit ſpe dotis, cujus nomine actionem habebat .

§. *quoties*.

MAritus ſoluto matrimonio dotem reſtituere cogitur, ſi culpa ſua id eſt negligentia eam non exegerit ; *l. ſi extraneus* , ſupr. *de jur. dot.* Quod ſi culpa viri acciderit , ne dos a ſocero vel quolibet alio debitore exigeretur , ſi in matrimonio filia deceſſerit , aut materſ. eum , qui dotem promiſerat , heredem inſtituerit , nihil amplius præſtare debet, quam ut eum obligatione liberet , per acceptilationem ſc. nec enim poteſt quis objicere culpam , ex qua lucrum ſentit ; *l. cum in fundo* , §. † 2. ſupr. *de jur. dot.*

L. 31.

SI marito publico judicio damnato , pars bonorum ejus publicata ſit, fiſcus tenetur creditoribus ejus , quos inter uxor eſt dotis cauſa , pro ea parte , ex *h. l.* quia fiſcus ſuccedit cum ſua cauſa , & onere ; *l. 2. C. h. tit. l. ſi quis poſthac* , *C. de bon. proſcript. l. tutoris* , *C. ad leg. Jul. de vi public.* Fiſcus cum in locum privati ſuccedit, jure privati utitur ; *l. cum quidam* , §. *fiſcus* , ſupr. *de uſur.*

§. *ſi pater*.

SI pater ducentis filiæ dotis nomine promiſſis , pactus ſit , ne amplius quam centum a ſe petantur , & ſoluto matrimonio egerit de tota dote repetenda, centum , de quibus convenit, ne peterentur , non intelliguntur dotis eſſe : quod ſi mortuo patre cum herede ejus maritus agere cœperit , iſta quoque pecunia , id eſt tota ducenta , in dote erunt . Pactum , ne a ſe dos petatur , eſt perſonale ,

Digitized by Google

nec prodeſt heredi ; *l. cum pater*, *l. ob res*, *§.* † 2. *de pact. dotalib. l. ſi tibi* † *decem*, *§. ſi quis paciſcatur*, *de pact.*

§. ſi voluntate.

SI voluntate filiæ procurator a patre datus, litem de dote conteſtatus ſit, & re ſecundum eum judicata, (ſententia ſc. concipiebatur in perſonam procuratoris ; *l.* 1. *C. de ſentent. & interlocut.* quia procurator lite conteſtata fit dominus litis ; *l. procuratoribus*, *C. de procur.*) re, inquam, ſecundum procuratorem judicata, pater deceſſerit, judicati actio filiæ potius datur, quam heredibus patris, ex *h.* §. quia dotis actio, quæ erat communis patri & filiæ patre ſuperſtite, eo mortuo fit propria filiæ, & actio judicati accedit actioni de dote, nec ita eam novat, ut perimat ; *l. aliam*, infr. *de novat.* quia res in eum caſum recidit, a quo incipere potuit, ex quo mortuo patre actio de dote ſoli filiæ datur. Conſtit. Juſtiniani actio de dote, quæ communis eſt patri & filiæ, mortuo patre, ad filiam tranſit in ſolidum, ejuſque propria efficitur ; *l. unic. §. videamus*, *§. & hoc*, *C. de rei uxor. act.*

§. † *cum patri.*

SI patri dos data eſſet, maritus non tenetur de dote mulieri, niſi quatenus patri heres extiterit ; *l. ſi cum dotem*, *§. transgrediamur*, ſupr. *h. tit.* Si patri dos data ſit, & filius ex parte heres ſub conditione inſtitutus fuerit, adjectis coheredibus pure inſtitutis, & pendente conditione coheredes ejus pro partibus ſuis mulieri dotem ſolverint, hoc minus filius, exiſtente conditione ſc. ex dote præſtare debet, quoniam nullam actionem habet adverſus coheredes pecuniæ recuperandæ cauſa, quia ſolvit ut heres ex parte exiſtente conditione ; *l. ſi maritus*, *famil. erciſc.*

§. ult.

DIvortio ſoluto matrimonio, ſi mulier per errorem fundum dotalem receperit, non habita ratione fructuum pro parte anni, quo matrimonium non ſtetit, nihilominus de dote agere poteſt, id eſt fructus repetere poteſt actione de dote, quia eo minorem dote recepit. Fructus percepti a marito poſt divortium augent dotem, & veniunt repetendi actione de dote, non tamquam fructus & acceſſiones, ſed tamquam pars fundi : Idem dicendum eſt ſi mulier partus ancillarum dotalium non receperit, aut legata vel hereditates, quæ poſt divortium per ſervos dotales marito quæſitæ eſſent, hæc omnia veniunt in actione dotis, quaſi augmenta dotis ; Cujac. † 14. *obſ.* 22. & 25. *obſ.* 36.

L. 32.

MAritus divortio ſoluto matrimonio, ſi conveniatur de dote, tenetur dumtaxat in id quod facere poteſt ; *l. maritum*, ſupr. *h. tit. l.* † *Mævio*, *§. a me*, *de legat.* 2. Divortio facto, ſi nondum repetita dote mulier nupſerit alteri, & prior maritus poſteriori, tamquam debitor mulieris dotem ex priori matrimonio debitam promiſerit, non in amplius tenetur, quam in id quod facere poteſt, quia ſecundo non tenetur in amplius, quam mulieri ſi ageret de dote.

† V. ſi facit. Et adde *l.* 53. *h. tit. l.* 49. *de re judic.* cum concord.

L. 33.

MUlier marito ſtipulante dotem promiſit, & in continenti Titium adhibuit, qui ſtipularetur partem dotis ſoluto matrimonio ſibi reddi : ea nulla

In dote data deceſſit, marito herede inſtituto: maritus damnoſam hereditatem adiit: quamvis hereditas ſolvendo non ſit, maritus Titio tenetur in ſolidum ex ſtipulatione, quia adeundo hereditatem mulieris, intelligitur ipſe ſibi dotem ſolviſſe, & ſecum compenſaſſe eam cum hereditate, ut *hic*, *& l. Stichum*, §. *aditio*, inſt. *de ſolut. l. debitori*, *de fidejuſſ. l. cum a matre*, C. *de rei vindicat.* qua ratione non tantum Titio tenetur in ſolidum, ſed etiam ceteris creditoribus hereditariis, quia hereditas ſolvendo eſſe intelligitur, quæ heredem invenit; *l. 3. ad leg. falcid. l. libertus qui*, *de bon. libert.* qui adiit hereditatem, obligatur quaſi ex contractu; *l.* † *ſi quis abſentis*, §. *heres*, *de oblig. & act.* & tenetur creditoribus etiam ſi nihil eſſet in hereditate.

L. 34.

MOrte viri vel divortio ſoluto matrimonio, patri & filiæ communis eſt actio de dote. Si filia in poteſtate patris ſit, patri competit actio de dote adjuncta perſona filiæ, ut *hic*, *& l. 2.* §. *quod ſi in patris*, ſupr. *h. tit. l. filiæ*, C. *h. tit. l. unic.* §. *videamus*, C. *de rei uxor. act. l. pater filiam*, *ad l. falcid.* Si filia ſit ſui juris, ſoli filiæ competit repetitio dotis; *l. in inſulam*, infr. *h. tit. l. ſi cum dotem*, §. *eo autem tempore*, † ſupr. *h. tit. d. l. unic.* §. *videamus*. Et hoc eſt quod ait *l. pater*, ſupr. *de evict.* uno caſu, ſi filia emancipata ſc. mortua ſit in matrimonio, dotem reverti ad patrem. Et eo pertinet quod dicitur in *hac l.* divortio facto, ſi pater filiam in poteſtate ſua eſſe dicat, & dotem ſibi reddi poſtulet, ipſa ſe matrem familias dicat, & ſola de dote agere velit, finge eam fuiſſe in poſſeſſione libertatis, ita demum patri non dari repetitionem dotis, niſi probet filiam in poteſtate ſua eſſe, & conſentire ſibi de dote agenti. Patri incumbit onus probandi filiam in poteſtate ſua eſſe, quia filia erat in poſſeſſione libertatis, ut materfamilias agebat. Si quis in poſſeſſione libertatis fuerit, is, qui agit, probare debet ſe dominum eſſe; *l. liberis*, §. *ult.* infr. *de liberal. cauſ. l.* † *non ideo*, *in fin.* C. *eod. l. ſi de poſſeſſione*, C. *de probat.* Soli filiæ competit etiam actio de dote, ſi pater vitæ ſuſpectæ ſit; *l. filiusf.* ſupr. *de procur.*

L. 35.

LEge *Julia & Papia* liberta, quæ nupſit patrono, eo invito non poteſt divertere ab eo, ex *h. l. & l. ult.* ſupr. *de divort.* niſi manumiſſa ſit ex cauſa fideicommiſſi; *l. pen. eod. tit. l. proxime*, *de rit. nupt.* Hoc jure liberta nupta patrono, quæ voluntate patroni ab eo diſceſſit, cum eo poteſt agere de dote ei data.

L. 36.

MAritus de dote tenetur in quantum facere poteſt, ſive conveniatur a muliere, vel herede ejus; *l. maritum*, *l. ſi poſt*, ſupr. *h. tit.* ſive a fiſco, qui ſucceſſit mulieri ex cauſa confiſcationis bonorum. (Quod evenit in caſu *l. 3. de bon. damnat.*) Si maritus minus facere poſſit, & dos mulieris publicata ſit, maritus fiſco condemnatur dumtaxat in quantum facere poteſt, ne in perniciem mariti mulier puniatur, ex *h. l.* Fiſcus ſuccedit ſemper cum ſua cauſa & onere; *l. ſi conſtante*, §. *ult.* ſupr. *h. tit. l. cum quidam*, §. *fiſcus*, *de uſur.*

L. 37.

PAtri datur actio de dote voluntate filiæ; *l. 2.* §. *quod ſi in patris*, ſupr. *h. tit.* Dotem voluntate filiæ patrem cepiſſe videtur, ex *h. l.* conſentire

videtur filia, ſi non contradicat; *d. l.* 2. §. *voluntatem*, vel contradicendi cauſam non habeat, maxime ſi poſtea a patre, ampliore ſumma dotata ſit. Dictio maxime eſt implicativa, includitque caſum etiam contrarium.

L. 38.

Titius filiusf. voluntate patris Mæviam uxorem duxit, & dotem pater accepit: Mævia Titio repudium miſit: mox pater abſente filio, ſponſalia cum ea nomine filii contraxit: ſoluto matrimonio culpa mulieris, quæritur ſi Mævia de dote agat cum Titio quondam marito, & a patre herede ſcripto, an poſſit maritus propter culpam mulieris, id eſt ob adulterium, (ſic vocabant veteres; Virg. 4. Æneid. (172.) *Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.*) † dotem retinere? Marcellus reſpondet, etiam ſi Titius ut heres inſtitutus a patre conveniatur, tamen ſi ſponſalibus a patre contractis non conſenſiſſet, culpam mulieris multandam eſſe, id eſt mulierem dote multandam eſſe, ob culpam, ob adulterium, ſi matrimonium culpa mulieris diſſolutum eſſet, niſi poſt divortium filius conſenſerit ſponſalibus a patre contractis, quia hoc caſu non poteſt queri de uxore, quam iterum ducendo probavit; *l. cum mulier*, infr. *h. tit. l.* † *ſi uxor*, §. *ult. ad l. Jul. de adulter.* ſi culpa uxoris matrimonium diſſolutum ſit, ea dotem amittit; *l. conſenſu*, §. 4. *C. de repud.* Redintegrato matrimonio vel ſponſalibus, prior culpa remiſſa intelligitur, & dos ſalva eſt mulieri.

L. 39.

Ob graviores mores, id eſt ob adulterium, mulier dotem amittit; *l. Lucius*, ſupr. *h. tit. l. conſenſu*, §. 4. *C. de repud.* Divortio ſoluto matrimonio mulier agebat de dote in maritum: maritus incuſabat mulierem adulterii, & eo nomine intendebat retinere dotem: mulier excuſabat delictum, dicens ſe lapſam lenocinio viri: judex pronunciavit utrumque dediſſe cauſam repudio: quæritur, quæ ſit vis & poteſtas hujus pronuntiationis? Papinianus reſpondet, utrumque teneri lege, id eſt lege *Julia* de adulteriis, & ea lege, quam ambo contempſerunt, neutrum vindicari, id eſt maritum non poſſe adulterii accuſare uxorem, cui lenocinio cauſam dedit. Paria enim delicta mutua compenſatione tolluntur, ut *hic*, & *l. ſi duo, de dol. l.* 2. *in fin. ne quis eum qui in jus voc. vi exim. l. ſi uxor*, §. *judex*, *ad l. Jul. de adulter.* Mutua delicta compenſantur, vel quaſi compenſantur inter virum & uxorem, quia ſi mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote † retinetur: cur enim improbet maritus mores, quos ipſe aut ante corrupit, aut poſtea diſſimulatione probavit? Ex ſententia *legis* hoc efficitur, ut maritus non poſſit uxorem accuſare adulterii, cui lenocinium præbuit; *l. cum mulier*, infr. *h. tit. l. ſi uxor*, §. *ult. ad leg. Jul. de adulter.* Hoc efficitur ex ſententia, non ex verbis legis, quia lege *Julia* tantum ſcriptum eſt, mulierem dotem amittere ob adulterium, nihil dictum eſt de exceptione lenocinii.

L. 40.

Pater, cum dotem dat pro filia, in traditione dotis, vel in continenti, ſine voluntate filiæ recte ſtipulatur ſibi dotem reddi ſoluto matrimonio: poſt dotem datam, & nuptias contractas, ex intervallo non recte ſtipulatur divortio facto dotem ſibi reddi ſine voluntate filiæ; *l. quotiens*, ſupr. *h. tit.* Si pater poſt dotem datam, & nuptias contractas, ſtipuletur voluntate filiæ divortio facto dotem ſibi reddi, hac conditione ſi filia ſine liberis deceſſerit, exiſtente conditionali ſtipulatione non eſt impediendus pater quominus agat ex ſtipula-

Digitized by Google

pulatu. Quod ſi viva filia agat ex ſtipulatione, exceptione ſubmovetur, quia actio de dote communis eſt patri & filiæ, & pater non poteſt agere de dote, niſi adjuncta perſona filiæ ; *l. 2. §. quod ſi in patris*, ſupr. *h. tit, l.* † *quod Servius, de condict. cauſ. dat.* Caſus ſtipulationis conditionalis, ſi filia ſine liberis deceſſerit, non trahitur ad alium caſum. Caſus omiſſus remanet in diſpoſitione juris communis ; *l. inter* † *ſocerum*, *§. cum inter, de pact. dotalib.*

† V. ſi facit. Et adde *l. 34. h. tit. l. 2. C. eod.*

L. 41.

SI pater poſt divortium filiæ ſolverit dotem promiſſam pro filia, ignorans divortium, non habet condictionem indebiti, non videtur indebitum ſolviſſe, dotem ſolvit ex cauſa promiſſionis, ſed habet actionem de dote, quia actio de dote communis eſt patri & filiæ ; *l. 2. §. quod ſi in patris*, ſupr. *h. tit.* & filiæ intereſt dotem repeti potius actione de dote, quæ eſt privilegiaria, quam condictione indebiti.

L. 42.

PAtre deportato ante divortium, hoc caſu dotis repetitio ſoli filiæ competit, non fiſco, ut *hic*, *&* *l. ſi cum dotem*, *§. ſi pater*, ſupr. *h. tit.* quia deportatus pro mortuo habetur ; *l. 1. §.* † *pen. de bonor. poſſ. contr. tab.* Poſt divortium filiæ, æque dotis actio mulieris eſt, ex *h. l.* quia dos eſt proprium patrimonium mulieris ; *l. 3. §. ergo etiam, de minorib.* Cujac. *6. obſ. 23. & 22. obſ. 14.*

§. fructus.

SI matrimonium cum ancilla per errorem contractum ſit, non eſt matrimonium, neque dos ; *l. cum ancillis, C. de inceſt. & inutilib. nupt.* Tamen fructus bona fide percepti ex dotis opinatæ prædiis, quæ erant quaſi in dote, & propter onera mulieris, ante cauſam liberalem, antequam quæſtio ſtatus ei moveretur conſumpti ſunt, quamvis poſtea ſervam eſſe conſtiterit, non repetuntur. Sumptus vero neceſſarii & utiles in quaſi dote facti, compenſatis fructibus perceptis, ad finem ſuperflui, id eſt quatenus excedunt fructus, ſervantur per retentionem oppoſita exceptione doli, ut fit ab alio quolibet bonæ fidei poſſeſſore ; *l. ſumptus*, *l. emptor, de rei vindicat.* Ubi verum juſtumque eſt matrimonium, maritus fructus lucratur propter onera matrimonii ; *l. pro oneribus, C. de jur. dot.* Sumptus neceſſarii & utiles in res dotales facti non compenſantur cum fructibus, ſed eos omnino repetit maritus ab uxore ; *l. fructus, §.* † *impendi*, ſupr. *h. tit.*

§. uſuras.

PAter pro filia genero centum promiſit dotis nomine, numeravit autem partem, & ſtipulatus eſt mortua in matrimonio filia eam partem dotis ſolutam ſibi reddi, & uſuras dotis, quoad tardius redderetur: contra quoque gener a ſocero, quoad reſidua pars dotis ſibi ſolveretur, ſtipulatus eſt uſuras. Mortua in matrimonio filia, ſi pater agat ex ſtipulatu, gener ei opponere poteſt compenſationem ad finem mutuæ debitæ quantitatis, ex ſtipulatione reſiduæ dotis, ſi ſumptu proprio uxorem exhibuerit : alioquin ſi patris ſumptu exhibita ſit, inanis eſt uſurarum ſtipulatio, ut nec compenſationi proſit. Ratio eſt, quia ſtipulationi uſurarum dotis ineſt tacita conditio, ſi maritus uxorem ſuo ſumptu aluerit : uſuræ dotis debentur propter onera matrimonii, inanis eſt ſtipulatio uſurarum, ſi mulier mariti ſumptu exhibita non ſit ; *l. cum poſt, §. in domum*, ſupr. *de jur. dot. l. ult. in pr. de dol. & met. except.*

§. *ult.*

Dixi ad *l.* 19. ſupr. *h. tit.*

L. 43.

MAritus de dote tenetur in id dumtaxat quod facere poteſt, deducto ne egeat; *l.* † *maritum*, ſupr. *h. tit.* Si maritus, de dote conventus, in id quod facere poteſt condemnatus ſit, & nomina ſint ad dotis quantitatem, in bonis tantum habeat nomina, id eſt cautiones fœneratitias, concurrentes ad dotis modum, non ultra, neque quid amplius habeat præter nomina, quæ ei neceſſaria ſunt ad victum, non tenetur de dote, neque actiones mandare debet, quia non tenetur, niſi in quantum facere poteſt, deducto ne egeat. Maritus, ſi ſit ſolvendo, & bona ſint in nominibus, liberatur cedendo actionibus. Delegatio, id eſt ceſſio actionum, pro juſta præſtatione eſt; *l. quod debetur*, *de pecul.* Sed ſi nomina non ſufficiant ad victum deducta dote, non tenetur de dote, neque tenetur cedere nomina & actiones.

L. 44.

ACtio de dote communis eſt patri & filiæ; *l.* 2. §. *quod ſi in patris*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi ſocer a genero heres inſtitutus adierit hereditatem, poſtea mortuo patre ſoli filiæ competit actio de dote adverſus heredes patris, immo & patre ſuperſtite ſoli filiæ competit actio de dote adverſus ipſum patrem, ſi ſit emancipata, ex *init. h. l.*

§. *Lucius.*

PAter filiæ nomine centum in dotem promiſit, mox convenit inter generum & ſocerum, ne dos a ſocero quamdiu viveret exigeretur. Poſtea culpa † mariti divortio ſoluto matrimonio, moriens pater extraneos heredes inſtituit, filia exheredata, hoc caſu maritus ab heredibus ſoceri dotem exigere debet, ut eam exactam mox reſtituat mulieri, vel actionibus ſuis cedere mulieri adverſus heredes ſoceri, nec ſubmovetur exceptione doli, quaſi dolo faciat qui petit quod mox reſtituturus eſt. Dolo facit qui petit quod mox reſtituturus eſt ei quem convenit; *l. dolo*, *inſr. de dol. & met. except. l. in condemnatione*, §. *ult. de R. J.* Dolo non facit maritus, qui petit quod mox reſtituturus eſt, non eidem cum quo agit, ſed alii, nimirum uxori. Lex ait, filia exheredata, quia exheredatio non tollit dotem ante datam filiæ; *l. unic.* §. *videamus*, *C. de rei uxor. act.* & contemplatione dotis filia videtur exheredata, dos ei legata videtur; *l. emptor*, §. *ancillam*, *de rei vindic. l. qui volebat*, *de hered. inſtit.* Sed etſi ex parte filia patri heres extiterit, maritus a coheredibus pro virili dotem exigere debet, & mulieri reddere, aut actiones præſtare. Maritus liberatur actione de dote cedendo actionibus ſuis uxori, quia non eſt in mora exigendæ dotis, propter pactum initio interpoſitum, ne vivo ſocero dos ab eo petatur, & habet tantum actionem de dote adverſus coheredes ſoceri. Qui tenetur tantum quod habet actionem, liberatur cedendo actionibus ſuis; *l. quod debetur*, *de pecul. l. Imperator*, † *in pr. de legat.* 2.

L. 45.

SI avus maternus in danda dote neptis ex filia nomine, quæ eſt in poteſtate patris, ſtipulatus ſit, divortio facto ſine culpa mulieris, vivo patre, in cujus poteſtate eſt, dotem reddi nepti vel avo materno, actio directa ex ſtipulatione do-

Digitized by Google

dotis repetendæ nepti non competit, quia nemo alteri ſtipulari poteſt, niſi filius patri, vel ſervus domino; *l. ſtipulatio iſta*, §. *alteri*, *de V. O.* Immo nulla actio de dote nepti competere videtur, quia magis ſolutionis gratia, quam obligationis adjecta videtur; *l. Stichum*, §. *quæſitum*, *de ſolut.* perinde eſt, ac ſi avus maternus ſtipulatus eſſet dotem ſibi aut nepti reddi: ſed ei datur utilis actio ex ſtipulatu, ne commodo dotis fraudetur: & hoc receptum eſt favore nuptiarum, maxime propter affectionem perſonarum, ex *h. l. & l. pater*, C. *de pact. convent.* Ex conſtit. Juſtin. extraneo dotem dante, etiam ſi non paciſcatur dotem reddi mulieri, vel minus legitime paciſcatur, mulieri datur actio de dote; *l. unic.* §. *accedit*, C. *de rei uxor. act.*

L. 46.

SI pater dotem pro filia promiſerit, ac deinde ei teſtamento rem certam vel pecuniam legaverit, utrumque debetur, dos ex promiſſione, legatum ex teſtamento, legatum non videtur relictum animo compenſandi, ut *hic*, *& l.* † *cum pater*, ſupr. *de jur. dot. l.* † *hujusmodi*, §. *cum pater*, *de legat.* 1. Quod ſi quis dotem ſtipulanti uxori promiſerit, eidemque teſtamento quædam legaverit, ita ut ab heredibus dotem non peteret, & quæ legata ſunt uxor capere non poſſit, quia eſt forte incapax a lege, puta ſi legata ſit uxori tertia aut quarta bonorum, quia lege *Papia* vir & uxor inter ſe nihil ex teſtamento capere poſſunt, præter decimam bonorum, & uſumfructum tertiæ partis bonorum, & dotis prælegatum; *l. qui uxori*, infr. *de aur. & arg. legat.* Ulpian. *in fragm. tit. de* † *decim.* Immo lege Voconia mulier inſtitui non potuit; M. Tull. Verr. † 1. 42. *Voconius, qui lege ſua hereditatem ademit nulli, neque virgini, neque mulieri: ſanxit in poſterum, ne qui poſt eos cenſores cenſus eſſet, heredem virginem, neve mulierem faceret.* Et eo ſe refert Auguſtin. de civit. Dei libr. 3. cap. *) 21. *nolebant divites fieri feminas, ſciebant nihil eſſe intolerabilius divite femina.* Dotis actio mulieri non eſt deneganda adverſus heredes viri, quia beneficium viri non debet ei eſſe captioſum. Beneficio nos adjuvari non decipi oportet; *l. in commodato*, §. *ſicut*, ſupr. *commodat.*

† V. ſi probant, & recurre ad *l. un.* §. 3. C. *de rei uxor. act.*

L. 47.

Dix. ad *l.* 39. ſupr. *h. tit.*

L. 48.

MOrtua filia in matrimonio, nullis exiſtentibus liberis, dos a patre profecta revertitur ad patrem; *l. jure ſuccurſum eſt*, ſupr. *de jur. dot. l. dos a patre*, C. *h. tit. l. ult. rat. rem haber.* Exiſtentibus liberis, dos a patre profecta redibat ad patrem, quintis in ſingulos liberos relictis penes patrem; Ulpian. in frag. *tit. de dotib.* §. 4. Superſtitibus liberis pater totam dotem non retinebat propter liberos, niſi pactum eſſet inter contrahentes; *l. ſi pater*, *l. inter ſocerum*, §. *cum inter*, *de pact. dotalib.* Si dotalibus tabulis ſtipulatio interpoſita ſit, ut propter liberos divortio ſoluto matrimonio dos apud virum remaneat, valet ſtipulatio, & prodeſt non ſolum filio, ſed & nepotibus ex filio. Cum quæritur de retinenda dote propter liberos, liberorum appellatione continentur nepotes, ut *hic*, *& l. liberorum*, *de V. S.*

L. 49.

INſtrumento vel chirographo tradito ex cauſa venditionis, donationis, dotis, vel legati, actio mandata & ceſſa intelligitur; *l. ſervum filii*, §. *eum qui*, *de legat.* 1. *l. qui chirographum*, *de legat.* 3. *l.* 2. C. *de donat.* Mulier præ-

Digitized by Google

ter alias res etiam inſtrumentum in dotem dedit marito, quo L. Titius ei caverat, ſe daturum decem, id eſt decem millia cum nuberet, eidemque actiones ceſſit. Maritus nihil exegit a Titio, quia nec potuit, forte propter inopiam debitoris, vel aliam cauſam, quamvis eum ſæpius convenerit, id eſt interpellaverit extra judicium: divortio facto muliere dotem repetente, ſi ſine dolo & culpa vir eam pecuniam exigere non potuit, non tenetur mulieri actione de dote, neque actione mandati, ex *init. h. l. l. ſi extraneus*, ſupr. *de jur. dot. l. ob res*, §. † *ult. de pact. dotalib. l. ſi fundum, de fund. dotal.* Maritus dolum & culpam dumtaxat præſtat in rebus dotalibus.

§. *fundus*.

SI pater ſciens in dotem dederit pro filia fundum æſtimatum, qui erat obligatus priori creditori, evicto fundo a priori creditore ſine dolo & culpa viri, divortio facto ſi mulier repetat æſtimationem dotis, ſubmovetur exceptione doli. Ratio dubitandi, quam opponit Paulus, hæc erat: mulier dicebat ſe non teneri de dolo patris, quia dos ei data erat a patre ex officio paterno; *l. qui liberos, al. l. 19. de rit. nupt.* & filia non tenebatur præſtare factum patris, quia heres ei non extiterat. Paulus reſpondit, evicto fundo dotali ſine dolo & culpa viri, maritum non teneri de dote, & ſi conveniatur tueri ſe exceptione doli, etiam ſi filia heres non extiterit patri, quia dolus patris debet nocere filio cum agat ex cauſa lucrativa. Dolus auctoris nocet ſucceſſori agenti ex cauſa lucrativa; *l. apud Celſum*, §. *de auctoris, de dol. & met. except.* Si pater fundum obligatum creditori, æſtimatum in dotem dederit filiæ nomine, mortuo patre, ſi filia dote contenta abſtineat ſe hereditate patris, filius heres patris tenetur marito actione ex empto, ut a creditore hypothecario luat fundum, & marito liberum præſtet; *l.* † *creditor*, §. *prædium*, ſupr. *de act. empt. l.* † *avia, C. de jur. dot.*

† V. ſi facit, & adde *l. 5. C. de evict.*

L. 50.

SI res æſtimatæ in dotem datæ ſint, maritus liberatur præſtando æſtimationem dotis, quia æſtimatio venditio eſt; *l. plerumque*, §. *pen.* ſupr. *de jur. dot.* Si rebus æſtimatis in dotem datis, pactum ſit, ut ex quacunque cauſa dos reddi deberet, res ipſæ ſi extarent reſtituerentur habita ratione augmenti, & deminutionis, boni viri arbitratu: quæ vero non extarent, æſtimatio earum: quæſitum eſt, cum quædam res, quas maritus vendiderat, extarent, ſoluto matrimonio mulieri reſtituendæ eſſent? Scævola reſpondit, res extantes, ſi neque volente, neque ratum habente muliere veniiſſent, ex pacto perinde reddendas, atque ſi nulla æſtimatio interveniſſet, quia valet pactum, ut res æſtimatæ in dotem datæ, ſi extent reſtituantur, ac ſi nulla æſtimatio interveniſſet; *l. ult. de pact. dotalib.*

L. 51.

SI res æſtimatæ in dotem datæ ſint, periculum eſt mariti, etiam ſi uſu uxoris deteriores fiant: puta ſi veſtis æſtimata in dotem data ſit, quæ uſu mulieris adtrita ſit, ex *h. l. & l. plerumque, in pr.* ſupr. *de jur. dot.* ubi dixi, quia dos datur propter onera matrimonii, atque licet res æſtimata in dotem data ſit, nihil vetat eam uſu uxoris conſumi.

L. 52.

Dixi in Tryphoninum *lib. 7. diſputat.*

L. 53.

Digitized by Google

L. 53.

Dixi in Tryphoninum *lib.* 12. *diſputat.*

L. 54.

MAritus, ſocius, patronus, parenſve tenentur in quantum facere poſſunt, nullo deducto ære alieno, ex *h. l. & l. ſunt qui*, infr. *de re judic. l. in condemnatione*, *de R. J.* At is, qui ex donatione convenitur, tenetur in quantum facere poteſt, deducto omni ære alieno, ex *h. l. l. inter eos*, §. 1. *l. & exheredatum*, *de re judicat.* ue liberalitate ſua inops fieri periclitetur ; *l. ne liberalitate*, *cod. tit.*

L. 55.

Dixi in *l.* 25. §. *ult.* ſupr. *h. tit.*

L. 56.

MAtrimonium ſolvitur captivitate, deportatione, ſervitute, ut *hic*, *& l.* 5. *de bon. damnat. l.* † 5. *C. de repud. l. res uxoris*, *C. de don. int. vir. & uxor.* Si pater vel extraneus dando dotem ſtipuletur ſibi reddi, ſi quo caſu ſolutum ſit matrimonium, hac generali commemoratione ſtipulatio committitur, id eſt actio ex ſtipulatu, in caſum captivitatis, deportationis, vel ſervitutis, puta ſervitutis pœnæ, ut *hic*, *& l. cum quærebatur*, *de V. S.* puta ſi ob delictum damnata ſit in metallum. Hac enim conceptione verborum omnes hi caſus continentur. Plane ſi quæratur quantum veniat in ſtipulatione, utrum quaſi morte, an quaſi divortio ſolutum ſit matrimonium, humanius eſt id venire in ſtipulatione de dote reddenda, quod propter mortem, id eſt in caſum mortis convenerit, quia caſum adverſamque fortunam ſpectari hominis liberi, neque civile, neque naturale eſt ; *l. inter* † *ſtipulantem*, §. *ſacram*, *de V. O.*

† Corrige *l.* 1. quam vide : nam, prout & aliæ laudatæ leges, non ſolvi ait.

L. 57.

SI mulier uſumfructum fundi viro, cujus erat proprietas, dotis nomine dederit, divortio ſoluto matrimonio, maritus tenetur cavere mulieri, quamdiu vixerit ſe paſſurum mulierem uti frui, heredem ejus non item, quia uſusfructus non tranſit ad heredem fructuarii. Quod ſi mulier fundi ſui uſumfructum in dotem dederit, maritus ſoluto matrimonio tenetur reſtituere, id eſt de novo conſtituere uſumfructum mulieri, vel heredi ejus, quia uſusfructus cum proprietate ad heredem tranſiiſſet, niſi vir in reddendo feciſſet moram. Quod ſi mulier uſumfructum fundi in dotem dederit, cujus proprietas aliena eſt, id eſt neque pertinet ad mulierem, neque ad virum, ſed ad tertium poſſeſſorem, vel ſi debitorem ſuum delegaverit, ut uſumfructum fundi ſui viro ejus dotis nomine daret, maritus debet cedere uſumfructum mulieri, ut *hic*, *& l. cum in fundo*, §. *quod ſi mulier*, *de jur. dot. l. neceſſario*, §. *ult. de peric. & commod. rei vend. l.* † *ſi uſusfructus*, *de novat.* ſicut poteſt & cavere ſe paſſurum eam uti frui, vel debet agere cum proprietario, ut mulieri conſtituat uſumfructum, vel aliquid det pro eo. Neque obſtat, quod fructuarius non poteſt cedere uſumfructum extraneo, & ſi cedat conſolidatur proprietati, nam licet fructuarius non poſſit cedere jus ipſum uſusfructus extraneo, ut in ejus perſona hæreat, tamen poteſt cedere emolumentum ſeu commodum fructuum ; *l. arboribus*, §. 2. *de uſufruct.* vel remedii cauſa, ut dos reſtituatur, ne mulier ſit indotata, poteſt vendere vel locare nummo uno uſumfructum, ut jus ipſum uſusfructus penes ſe remaneat, perceptio vero & utilitas fructuum cedat mulieri

vel heredi; *l. ſi uſusfructus, de jur. dot.* nam & mulier poteſt vendere uſumfructum proprietatis domino, volenti ſc. emere, & hoc caſu mulieris herede agente de dote, vir facere cogetur, id eſt conſentire tali venditioni dotis reſtituendæ cauſa, quoniam ſi moram non feciſſet † maritus, pretium uſusfructus mulier heredi ſuo reliquiſſet. Quod ſi mulier uſumfructum proprietario vendere non potuerit, quia non vult emere, hoc caſu maritus tenetur præſtare heredi mulieris patientiam percipiendi fructus, quam ipſi mulieri præſtare debuit, ex *hac l. & d. l. cum in fundo*, quia patientia, mulierem uti frui, pro traditione habetur; *l. ult. de ſervitut.*

L. 58.

SErvus heres inſtitutus ab aliquo non poteſt adire hereditatem injuſſu domini, ne inſcientem obliget æri alieno; *l. 6. de adquir. hered.* Servus dotalis heres inſtitutus ab aliquo, mariti juſſu vel adire vel repudiare debet hereditatem: ſed ne maritus aut facile repudiando, aut temere adeundo ignotam hereditatem dotis judicio uxori ſuæ obligetur, ut conſulatur utrique & marito & mulieri, mulier interroganda eſt coram teſtibus, utrum velit omittere an adquirere hereditatem, etſi repudiare ſe dixerit, facile mariti juſſu repudiabit: quod ſi hereditatem agnoſcere maluerit, ſervus heres inſtitutus reddendus eſt a marito uxori ea conditione, ut cum adierit rurſus marito retradatur, id eſt reſtituatur, ut hac ratione conſulatur marito & uxori. Servus dotalis heres inſtitutus non adquirit hereditatem marito, ſed uxori, hereditas adita auget dotem, & reſtituitur mulieri ſoluto matrimonio, quia in fructu non eſt; *l. ſi † legato*, ſupr. *de jur. dot. l. hinc quæritur, §. poteſt, de pecul.* niſi appareat hereditatem vel legatum relictum contemplatione mariti; *l. ſed ſi plures, §. in adrogato, de vulgar. & pupillar.* Servus dotalis heres inſtitutus non poteſt adire vel repudiare hereditatem ſine juſſu mariti, quia conſtante matrimonio maritus eſt dominus dotis; *l. quamvis*, ſupr. *de jur. dot. l. in rebus, C. eod.*

L. 59.

SI pater dotem dando pro filia ſtipulatus ſit dotem ſibi reddi mortua filia in matrimonio, & filiæ emancipatæ ægræ vir in hoc repudium miſerit, ut mortua dotem potius heredibus ejus, quam patri redderet, patri datur utilis actio de dote, dotis recuperandæ cauſa, ex *h. l. & l. dubium, C. de repud.* Repudium miſſum ægræ mulieri, præſumitur miſſum in fraudem patris, qui hoc caſu excluditur. Idem in renunciatione beneficii facta in fraudem ejus, qui primum vacaturum expectabat; *cap. 2. de renunt. in 6.* Alter caſus eſt, in quo ſoluto matrimonio captivitate, ſi filia ab hoſtibus capta eſſet, quæ nupta erat, dos a patre profecta redit ad patrem, perinde ac ſi filia in matrimonio deceſſiſſet; *l. ſi ab hoſtibus*, ſupr. *h. tit.* quia ſervitus morti comparatur.

L. 60.

SI pater pro filia ſumptum funeris fecerit, tametſi dotem poſt tempus, id eſt annua, bima, trima die gener ei reddere debeat, tamen ſtatim ſumptum funeris repetere poteſt, ex *h. l.* Ratio dubitandi erat, quod mulieres debent de dote ſua funerari; *l. in eum, & ſeq. de religioſ.* Ergo videbatur actionem patris differri donec dos exigi poſſit: tamen patri vel alii, qui ſumptum funeris fecit, ſtatim datur repetitio ſumptus funeris, ne mora agendi corpora inſepulta jaceant; *l. quod ſi nulla, eod. tit.* licet alias dos exigi non poſſit ante diem; *l. unic. §. † 7. verſ. exactio, C. de rei uxor. act.* nec non quia qui ſumptus funeris fecit videtur iiſſe in creditum, videtur contraxiſſe cum defun-

Digitized by Google

functo; *l.* 1. *de religioſ. & ſumpt. fun.* Sumptus funeris eſt æs alienum defuncti; *l. Papinianus*, §. *quarta autem*, *de inoff. teſt.*

L. 61. 62. 63.

LEge *Julia & Papia* vir dotalem ſervum conſtante matrimonio manumittere poteſt, ſi ſit ſolvendo, ex *h. l. & l. ſervum dotalem*, infr. *de manumiſſ. l.* † *filius emancipatus*, §. *maritus*, *ad leg. Cornel. de falſ. l. etſi dotis*, *C. de jur. dot.* Si vir dotalem ſervum manumiſerit invita & refragante uxore, & a liberto heres ſolus, id eſt ex aſſe, inſtitutus, ſoluto matrimonio portionem hereditatis, quam conſecutus eſt ut patronus, quæ olim erat ſemis, hodie tertia, uxori reſtituere debet: alteram vero portionem, dotis judicio reſtituere debet uxori, ſi manumiſerit refragante uxore; *l.* † 61. & *l. ſi vero*, §. *item quidquid*, infr. *h. tit.* Quod ſi vir voluntate mulieris ſervum dotalem manumiſerit, muliere conſentiente manumiſſioni animo donandi, hoc caſu maritus nihil præſtare tenetur uxori, nec operas libertatis cauſa impoſitas, id eſt mercedes operarum; † *l.* 62. quia donatio ſervi dotalis manumittendi cauſa valet inter virum & uxorem; *l. ſi conſtante*, §. *ſi vir*, ſupr. *h. tit. l. quod autem*, §. *ult. de don. int. vir. & uxor.* quia maritus ex ea non fit locupletior; *l. maritus*, C. *eod.* Lege *Julia* maritus conſentiente muliere poteſt manumittere ſervum dotalem, quia hujuſmodi donatio valet inter conjuges: & poſt manumiſſionem deſinit ſervus in dote eſſe, quia cui manumittendi cauſa donare licet, ei quodammodo donaſſe videtur, qui permiſit manumitti; † *l.* 63.

L. 64. † *uſque ad* §. 4.

SI maritus negotium gerens mulieris non invitæ, id eſt ſcientis & non refragantis, dotalem ſervum voluntate ejus manumiſerit, uxori reſtituere debet quidquid ad eum inde pervenerit. Sed & libertatis cauſa impoſita, id eſt operas libertatis cauſa impoſitas, vel mercedes operarum præſtabit, ſi forte non operæ ipſæ præſtitæ ſint, ſed mercedes operarum. Plane ſi operæ ipſæ marito fuerint exhibitæ, non æſtimatio earum, eo nomine maritus quidpiam uxori non præſtabit, nec enim tanquam inter infeſtos amare iſtud tractandum; *l. ſi id quod*, §. *ſi quas*, *de don. int. vir. & uxor.* Sed ſi poſt manumiſſionem aliquid liberto ſit impoſitum, id uxori præſtandum eſt. Sed & ſi pro impoſitis reum, id eſt expromiſſorem, acceperit, (expromiſſor eſt qui in ſe ſuſcipit alienam obligationem) æque adverſus ipſum debet obligationem præſtare, id eſt actione cedere.

§. *item quidquid*.

SI maritus ſervum dotalem manumiſerit invita uxore, quidquid ad eum ex bonis liberti quaſi ad patronum pervenerit, æque ſoluto matrimonio uxori præſtare cogetur: nec enim uxori tenetur de beneficio ſeu munere ſibi collato a liberto, ſed tantum de eo quod conſecutus eſt jure patronatus. Plane ſi patronus a liberto heres inſtitutus fuerit ex majore parte quam debita, quæ olim erat ſemis bonorum, hodie tertia, quod amplius eſt, quod excedit portionem debitam non præſtabit: & ſi forte cum ei nihil deberet libertus, forte quia amiſit jus ſuccedendi, impoſitis operis, vel pecunia libertatis onerandæ cauſa; *l. is qui onerandæ*, infr. *de oper. libert. l. ſi quam*, *C. eod.* eum heredem ſcripſit, nihil uxori reſtituet, quia alio jure, non jure patronatus accepit, ut quilibet extraneus; *l.* 6. *quod cujuſcunq. univerſ.*

Digitized by Google

§. † *dabit autem*, † §. *adjicitur*.

LEge *Julia* ſi maritus ſervum dotalem manumiſerit, ſoluto matrimonio tenetur reſtituere uxori heredive ejus quod ad eum jure patronatus pervenerit ex bonis liberti: perveniſſe intelligitur, quod jam exegit vel exigere potuit, quia jam actio ei delata eſt, ex *h.* §. † *dabit autem*. Rem in bonis habere videtur, qui habet actionem ad rem conſequendam, ut *hic*, & *l.* 15. *de R. J.* Eadem lege tenetur & ſi quid dolo malo factum eſt quominus ad eum perveniret, ex *h.* † §. *adjicitur*, & *l. filius emancipatus*, §. *ult. ad l. Cornel. de falſ.*

§. *ſi filium*.

LEge *Julia* ſi maritus ſervum dotalem manumiſerit, tenetur reſtituere uxori quidquid ad eum jure patronatus pervenerit ex bonis liberti, quia quod ad eum pervenit ex bonis liberti dotem auget. Quod ſi patronus, id eſt maritus, filium exheredaverit, ut ad eum bona liberti pervenirent, quia exheredatio patris non nocet filio quominus ſuccedat liberto ex ſemiſſe olim, hodie ex tertia, & ad filium, qui a patre exheredatus eſt, bona liberti perveniant, quæritur, an heres patris hoc nomine teneatur? Et cum nihil ad ipſum patronum neque ad heredem ejus perveniat ex bonis liberti, quomodo fieri poſſit, ut hoc nomine teneatur? quia filius patroni exheredatus ſuo jure ſuccedit in bonis liberti, & nihil conſequitur a patre, ſed a lege, & præfertur heredibus patris.

§. *de viro*.

LEge *Julia* & *Papia* ſi vir heresve ejus ſervum dotalem manumiſerit, tenetur reſtituere uxori quod ad eum pervenerit ex bonis liberti. Lex loquitur tantum de viro heredeve ejus: quod ſi ſocer vel heres ejus dotalem ſervum nurus manumiſerit, & aliquid ad eum pervenit, de eo nihil lege *Julia* & *Papia* ſcriptum eſt: quo caſu lex deficit, nec directa nec utilis actio danda eſt. Hinc nec utilis danda eſt, quia nec ſuggerit æquitas dari.

§. *ult.*

SI maritus ſervum dotalem manumiſerit, lege *Julia* & *Papia* tenetur reſtituere uxori quod ad eum pervenerit ex bonis liberti. Et tametſi verbis *legis* teneatur præſtare tantam pecuniam, quantam accepit: tamen ex benigniori interpretatione legis, non tenetur præſtare ipſas res hereditarias, ſed liberatur præſtando æſtimationem hereditatis vel bonorum. Pecuniæ appellatione continetur, non tantum pecunia ſignata, ſed etiam res ſoli vel mobilis, & tam jura quam corpora; *l. talis ſcriptura*, *de legat* 1. *l. pecuniæ*, *de V. S.* Maritus, qui ſervum dotalem manumiſit, tenetur reſtituere uxori tantam pecuniam, quantam accepit ex bonis liberti, id eſt æſtimationem, quæ eſt vice rei, niſi maritus res ipſas tradere maluerit. Sic ſi unus ex heredibus fundum per fideicommiſſum relictum emerit, æris alieni hereditarii ſolvendi cauſa, præſente & adſignante, id eſt tradente, eo, cui fideicommiſſum debebatur, non fundum, ſed pretium ejus reſtituere debet, niſi malit fundum reſtituere; *l. ſi fundum per fideicommiſſum*, *de legat.* 1. Idem in *l. ult. de pact. dotalib.* ubi dixi, & in *l. fidejuſſor*, *de dol.* & *met. except.*

L. 65.

Digitized by Google

L. 65.

SI maritus ſervum dotalem manumiſerit invita uxore, ei præſtare debet quidquid ad eum pervenerit de bonis liberti jure patronatus; *l. prox.* ſupr. *h. tit.* Hæc actio competit mulieri etiam conſtante matrimonio. Actio de dote conſtante matrimonio mulieri non competit, niſi certis ex cauſis; *l.* † *dos a patre*, *C. h. tit. l. ſi conſtante*, *in pr.* ſupr. *h. tit.* ſed hæc *lex* non eſt accipienda de actione dotis, ſed de actione ex lege *Julia & Papia*, ſeu condictione ex lege. Si maritus negotium gerens mulieris ſervum dotalem manumiſerit, uxori debet reſtituere quidquid ad eum a liberto, quaſi ad patronum, pervenerit. Hæc actio datur mulieri etiam conſtante matrimonio, quia non eſt actio de dote, ſed actio mandati, vel negotiorum geſtorum, quia maritus manumiſiſſe videtur ex mandato, qui manumiſit voluntate mulieris, non invita uxore: ſi maritus ſervum dotalem manumiſerit invita uxore, mulieri datur actio ex lege *Julia*, ſeu condictio ex lege.

† V. ſi facit, & adde *l. 29. l. 30. in fin. C. de jur. dot. & nov. 97. cap. 6.*

L. pen. in pr.

Dixi in *l.* 25. §. *maritum*, ſupr. *h. tit.*

§. *ſervis uxoris.*

SI ſervis uxoris vir nummos in veſtiarium dederit, intra annum divortio facto, qualia veſtimenta eſſent tempore divortii, talia viro reddenda ſunt. Idem non eſt, ſi vir ipſa veſtimenta emiſſet, & ſervis dediſſet, quia in uſum tantum data videntur, non ut in peculio eſſent; *l. id veſtimentum*, *de pecul. l. qui concubinam*, *in pr. de legat.* 3. Quod ſi veſtimenta non redduntur, tunc vir pretium veſtium in dotem, id eſt cum dote, ad concurrentem quantitatem compenſat. Hodie nulla compenſatio doti oppoſita ſolutionem dotis impedire vel morari poteſt; *l. unic.* §. *taceat*, *C. de rei uxor. act.*

§. *filiaf.*

DIvortio ſoluto matrimonio patri & filiæ communis eſt actio de dote; *l.* 2. §. *quod ſi in patris*, ſupr. *h. tit.* patri non datur actio de dote abſque voluntate filiæ. Quod ſi filia divortio facto dotem patri reddi juſſerit, parte dotis ſoluta patri, patre mortuo, reliqua pars dotis, ſi nec promiſſa patri novandi animo, mulieri ſolvi debet: & actio de dote ſoli mulieri potius datur, quam heredi patris; *l. ſi marito*, §. *ſi voluntate*, *l. in inſulam*, *l. ſi ſocer*, ſupr. *h. tit.* Dotis actio communis eſt patri & filiæ, quamdiu manet in poteſtate patris: ſed mortuo patre, propria eſt filiæ, quia eſt patrimonium filiæ, quamvis heres non extiterit patri; *l. unic.* §. *videamus*, *C. de rei uxor. act.*

§. † *mancipia.*

PArtus dotalium ancillarum non æſtimatarum non cedunt lucro mariti, quia partus ancillæ non eſt in fructu; *l. vetus*, *de uſufruct. l. in pecudum*, *de uſur.* Quod ſi maritus mancipia æſtimata in dotem acceperit, & poſtea convenerit, ut divortio facto, mancipia tantidem æſtimata redderentur, nec de partu dotalium ancillarum quidquam dictum ſit, partus dotalium ancillarum manet mariti, propter periculum dotis æſtimatæ, quod pertinet ad maritum, ex *h.* §. Neque obſtat *l.* 1. *C. h. tit.* ex qua, ſi dos æſtimata data ſit, & con-

Digitized by Google

venerit, ut res extantes ſoluto matrimonio reddantur, & ancillas cum partu judicio ex ſtipulatu de dote reddi oportet. Hoc caſu, etiam dote æſtimata, reſtituitur partus ancillæ mulieri, quia convenerat, ut res ipſæ mulieri redderentur, etiam ſi æſtimatæ eſſent, & hoc valet ex pacto.

§. *mulier*.

SI maritus poſt divortium mulieri, quæ centum in dote habebat, per errorem ducenta ſtipulanti promiſerit, ſive ſcienti, ſive ignoranti, non tenetur niſi in centum, ex *h.* §. Quod ſi ſciens pro centum ducenta promiſerit, ex ſtipulatione tenetur in centum, in alia centum actione de dote *; l. ſi divortio, de V. O.*

§. *uxor*.

Dixi in *l.* 30. ſupr. *de jur. dot.*

§. *ſi vir ſocero*.

SI vir conſtante matrimonio injuſſu uxoris dotem acceptam fecerit, etiam ſi id propter egeſtatem ſoceri factum eſſet, viri tamen periculum eſt, ex *h.* §. quia acceptilatio eſt vice ſolutionis, quæ liberat debitorem *; l. ult. de acceptilat.* §. *item per acceptilationem*, *inſt. quib. mod. toll. oblig.* Et qui acceptum fecit quod ſibi debetur, perinde habetur, ac ſi ab eo acceptum eſſet. Ratio dubitandi erat, quod maritus acceptum fecit non animo donandi, ſed propter inopiam ſoceri, ſciens non eſſe ſolvendo & inanem futuram eſſe actionem, nec quicquam videtur imputandum marito, qui remiſit dotem, quæ propter inopiam debitoris exigi non poterat *; l. ſi extraneus*, ſupr. *de jur. dot.* tamen ſi ultro dotem acceptam fecerit tenetur, quia ſolutum accepiſſe videtur.

§. *ult.*

SI quis pro muliere dotem viro promiſerit, deinde muliere herede ex parte relicta deceſſerit, qua ex parte mulier ei heres extiterit, pro ea parte dotis periculum, quod viri fuiſſet, ad mulierem pertinet, quia actio de dote eſt bonæ fidei, & conceptam habet formulam his verbis, *quod æquius melius eſſet*, ut oſtenditur *hic in fin. & in l. ſi cum Cornelius*, *de ſolut.* nec æquum bonum eſſet, quod exigere vir ab uxore non potuiſſet, ob id ex detrimento viri mulierem locupletari; Cujac. 22. *obſ.* † 14. *& in l.* 70. ſupr. *de jur. dot.*

L. ult.

MAritus præſtat dolum & culpam in rebus dotalibus conſervandis, etiam in peculio ſervi dotalis: ſi maritus quid adquiſierit ex peculio ſervi, non ex re mariti vel ex operis ſervi, id peculium auget *; l. hinc quæritur*, §. 1. *de pecul.* Et id venit in parte dotis reſtituendæ. Et fructus ex peculio ſervi dotalis percepti ad maritum pertinent, quomodo fructus cujuslibet rei dotalis, ex *h. l.*

Digitized by Google

AD TITULUM

De adquirend. vel omittend. heredit.

HIc titulus conceptus eſt de adquirenda, vel omittenda, id eſt repudianda, hereditate. Hereditas nihil aliud eſt, quam ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit; *l. nihil* 24. *de V. S.* Hereditas non eſt jus ſuccedendi in bonis defuncti, nam jus ſuccedendi habet quis antequam adeat hereditatem. Hereditas eſt univerſum jus in bonis, quæ defunctus habuit tempore mortis: heres eſt juris univerſi ſucceſſor; *l. heres in omne*, inſt. *h. tit. l. quotiens*, §. *heredes*, *de hered. inſtit. l. cum heres*, *de diverſ. tempor. præſcript.* Hereditas eſt jus omne, quod adquiritur heredi teſtamentario vel legitimo aditione hereditatis, id eſt actu adeundi vel immixtione. Ubi ſemel adita eſt hereditas, non eſt amplius hereditas, ſed patrimonium heredis; *l. ſed ſi plures*, §. *filio*, *de vulgar. & pupillar. l.* 1. §. *veteres*, *de adquir. poſſeſſ.* ut peculium, ſi filiusf. ſui juris fiat, morte patris vel emancipatione, deſinit eſſe peculium, & aliis rebus, id eſt patrimonio, confunditur; *l. ult. in fin. C. de inoffic. teſtam.* Hereditas adquiritur ipſo jure vel facto hominis: ipſo jure, puta in ſuis & neceſſariis exiſtentia, quæ a Græcis *ἀνάφαιτις* dicitur, vel immixtione, ſuus enim ipſo jure heres exiſtit; ſed quia habet beneficium abſtinendi a prætore, ut cum effectu heres dicatur & conveniri poſſit tamquam heres, neceſſe eſt, ut adquiſitionem hereditatis, quæ eſt a lege, in rem ſeu effectum perducat, quod fit immixtione; *l. in ſuis*, *de liber. & poſthum. l. pen.* §. † *penult. de bon. libertor.* In extraneis hereditas adquiritur jure civili aditione, vel pro herede geſtione; *l. pro herede*, inſr. *h. tit.* Jure prætorio, per bonorum poſſeſſionem, vel ex ſenatus conſulto Trebelliano per reſtitutionem fideicommiſſariæ hereditatis. Aditione hereditatis dominium transfertur in heredem lege ſine traditione; *l. cum heredes*, inſr. *de adquir. poſſeſſ. l. legatum* 80. *de legat.* 2. *l. a Titio*, *de furt.* Hereditas amittitur in ſuis abſtentione, in extraneis repudiatione, vel omiſſione: omittitur hereditas ſi intra tempus legitimum non adeatur; *l. quod ſi minor*, §. *Scævola*, ſupr. *de minorib. l.* 1. §. *ult.* inſr. *ut in poſſeſſion. legat. l. alienationis*, *de V. S. l. unic. C. quand. non petent. part.* Sic hoſtis omitti dicitur, ſi bellum non conficiatur; Tacit. 4. annal. (cap. 23.) *Nam priores duces, ubi impetrando triumphalium inſigni ſufficere res ſuas crediderant, hoſtem omittebant.*

L. 1. & 2.

HEreditas ſcindi non poteſt, id eſt pro parte adiri pro parte repudiari, ex *h. l.* 1. quia hereditas eſt nomen juris; *l. hereditatis* 119. *de V. S.* Hereditas eſt res incorporalis, quia in jure conſiſtit, id eſt in jure univerſo ſucceſſionis, licet enim in ea res corporales contineantur, jus ipſum ſucceſſionis eſt incorporale; *l.* 1. §. 1. ſupr. *de diviſ. rer.* inde hereditas etiam ſine ullo corpore juris intellectum habet; *l. hereditas*, *de hered. petit.* id eſt hereditas intelligitur etiam ſi nullum corpus ſubſit in hereditate: & cum hereditas in jure conſiſtat non poteſt dividi; *l. Pomponius*, *de rei vindic.* Jura ſunt incorporalia, & non dividuntur, & conſequenter non poſſunt pro parte agnoſci, pro parte repudiari. Puta heres inſtitutus ex pluribus partibus, non poteſt unam partem adire, aliam repudiare, quia adeundo unam partem, omnes adquirit; *l.* 2. *l. ſi ſolus*, *in pr. &* §. 1. inſr. *h. tit. l. quidam*, *C. de jur. deliber.* Et heres inſtitutus ex parte, idemque ſubſtitutus filio impuberi & coheredi ex alia

Digitized by Google

parte, qui portionem ſuam adiit ex teſtamento, mortuo filio impubere, ex ſubſtitutione pupillari hereditatem adire tenetur; *d. l. quidam*, quia unum eſt teſtamentum patris & filii; *l.* 2. §. *illud, de hered. vel act. vendit. l. patris, de vulgar. & pupillar. l. paterfamilias, de reb. auctor. judic. poſſid.* Heres quoque inſtitutus ex aſſe non poteſt hereditatem pro parte adire, pro parte repudiare. Et hic videtur eſſe caſus *hujus l.* 1. ubi ſcriptum eſt, eum, qui totam hereditatem adquirere poteſt, puta ſi ſit inſtitutus ex aſſe, non poſſe eam ſcindendo pro parte adire: vel ſi duo ſint heredes inſtituti, & invicem ſubſtituti, portio repudiantis adcreſcit coheredi etiam invito, quia hereditas pro parte adiri, pro parte repudiari non poteſt; *l. unic.* §. *his ita definitis, C. de caduc. tollend. l. teſtamento, C. de impub. & aliis ſubſtit.* & hac ratione heres etiam pro non idoneis prædiis fiſcalia onera agnoſcere debet, vel omnibus bonis hereditatis cedere; *l.* 4. *C. de omni agr. deſert. lib.* 11. Et ſi dominus & pater, ſervus & filius eodem teſtamento heredes inſtituti ſint, & ſervus vel filius juſſu domini vel patris partem adierit, ſtatim ex inſtitutione ſua, id eſt ex parte ſua, heres erit: vel ſi dominus vel pater ex parte ſua adierit, tenetur jubere, ut ſervus vel filius partem ſuam adeant; *l. ſi ego, l. ſi ex ſua parte*, inſr. *h. tit.* Aliquando tamen ſi heres inſtitutus ex aſſe deſtinaverit partem hereditatis habere, videtur in aſſem pro herede geſſiſſe; *l. ſi ex aſſe*, inſr. *h. tit.* quia deſtinatio partis hereditatis habendæ, videtur facta animo pro herede gerendi in aſſem. Sicut hereditas, ita & legatum pro parte agnoſci, & pro parte repudiari non poteſt; *l. legatarius, de legat.* 1. *l.* 4. *de legat.* 2. ſed ſi duo legata relicta ſint, unum repudiare, alterum amplecti poſſumus, niſi unum ex legatis ſit cum onere, alterum ſine onere; *l. ſed duobus, eod. tit. de legat.* 2.

L. 3.

QUamdiu prior heres, id eſt heres primo loco inſtitutus hereditatem adire poteſt, ſubſtitutus non admittitur, ex *hac l. & l. quamdiu* † 3. *al.* 69. inſr. *h. tit.* & quamdiu heres teſtamentarius adire poteſt, legitimus non admittitur; *l. quamdiu* † 2. *al.* 39. inſr. *h. tit. l. quamdiu, de R. J. l.* 8. *C. commun. de ſucceſſ. l.* 2. *C. unde liber.* Idem ſervatur in tutelis, quamdiu teſtamentaria ſperatur, legitima ceſſat; *l. ſi quis ſub conditione*, ſupr. *de teſt. tutel. l. ſi tutor*, §. 1. *de tutel. & rat. diſtrah.* Quamdiu inſtitutus vocatur, ſubſtitutus non admittitur, id eſt ſubſtitutus non admittitur priusquam inſtitutus excludatur præſcriptione temporis vel repudiatione; *d. l.* 8. Jus adeundæ hereditatis per ſe eſt perpetuum, id eſt non excluditur præſcriptione longi temporis, ſed tantum præſcriptione 30. annorum; *l. licet, C. de jur. deliber.* Idem in petitione hereditatis; *l. ult. C. de petit. heredit.* Et hoc verum eſt ſi nulli creditores poſtulent adiri hereditatem, vel nulli liberi exheredati querantur de inofficioſo teſtamento, nam poſtulantibus creditoribus, vel inſtantibus liberis exheredatis, heredi ſcripto poſtulanti datur congruum tempus ad deliberandum de adeunda hereditate; *l. ſi curatoris, C. de jur. deliber.* quod non eſt minus & anguſtius quam centum dierum; *l.* 2. *ff. eod. tit.* quia & ſolemne cretionis tempus fuit centum dierum, ut liquet ex formula cretionis apud Ulpian. *libr. regular.* † *tit. qui hered. inſtit. poſſ.* §. 27. *Titius heres eſto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus ſcieris poterisque.* Hodie tempus ad deliberandum non eſt certum, ſed definitur arbitrio judicis; *l. ſcimus*, §. †† *ſed quia, C. eod. tit.* Regula juris eſt, quamdiu heres teſtamentarius admittitur, legitimo locum non eſſe. Ab hac regula excipitur caſus *l. ſi quis ita heres*, ſupr. *de hered. inſtit.* ſi teſtamento heres inſtituatur ſub hac conditione, ſi legitimus heres hereditatem vindicare noluerit, legitimo vindicante hereditatem ab inteſtato, deficit conditio teſtamenti: ſed hoc non procedit a lege, ſed ex voluntate teſtatoris, qui non aliter voluit

†† Lege §. *& hac quidem, verſ. ſed quia.* Lapſum vero, in eo quod dicitur *hic*, hodie non eſſe certum tempus ad deliberandum, ſed judicis arbitrio definiri, non fuiſſe auctoris, argumento eſt, quod quæ dicenda erant dixit infra in recitat. ad *d.* §. *& hac quidem*, ubi vide.

volue heredem teſtamentarium admitti, quam ſi legitimus reſpueret hereditatem.

L. 4.

SUbſtitutus non admittitur, quamdiu inſtitutus hereditatem adire poteſt, ut præmiſſum eſt *l. prox.* Non videtur nolle adire hereditatem, qui non poteſt adire, ut ſtatim ſubjungitur in *hac l.* puta qui excluſus eſt tempore, vel repudiatione: ejus eſt nolle, qui poteſt velle; *l. ejus eſt*, *de R. J.* & retro non videtur nolle, qui non poteſt velle. Non poteſt repudiare hereditatem, qui non poteſt adire; *l. qui poteſt* 174. *eod. tit.* Exemplo ſit, heres inſtitutus ſub conditione pendente conditione non poteſt repudiare hereditatem, quia nec poteſt adire, & ſi ante exiſtentem conditionem repudiet, nihil agit; *l. is qui heres*, infr. *h. tit.* Is poteſt repudiare, qui & adquirere poteſt; *l. is poteſt*, infr. *h. tit.* Puta heres pure ſcriptus, vel cui legitima hereditas delata eſt ab inteſtato, ſtatim a morte teſtatoris poteſt repudiare, vel adire: qui non poteſt adire, non poteſt repudiare: & qui ſuperſtitis bona repudiat, poſt mortem ejus adire non prohibetur; *l. neminem*, *l. qui ſuperſtitis*, infr. *h. tit.* Viventis hereditas non poteſt adiri, nec repudiari, quia viventis nulla eſt hereditas; *l. 1. de hered. vel act. vendit.* Aliud exemplum ponitur in filiof. vel ſervo: filiusf. vel ſervus heres inſtitutus non poteſt repudiare hereditatem injuſſu patris vel domini, quia non poteſt adire ſine juſſu patris vel domini, ne invitum obliget hereditati; *l. 6.* infr. *h. tit.* & ſi filiusf. heres inſtitutus repudiet hereditatem ſine juſſu patris, repudiando nihil agit; *l. is qui heres*, §. *ult.* infr. *h. tit.* Repudiare legitimam hereditatem non videtur, qui neſcit legitimam ſibi deferri ab inteſtato; *l. mater*, *de inoffícioſ. teſt.* Hereditas repudiari non poteſt antequam delata ſit; *l. 1.* §. *decretalis*, infr. *de ſucceſſ. edict.*

L. 5.

MUtus & ſurdus etiam natura pro herede gerere poteſt, & pro herede gerendo hereditati obligatur, ex *init. h. leg.* Servus mutus, ſi heres inſtituatur, juſſu domini pro herede gerere poteſt, & pro herede gerendo dominum obligat hereditati: vel mutus pater vel dominus, filio vel ſervo herede inſtituto, poteſt nutu jubere eos adire; *l. pater.* §. 1. & 2. infr. *h. tit.* quia mutus, vel ſurdus, etiam natura, intellectu non caret; *l. in quibuscumque*, *de oblig. & act.* id eſt intelligit quod agit. Pro herede geſtio fit ſola voluntate: pro herede gerere videtur, qui quoquo modo re vel verbo voluntatem ſuam declarat de adeunda hereditate; *l. pro herede*, infr. *h. tit.* §. *ult. inſt. de hered. qualit. & different.* Eadem ratione mutus ſurdus bonorum poſſeſſionem admittere poſſunt, ſi quod agunt intelligant; *l. 2. de bonor. poſſeſſ. furioſ. infant.* Mutus ſurdus pro herede gerere poſſunt, ſed non poſſunt adire hereditatem, quia aditio hereditatis eſt actus ſolemnis, qui fit in jure judicioque verbis ſolemnibus, *hanc hereditatem adeo cernoque*; *l. actus legitimi*, *de R. J.* Pro herede geſtio nullam ſolemnitatem deſiderat, nuda voluntate perficitur, & ſolo nutu heredis ſignificantis, ſe velle eſſe heredem; *d.* §. *ult. &* *l. ult. C. Th.* † *de legit. heredib.*

† Corrige, *de legit. heredit.* & v. ſi facit.

§. *eum cui*.

IS, cui lege bonis interdictum eſt, id eſt prodigus, cui lege 12. tab. bonorum adminiſtratione interdictum eſt, ex contractu non poteſt obligari, alium vero ſibi obligare poteſt; *l. certi*, §. † *ſed & ſi*, ſupr. *de reb. credit.* *l. is cui bonis*, *de verb. oblig.* *l. 1. de curat. furioſ.* Idem non poteſt teſtamentum facere; *l. is cui*, ſupr. *qui teſtam. fac.* Sed ex teſtamento capere poteſt, & ſi

Digitized by Google

heres inſtituatur, hereditatem adire poteſt, ex *hoc* §. non ſine auctoritate curatoris, quia prodigo, cui lege, id eſt 12. tab. bonis interdictum eſt, datur curator; *d. l.* 1. *de curat. furioſ.* Prodigus, cui lege bonis interdictum eſt, poteſt adire hereditatem non ſine curatore, ne temere adeundo obligetur æri alieno, & temere adeat damnoſam hereditatem.

L. 6. † *&* §. *1.* *&* 2.

SI filiusf. vel. ſervus heres inſtituatur, non poteſt adire hereditatem injuſſu patris vel domini, ne invitum patrem vel dominum, cui per filium vel ſervum adquiritur hereditas, obliget hereditati forte damnoſæ, ut oſtenditur *init. h. leg. & l. is qui heres*, §. *ult. l. ſi quis mihi*, §. *juſſum*, infr. *h. tit.* Et in adeunda hereditate juſſus patris vel domini præcedere debet; *d. l. ſi quis mihi*, §. *juſſum*, ita ut aditio hereditatis facta injuſſu patris vel domini non convaleſcat, ſecuta ratihabitione patris vel domini. Idem in petenda bonorum poſſeſſione, filiof. vel ſervo non licet bonorum poſſeſſionem petere injuſſu patris vel domini. Sed hoc differt aditio hereditatis, ab agnitione bonorum poſſeſſionis, quod in adeunda hereditate juſſum patris præcedere neceſſe eſt, in petenda bonorum poſſeſſione ſufficit ratihabitionem ſequi, ut *hic* † *in* §. 1. *& l. ult.* §. 1. *quis ordo in bonor. poſſeſſ. ſervet. l. bonorum*, *rem rat. haber. l.* 1. C. *qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* Adiri hereditas non poteſt, niſi præcedat juſſus patris vel domini: peti bonorum poſſeſſio poteſt ſine juſſu patris vel domini, & quæ ab initio non valet, ex poſt facto convaleſcit, ſi pater vel dominus agnitionem ratam habeat, quia bonorum poſſeſſio eſt minus ſolemnis, magis eſt facti, quam juris. Hoc verum eſt, ſi ratihabitio habetur intra tempus quo peti poterit; *d. l. bonorum*. Hoc jure filiusf. non poteſt adire hereditatem ſibi delatam injuſſu patris, ne invitum obliget forte damnoſæ hereditati: ſed ex conſtitutione Juſtiniani filiusf. recuſante patre, ſi pater nolit conſentire, poteſt adire delatam hereditatem injuſſu patris, & hoc caſu pater amittit uſumfructum bonorum, & omne commodum vel incommodum tranſit in filium; *l. ult. in pr.* §. 1. *&* 2. *C. de bon. quæ liber.* ſi legitima hereditas matris deferatur filio ex S. C. Orficiano, idem dicendum eſt, quod in petitione bonorum poſſeſſionis, ut oſtenditur in *fin. h.* §. † 2. Servus vel filiusf. heres inſtitutus, injuſſu domini vel patris hereditatem adire non poteſt, ne invitus æri alieno dominus vel pater obligetur: conditionem vero inſtitutionis ſine juſſu domini vel patris implere poteſt; *l.* 5. infr. *de condit. & dem.* quoniam eo facto nemo fraudatur, & impleta conditione hereditas non adquiritur, ſed in eo res conſtituitur, ut inſtitutio, quæ erat conditionalis, fiat pura, & adhuc integrum eſt adire, vel repudiare hereditatem; *l. ſi pupillus*, *de condit. inſtit.*

§. *Sed & ſi* † 3.

FIliusf. non poteſt adire delatam ſibi hereditatem injuſſu patris, ne invitum obliget æri alieno & aliis oneribus hereditariis, ut dictum eſt † *init. h. l.* ſed ſi filiusf. delatam ſibi hereditatem longo tempore, id eſt decennio, poſſederit non contradicente patre, eo ipſo, utpote agnita hereditate juſſu patris, ejus commodum patri adquiſiiſſe videtur; *l. ſi filiusf. C. de petit. heredit.* Quod ſi delatam ſibi hereditatem non adierit filius, diu tamen pater poſſedit hereditatem, credendus eſt uterque, id eſt pater & filius, adiiſſe hereditatem, ex reſcripto D. Pii, † ex *h.* §. Ex diutina poſſeſſione præſumitur ſolemnis aditio hereditatis. In antiquis omnia præſumitur ſolemniter acta; *l. cum de in rem verſo*, *de uſur. l. ſciendum*, *de V. O. cap. cum inter vos*, *de ſent. & re judicat.*

§. † *ſi*

§. † *Si is qui putabat.*

SI is, qui per errorem putabat ſe filiumſ. patris juſſu adierit hereditatem, neque ſibi hereditatem adquirit, quia non habuit animum adquirendi ſibi, ſed patri: neque ei, qui juſſit, adquirit hereditatem, quia non potuit adquirere ei, in cujus poteſtate non eſt. Jure civili nemo poteſt alteri ſtipulari; *l. ſtipulatio iſta*, §. *alteri*, *de V. O.* Et hic eſt caſus regulæ, quod potuit noluit, quod voluit adimplere nequivit; *l. mutum*, *C. ſi quis alteri vel ſibi*. Quamquam is, quem pater verus juſſit adire hereditatem, ſi mortuo patre adierit, obligat ſe hereditati, ex ſententia Juliani, id eſt adquirit hereditatem ſibi, & adeundo obligatur hereditati, nec ſpectatur juſſus patris, id eſt non vitiat aditionem factam poſt mortem patris, quia eo tempore adiit, quo ſolutus eſt patria poteſtate, & potuit adire ſuo jure: nam & qui dubitat in jure, utrum filiusſ. maneat, an morte patris paterſ. factus ſit, poteſt adire hereditatem: dubitatio filii de ſtatu ſuo, non vitiat aditionem, quia veritas opinioni prævalet; *l. Imperatores*, *de probat. l. cum in fundo*, §. *uxor*, *de jur. dot.* Error vel dubitatio ſemper cedit veritati: & filius, qui dubitabat de ſtatu ſuo, an morte patris paterſ. factus eſſet, adeundo videtur ſolviſſe dubitationem, & magis credidiſſe, ſe morte patris factum eſſe patremſ. ita ut poſſet ſuo jure ſibi adquirere hereditatem.

§. *interdum*.

FIliusſ. heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem injuſſu patris; *l. ſi quis mihi bona*, §. *juſſum*, *inſr. h. tit.* Juſſus patris præcedere debet aditionem, & juſſum ſequi debet aditio, ut adita hereditas patri adquiratur, per filium hereditas patri, in cujus poteſtate eſt, non adquiritur priusquam adita fuerit. Hinc ſi ſervus heres inſtitutus ſit, dominus non fit locupletior priusquam juſſu ejus adita ſit hereditas; *l. pretia*, *inſt. ad leg. falcid.* & adita hereditas ſtatim patri adquiritur, ita ut ne momento quidem reſideat in perſona ejus, per quem adquiritur; *l. placet*, *inſr. h. tit. l. 1. ſi à parent. quis manum.* Ideo ſi filiusſ. vel ſervus heres inſtitutus ſit, pater vel dominus poteſt onerari fideicommiſſo, quia commodum hereditatis ſtatim patri vel domino per filium vel ſervum adquiritur; *l. cum filioſ. de legat. 1.* Et ſi dominus & ſervus heredes inſtituti ſint, dominus in falcidiam imputat quod capit ex parte ſervi, quia id capit quaſi heres; *l. ſi pupillus*, §. *ſi ego*, *ad l. falcid.* Interdum filiusſ. heres inſtitutus & ſine aditione adquirit hereditatem patri, in cujus poteſtate eſt. Puta ſi nepos ex filio exheredato heres inſtituatur ab avo, patrem ſuum ſine aditione facit heredem, & quidem neceſſarium. Ait ſine aditione, quia nepos ex filio exheredato inſtitutus ab avo eſt ſuus & neceſſarius heres avo, quaſi patre ſublato, quia exheredatus pro mortuo habetur; §. *ſui autem*, *inſt. de hered. qualit. & differ.* Et ita nepos ex filio ipſo jure heres exiſtit avo ſine aditione, & per exiſtentiam ſui heredis, patrem, in cujus recidit poteſtatem morte avi, neceſſarium heredem facit, quia ſtatim ei adquirit hereditatem, licet enim filius exheredatus pro mortuo habetur quoad ſe, tamen vivit & ſuperſtes eſt in perſona nepotis, & per eum ei adquiritur hereditas patris, nec per ſemetipſum, ſed per filium ſeu ex perſona filii ad hereditatem avi admittitur; *l. filius patroni*, *de bonis libertor.*

§. *ſed ſi quis heres*.

SI extraneus heres inſtitutus ſit filio exheredato, & heres inſtitutus adoptetur a filio exheredato, neceſſarium eum heredem non facit, id eſt ſuum & neceſſarium heredem ſine juſſu patris adoptatoris, & ſine aditione, ſed cogendus

Digitized by Google

eſt prætorem adire, quoniam mortis tempore in poteſtate adoptantis non fuit: nam per eum quis exiſtere neceſſarius heres non poteſt, qui ipſe non eſt exiturus, id eſt extraneus heres inſtitutus & adoptatus a filio exheredato, non fit neceſſarius heres filio exheredato, qui ipſe non eſt exiturus per ſemet ipſum, cum pro mortuo habeatur propter exheredationem.

§. *Celſus*.

QUi metu verberum, vel aliquo timore, id eſt alia cauſa metu coactus, fallens, id eſt ſimulans ſe velle adire, adierit hereditatem, ſive liber ſit, heres non efficitur, ſive ſervus ſit, heredem dominum non facit. Opponitur *l. ſi mulier*, §. *ſi metu* 5. ſupr. *quod met. cauſ.* ſervus heres inſtitutus, qui metu coactus adiit hereditatem, dominum heredem facit, quia voluiſſe videtur, qui coactus voluit: coacta voluntas, voluntas eſt; *l. ſi patre* † *cogente, de rit. nuptiar.* ſed facilis eſt ſolutio. Servus, qui coactus adiit, dominum heredem facit, quia voluiſſe videtur, qui adiit coactus, inde ſi ſervus coactus adierit hereditatem, dominum heredem facit, & excludit ſubſtitutum, in caſum ſi noluerit adire hereditatem; *l.* 3. *C. de hered. inſtit.* At ſi ſervus metu verberum, vel alia cauſa metus, fallens, id eſt ſimulans ſe velle, adierit hereditatem, non fit heres, neque facit dominum heredem, quia ſimulata voluntas nulla eſt, & ex ea aditio nullum habet effectum. Quod ſi liber, qui bona fide ſervit, heres inſtitutus, juſſu bonæ fidei poſſeſſoris adierit hereditatem invitus & coactus, dominum non facit heredem; *l. liber homo, de hered. inſtit. l.* † *homo liber, de adquir. rer. domin.* Si ſervus metu verberum, vel alia cauſa coactus, fallens adierit hereditatem, ſi liber ſit, heres non fit, ſi ſervus dominum heredem non facit, puta ſi intelligens ſe cogendum, clam vel coram teſtibus proteſtatus ſit, quod licet adiret hereditatem, pro nihilo volebat eſſe aditionem, ut ait *gloſſa hic*. Effectus proteſtationis eſt, quod nullam facit aditionem: proteſtatio conſervat jus proteſtantis; *l. ſi debitor*, §. 1. ſupr. *quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.* ſi fiat re integra, puta ante aditionem, vel emptionem, ut in caſu *l. ſi fundum*, *C. de rei vindic.* proteſtatio facta poſt aditionem nihil operatur, proteſtatio actum præcedere debet ad reſciſſionem actus. Propoſitum in mente retentum nihil operatur; *l. pen.* §. *inſulam, de legat.* 2. *l. ſi repetendi*, *C. de condict. ob cauſam*.

L. 7.

SI filiusf. heres inſtitutus ſit, eique, ſi heres non eſſet, Sempronius ſubſtitutus ſit, ſi juſſu patris adierit hereditatem, ſubſtitutum excludit. Ratio dubitandi erat, quod conditio ſubſtitutionis, ſi heres erit, videtur defeciſſe, quia filius adeundo hereditatem, ſibi eam non adquirit, ſed patri, ſi adierit hereditatem non fit heres, ſed pater, ergo ſi filius juſſu patris adierit hereditatem, ſubſtitutus non excluditur: ſed licet filio herede inſtituto adeunte, non filius ſed pater videatur heres fieri, ſubſtitutus excluditur, quia Sempronius ita ſubſtitutus intelligitur, ſi filius heres non erit, id eſt ſi hereditatem ſibi vel patri non adquiſierit; *l. ſi* † *paterf. de hered. inſtituend.* Filius adeundo hereditatem, licet patrem heredem faciat, tamen ipſe videtur heres fieri in perſona patris, quia hereditas lege 12. tab. redit ad filium ab inteſtato; §. *ſui autem*, *inſtit. de hered. qualit. & different.* & omnia, quæ noſtra ſunt, liberis ex voto paramus; *l. pen.* §. *ſed numquid*, *de bonis libert. l.* † 15. *de inoffic. teſtam.* maxime ea, quæ nobis adquiruntur per liberos, votum & deſiderium patris ea redire ad liberos, ne doleant bona per ſe parta transferri ad alios; *arg. l. ult. C. de alluvionib.*

§. *ſi*

Digitized by Google

§. *ſi filius.*

LIberi, qui ſunt in poteſtate tempore mortis, ſunt ſui & neceſſarii heredes, id eſt ſtatim ipſo jure etiam inviti & ignorantes heredes exiſtunt, citra immixtionem, ſed habent beneficium abſtinendi a prætore; §. *ſui autem*, *inſtit. de hered. qualit. & different. l. neceſſariis*, infr. *h. tit.* nec obligantur oneribus hereditariis, antequam ſe immiſceant bonis; *d. l. neceſſariis*, infr. *h. tit. l. 1. C. ſi minor ab hered. ſe abſtin. l. *) qui ſe*, *C. unde liberi*. Si filius, priusquam ſciret hereditatem ſibi delatam, deceſſerit relicto filio in poteſtate, licet nepoti ex filio abſtinere ſe avi hereditate, quia & patri ejus idem liceret, ex *hoc* §. Sui heredes ſtatim ipſo jure heredes exiſtunt, & delatam hereditatem transmittunt ad ſuos heredes; *l. 3. C. de jur. deliber.* & jus abſtinendi quoque transmittunt ad ſuos heredes. Immo & conſtitutione Juſtiniani, ſi heres ex teſtamento vel ab inteſtato deceſſerit intra tempus deliberandi de adeunda hereditate, jus deliberandi intra annum transmittit ad quoscumque heredes ſuos vel extraneos; *l. cum in antiquioribus*, *C. de jur. deliberand.*

§. *ult.*

SI heres ex teſtamento, vel ab inteſtato, adierit hereditatem Titii, heres ejus non poteſt omittere hereditatem Titii, id eſt adeundo hereditatem patris, non poteſt omittere hereditatem Titii, ex *hoc* §. quia heres heredis eſt heres teſtatoris; *l. heredis 65.* infr. *de V. S. l. 2.* ſupr. *de petit. heredit. l. ult. C. de hered. inſtit. l. in annalibus*, *C. de legat.* Adita hereditate patris, hereditas Titii, quæ confuſa eſt cum ea, non eſt amplius hereditas, ſed eſt patrimonium heredis; *l. cum heredes*, *de adquir. poſſeſſ.* Mutatione perſonæ mutatur cauſa bonorum; *l. per curatorem*, infr. *h. tit. l. hereditas*, *de adquir. rer. domin.*

L. 8.

JUre civili pupillus non poteſt adire hereditatem etiam lucroſam ſine tutoris auctoritate; *l. obligari*, §. *hereditatem*, ſupr. *de auctor. tutor.* §. *neque*, *inſt. eod. tit.* quia hereditas etiam lucroſa implicita eſt litibus & ſumptibus, & plerumque minoris intereſt litibus & ſumptibus non vexari; *l. minoribus*, *de minorib.* & ita recte ſentit Odofredus contra Joannem & Azonem. Et hoc eſt quod dicitur initio *hujus leg.* moribus noſtræ civitatis, pupillum ſine tutoris auctoritate non obligari, id eſt ſi adeat hereditatem ſine tutore, non obligari hereditati, id eſt æri alieno, & oneribus hereditariis. Minor quoque 25. annis, non poteſt adire hereditatem ſine auctoritate curatoris; *l. cum quædam*, *C. de adminiſtr. tutor.* Pupillus non poteſt adire hereditatem ſine auctoritate tutoris, ne temere obligetur æri alieno ſine tutore, quia hereditas nos obligat æri alieno, etiam ſi non ſit ſolvendo, ex *h. l. & l. 3. in princ.* infr. *de bonor. poſſeſſ.* Qui adiit hereditatem obligatur creditoribus hereditariis, etiam ultra vires hereditatis, quaſi ex contractu, quia qui adit hereditatem, videtur contrahere cum creditoribus; *l. ſi quis abſentis*, §. *heres quoque*, *de oblig. & act. l. apud Julianum*, §. *ult. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur*, §. † *heres quoque*, *inſt. de oblig. quæ quaſ. ex contract. naſc.* Quod dictum eſt, pupillum non adire hereditatem ſine auctoritate tutoris, ne temere obligetur oneribus hereditariis, locum habet in extraneis heredibus, non in ſuis & neceſſariis, ut ſubjungitur *hic*, quia ſui & neceſſarii heredes, ipſo jure heredes exiſtunt ſine aditione ſine tutore, & per exiſtentiam ſui heredis ipſo jure obligantur creditoribus hereditariis, licet habeant beneficium abſtinendi a prætore; *d. l.* †† *apud Julianum*,

†† V. ſi facit. Et v. etiam, *l.* 57. *h. tit. &* §. 2. *de hered. qualit. & differ.*

§. *ult.* nec poſſunt conveniri a creditoribus, antequam ſe immiſceant bonis; quia immixtione, quaſi aditione contrahere videntur cum creditoribus; *d. l. apud Julianum*, §. † *ult.* Exiſtentia ſui heredis confirmat teſtamentum, & tabulas pupillares, & fideicommiſſarias libertates, & eundem effectum habet, ac aditio; *l. cum quaſi*, §. *ſed & ſi quis*, *de fideicommiſſar. libertat. l. ſi filius qui patri*, *de vulgar. & pupillar.* Sicut pupillus non poteſt adire hereditatem ſine tutore auctore, non poteſt etiam eandem repudiare; *l. pupillorum*, *C. de repudiand. heredit.* Aditio & repudiatio eodem jure reguntur, qui adire non poteſt, repudiare non poteſt; *l. is poteſt*, infr. *h. tit.* Sic & ſervus proprius heres inſtitutus a domino, qui ſolvendo non eſt, fit liber & heres neceſſarius domino, & creditoribus hereditariis obligatur in ſolidum, etiam ſi ſit minor 25. annis, & hereditas non ſit ſolvendo, ex *h. l. & l. neceſſariis*, *in fin.* infr. *h. tit.* nec reſtituitur adverſus aditionem hereditatis beneficio ætatis, quia non eſt lapſus qui jure communi uſus eſt; *l. ult. C. de in integr. reſtit. minor.*

§. *impubes*.

PUpillus non poteſt adire hereditatem ſibi delatam ſine auctoritate tutoris, quia pupillus nec velle, nec nolle creditur, niſi appoſita tutoris auctoritate. Tutoris auctoritas ſupplet judicium animi, quod per ætatem deeſt pupillo; *l. pupillus*, *de R. J.* Sed ſi infanti, id eſt minori ſeptem annis, delata ſit hereditas, tutor poteſt adire hereditatem nomine infantis; *l. ſi infanti*, §. 2. *C. de jur. deliber.* Si impubes ſit, qui in alterius poteſtate eſt, puta ſervus vel filius heres inſtituatur, & juſſu ejus adierit hereditatem, licet conſilii capax non ſit, ei adquirit hereditatem, ex *hoc* §. quia juſſus patris ſupplet ἀτοπίαν, & defectum ætatis pupilli, & auctoritas tutoris in adeunda hereditate ſupplet defectum ætatis pupilli. Hoc diſtat juſſus patris ab auctoritate tutoris, quod auctoritas tutoris interponitur in ipſo negotio; *l. obligari*, §. *tutor ſtatim*, ſupr. *de auctor. tutor.* juſſus vero patris præcedere debet aditionem; *l. ſi quis mihi bona*, §. *juſſum*, infr. *h. tit.*

L. 9.

PUpillus ſi fari poſſit, id eſt ſi ſit major infante, major ſeptem annis, poteſt adire hereditatem tutore auctore, quamvis intellectu careat, & cauſam adquirendæ hereditatis non intelligat, hoc enim ei præſtatur favore ætatis, ex *hac l. l. ſervo invito*, §. *ſi pupillo*, infr. *ad Trebell. l.* 5. *de R. J. l. cum in una*, §. *ult. de appellat.* Solus tutor non poteſt adire hereditatem nomine pupilli, hereditas non poteſt adiri per tutorem, curatorem, vel procuratorem nomine pupilli, vel adulti; *l. per curatorem*, infr. *h. tit. l. potuit*, *C. de jur. deliber.* Sed pupillus vel adultus poteſt adire hereditatem auctore tutore vel curatore. Tutor ſolus non poteſt adire hereditatem ſine actu & voluntate pupilli; *d. l. potuit*. Pupillus non poteſt adire hereditatem ſine auctoritate tutoris, quia ſimilis eſt furioſo, id eſt non ſecus ac furioſus caret intellectu, nec enim ætas illa intelligit etiam quæ videt; *l. 1. C. de falſ. monet.* Hoc diſtat a furioſo, quod pupillus poteſt adire hereditatem tutore auctore: at ſi furioſo hereditas delata ſit, ſolus curator furioſi nomine ipſius adit hereditatem, quia furioſi nulla eſt voluntas; *l. ult.* §. *tali itaque*, *C. de curat. furioſ.*

L. 10.

SI heres ex aſſe deſtinaverit partem hereditatis adquirere, videtur in aſſem pro herede geſſiſſe, ex *hac l.* quia deſtinatio eſt nudum propoſitum animi, quod non mutat ſeu tollit effectum legis, ex qua heres ex aſſe ſi partem adierit

rit, videtur in ſolidum adiiſſe, quia hereditas non poteſt pro parte adiri, pro parte repudiari; *l.* 2. ſupr. *h. tit.* Et hoc verum eſt, ſi heres, ſciens ſe heredem ex aſſe, adierit pro parte. Contra ſi heres ſcriptus ex ſemiſſe, per errorem adierit pro quadrante, nihil agit; *l. ex ſemiſſe*, infr. *h. tit.*

L. 11.

Liberi, qui ſunt in poteſtate morientis, ſunt ſui & neceſſarii heredes, id eſt ipſo jure heredes exiſtunt, antequam ſe immiſceant bonis; *l. in ſuis, de liber. & poſth. l. in ſuis, de ſuis & legitim.* ſed habent beneficium abſtinendi a prætore; §. *ſui autem, inſt. de hered: qualit. & differ. l. neceſſariis*, infr. *h. tit. l.* 1. §. *qui ſunt in poteſtate*, infr. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Liberi heredes inſtituti, ſi ſint impuberes, omnimodo abſtinendi poteſtatem habent, id eſt ſi ſine tutore ſe immiſcuerint, habent poteſtatem abſtinendi ſine beneficio reſtitutionis, quia pupillus non poteſt adire hereditatem ſine tutore, & talis aditio non valet ipſo jure; *l. pupillus*, ſupr. *h. tit. l. obligari*, §. *hereditatem, de auctor. tutor.* Puberes autem ita demum habent beneficium abſtinendi, ſi ſe non immiſcuerint: quod ſi ſemel ſe immiſcuerint etiam ſine curatore, non habent jus abſtinendi, niſi adito prætore per reſtitutionem in integrum, ex *hac l.* cujus veluti commentarius eſt *l. neceſſariis*, infr. *h. tit.* Minores, qui ſemel adierunt hereditatem damnoſam, non habent jus abſtinendi a lege, ſed a prætore per reſtitutionem in integrum; *l. ait prætor*, §. *ſed & ſi hereditatem, de minorib. l. ſi curatorem*, C. *de in integr. reſtit. minor.*

L. 12.

Filius, qui eſt in poteſtate morientis, eſt ſuus & neceſſarius heres, id eſt ipſo jure heres exiſtit, antequam ſe immiſceat bonis: ſed ſi ſe non immiſceat bonis, poteſt abſtinere, ſive major ſit, ſive minor, nec ei neceſſe eſt adire prætorem, ut abſtineat, ſed ſufficit ſe non immiſcuiſſe, ex *hac l. & l.* 1. C. *ſi minor ab hered. ſe abſtin.* Liberi ſunt ſui & neceſſarii heredes, & ipſo jure obligantur creditoribus hereditariis, ſed ſi ſe non immiſceant, non poſſunt conveniri a creditoribus; *l. neceſſariis*, infr. *h. tit.* Et ex reſcripto Severi ad Victorinum nepos ex filio non poteſt conveniri ex avito contractu, nec indiget reſtitutione prætoris, ſi pater ſe non immiſcuit, vel pro herede geſſit, nec quicquam amovit ex hereditate: ſuus heres eſt heres nomine non effectu, niſi ſe immiſceat, vel pro herede gerat.

L. 13.

Hereditas repudiari non poteſt antequam adiri poſſit ex teſtamento, vel ab inteſtato: is poteſt repudiare hereditatem, qui adquirere poteſt; *l. is poteſt*, infr. *h. tit. l. qui poteſt* 174. *de R. J.* Et hoc eſt quod dicitur, jus agnationis pacto repudiari non poſſe; *l. jus agnationis, de pact.* id eſt non poſſe repudiari, ne repudietur hereditas, quæ jure agnationis deferri poteſt, priusquam delata ſit. Heres inſtitutus ex teſtamento, vel heres ab inteſtato, repudiando amittit hereditatem, ſi in ea cauſa ſit hereditas, ut adiri poſſit. Hereditas non poteſt repudiari antequam adiri poſſit. Ut & bonorum poſſeſſio non poteſt repudiari antequam peti poſſit; *l.* 1. §. *decretalis, de ſucceſſ. edict.* Ut heres inſtitutus ſub conditione, ſi ante exiſtentem conditionem repudiet hereditatem, nihil agit, qualis qualis ſit conditio, etſi in arbitrium heredis collata ſit, id eſt etſi ſit poteſtativa; † *ex hac l.* quia qualiſcumque ſit conditio caſualis, vel poteſtativa, hereditas non defertur priusquam conditio extiterit. Ratio dubitandi erat, quod fideicommiſſum in diem vel ſub conditione

reliĉtum, pendente die vel conditione paĉto remitti poteſt *; l.* 1. *l. cum proponas*, *C. de pact. l. de fideicommiſſo*, *C. de transact.* Ergo videbatur & hereditas, quæ debetur ſub conditione, ante conditionis eventum poſſe repudiari. Hereditas ante diem vel conditionem non poteſt repudiari, ex *hac l. & l. qui ſuperſtitis*, infr. *h. tit.* neque legatum conditionale repudiari poteſt ante diem vel conditionem *; l. ſi ita ſcriptum* , *§. ſi ſub conditione* , *de legat.* 2. paĉto remitti poteſt, quia repudiatio eſt voluntatis unius, remiſſio fit paĉto duorum, repudiatio hereditatis eſt aĉtus ſolemnis, qui fit in jure & judicio *; l. ſicut*, *C. de repud. vel abſtin. heredit.* Remiſſio eſt aĉtus non ſolemnis, qui fit nudo paĉto, nuda voluntate, & idcirco hereditas non dum delata facilius paĉto remitti poteſt, vel potius, quod dicitur, fideicommiſſum conditionale, vel in diem, ante diem vel conditionem paĉto remitti poſſe, pertinet tantum ad fideicommiſſum mutuum inter coheredes & fratres, quod paĉto remitti poteſt propter conditionis incertum, ut diſerte proditum eſt in *d. l.* 1. *C. de pact.*

§. *ſi quis* † *dubitet*.

HEres teſtamentarius, vel legitimus, non poteſt adire vel repudiare hereditatem priusquam certus ſit de morte teſtatoris *; §. ult. inſt. de hered. qualit. & differ.* puta ſi heres inſtitutus dubitet vivat teſtator nec ne, repudiando nihil agit, ex *hoc* §. Et heres inſtitutus, ſi putet teſtatorem vivere, quamvis jam defunĉtus ſit, non poteſt adire hereditatem *; l. heres inſtitutus*, infr. *h. tit.*, ut ejus qui eſt apud hoſtes hereditas adiri non poteſt priusquam certum ſit eum mortuum eſſe *; l.* 4. *C. de poſtlim. reverſ.* Hereditatis aditio, & repudiatio, requirit certam ſcientiam de morte teſtatoris, quia viventis nulla eſt hereditas *; l. qui ſuperſtitis*, infr. *h. tit. l.* 1. ſupr. *de hered. vel act. vendit.*

§. *ſubſtitutus*.

SUbſtitutus quoque ſi ante repudiet hereditatem, quam heres inſtitutus decernat de hereditate, id eſt repudiet hereditatem, non valet repudiatio, nec excludit ſubſtitutum ſi caſus ſubſtitutionis extiterit, quia ſubſtitutus non poteſt renunciare juri non dum quæſito *; l. quamdiu 69.* infr. *h. tit.*

§. *ult.*

FIliusf. heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem ſine patre, ne pater ignorans vel invitus per filium obligetur æri alieno & oneribus hereditaris *; l. 6.* ſupr. *h. tit.* nec poteſt repudiare hereditatem ſine patre, neque pater ſine filio: & † pater repudiando ſine filio, non nocet filio, ut *hic*, *& l.* 4. *l. renitente*, *C. de jur. delib. l. ult.* §. 1. *C. de bon. quæ liber. l. filio*, *C. de repud. bonor. poſſeſſ. l. ex repudiatione*, *C. de fideicommiſſ.* ne filio adimatur ſpes adquirendæ ſibi hereditatis ſi fiat ſui juris, id eſt ſi deferatur eo tempore, quo ſui juris erit; in adeunda enim hereditate ſpeĉtatur conditio inſtituti tempore aditionis, ſi ſit liber, ſecus in ſervo. Legatum ſervo reliĉtum dominus poteſt repudiare ſine ſervo *; l. legatum ſervo*, *de legat.* 1. *l.* 1. *§. per ſervum*, *de ſucceſſ. edict.* Idem eſt in filio, cui legitima hereditas defertur ab † inteſtato *; l. ſeq. h. tit.* id eſt non poteſt repudiare hereditatem ſine patre, neque pater ſine filio, & repudiando neuter nocet alteri. Sic ſoluto matrimonio pater non poteſt repetere dotem ſine filia *; l.* 2. §. 1. ſupr. *ſolut. matrimon. l. ſi ſocius*, *pro ſoc.* quia dos eſt utriusque patrimonium.

L. 14.

Digitized by Google

L. 14.

De *hac l.* dictum eſt *in fin. l. prox.*

L. 15.

IS, qui putat ſe ſuum & neceſſarium heredem eſſe, cum ſit voluntarius, id eſt extraneus, non poteſt repudiare hereditatem, nam in adquirenda hereditate plus eſt in opinione, quam in veritate, & magis ſpectatur quod eſt in opinione, quam quod in veritate, ex *hac l.* quia hereditatis aditio conſiſtit in animo; §. *ult. inſt. de hered. qualit. & different.* id eſt requirit certum animi judicium, & qui adit hereditatem certus eſſe debet de morte teſtatoris; *l. qui hereditatem*, infr. *h. tit.* Et hoc ſpeciale eſt in adeunda hereditate: in aliis caſibus opinio cedit veritati, ut in caſu *l. Imperatores*, §. *mulier*, *de probat.* profeſſio matris iratæ & infenſæ marito, ob divortium, profitentis illum filium ſpurium & adulterinum eſſe, non nocet filio, quia veritati ſemper locus ſupereſt, id eſt potior eſt cauſa veritatis. E contrario, qui ſe putat neceſſarium heredem, non poteſt voluntarius exiſtere. Qui per errorem putat ſe ſuum & neceſſarium heredem eſſe, non poteſt adire hereditatem, certus eſſe debet de jure ſuo; *l. qui hereditatem*, *l. in repudianda*, *l. qui* † *ſe pupillum*, infr. *h. tit.*

L. 17.

IS, qui putat teſtamentum nullum, irritum, aut falſum, non poteſt adire vel repudiare hereditatem ex eo teſtamento, quia qui adit vel repudiat hereditatem certus eſſe debet de jure ſuo, an valeat teſtamentum, an verum vel falſum ſit, ex quo aditur hereditas: ideo ſi certum ſit, nullum vel falſum non eſſe quod falſum vel nullum dicitur, poteſt adire vel repudiare hereditatem, ex *hac l. & l. cum quidam*, §. *ult.* infr. *h. tit.* Puta cum falſum teſtamentum dicitur, ſi quidem ipſe heres falſi accuſetur, recte adit hereditatem, quia ipſe certus eſt ſe falſum non feciſſe: quilibet certus eſt de facto ſuo. Si autem alius falſi arguatur, citra conſcientiam ejus, id eſt citra participium ipſius, non poteſt adire quaſi dubitet verum eſſe teſtamentum; *l. cum falſum*, infr. *h. tit.* id eſt donec falſi quæſtio decidatur habet cauſam dubitandi an verum ſit teſtamentum: pendente cognitione falſi, non liquet de jure teſtamenti: qui dubitat de jure ſuo, non poteſt repudiare hereditatem; *l. is qui heres*, §. 1. ſupr. *h. tit.* qui dubitat de viribus teſtamenti, interim hereditatem ex eo adire non poteſt.

§. *heres inſtitutus*.

HEres inſtitutus, idemque legitimus, ſi quaſi inſtitutus repudiet, id eſt ſi repudiet hereditatem ex teſtamento, quaſi legitimus non amittit hereditatem, ſi ignoraverit hereditatem ſibi delatam ab inteſtato: ſed ſi heres inſtitutus repudiet quaſi legitimus, ſi ſciens ſe heredem inſtitutum, videtur utrumque repudiaſſe, id eſt uno actu, una repudiatione, videtur hereditatem repudiaſſe ex teſtamento, & ab inteſtato: ſi ignorans *id* neutrum ei nocet repudiatio, neque ad teſtamentariam, quoniam hanc non repudiavit, neque ad legitimam, quoniam nondum ei fuerat delata, ex *hac l.* id eſt quia ignorabat ſibi delatam: ſucceſſioni ab inteſtato locus non eſt quamdiu locus eſt teſtamentariæ; *l. quamdiu* 39. infr. *h. tit. l. quamdiu* 89. *de R. J.* Heres inſtitutus idemque legitimus omiſſa cauſa teſtamenti, poteſt amplecti hereditatem ab inteſtato, ita ut præ-

ſiet legata teſtamento relicta, perinde ac ſi adierit hereditatem ex teſtamento; ex edicto *ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti*.

L. 18.

De *hac l.* dictum eſt † in *l.* 4. ſupr. *h. tit.*

L. 19.

QUi adit hereditatem, vel petit bonorum poſſeſſionem, ſcire debet cauſam adquirendæ hereditatis; *l. pupillus*, ſupr. *h. tit.* nimirum ſcire debet, an teſtamento, an lege ab inteſtato ſibi deferatur hereditas, an jure patronatus, an jure agnationis; *l. ſi is ad quem*, infr. *h. tit.* certus eſſe debet, teſtatorem defunctum eſſe, ut oſtenditur *hic*. Item certus eſſe debet de viribus teſtamenti, puta teſtamentum juſtum, verum, non nullum, irritum, falſum eſſe; *l. nec is qui*, † ſupr. *l. cum quidam*, §. *ult. l. cum falſum*, infr. *h. tit.* Qui adit hereditatem, certus eſſe debet de morte teſtatoris, ut *hic*, & qui ſuperſtitis bona repudiat nihil agit; *l. neminem*, *l. qui ſuperſtitis*, infr. *h. tit.* quia viventis nulla eſt hereditas; *l.* 1. *de hered. vel act. vend.* Item ſcire debet quia eſt pure inſtitutus, vel conditio inſtitutionis extitit; *l. is qui heres* ſupr. *h. tit.*

L. 20. † *in pr.* & §. 1.

HEreditas defertur ex teſtamento, vel ab inteſtato: ex teſtamento heredibus ſcriptis, ab inteſtato ſuis, vel proximis: hereditas vero delata adquiritur cretione, aditione, geſtione pro herede, immixtione, agnitione. Aditio eſt actus legitimus & ſolemnis, quo in jure judicioque hereditas adquiritur; *l. actus legitimi*, *de R. J.* Hereditatis aditio fiebat in jure judicioque pro tribunali apud prætorem certis & ſolemnibus verbis puta his verbis, *illam hereditatem adeo cernoque*, apud Ulpian. *libr. regular. tit.* 22. §. 28. *l.* 4. & 5. *C. To. de bon matern.* Cretio erat actus ſolemnior, quam ſimplex aditio, adhibitis multis teſtibus; M. Tull. 13. ad Attic. epiſt. † 46. *Ex eo cognovi cretionem Cluvii (o Veſtorium negligentem) liberam cretionem, teſtibus præſentibus, ſexaginta diebus*. Cretio etiam fiebat adhibitis certis ſymbolis, puta percuſſione digitorum, aut ſaltatione; M. Tull. 3. offic. *Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, ut ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletium teſtamenta nomen ejus irrepere, ac vi non utatur. At ſi dares hanc vim M. Craſſo, ut digitorum percuſſione heres poſſet ſcriptus eſſe, qui re vera non eſſet heres, in foro, mihi crede, ſaltaret*. Et apertius Ambroſ. 3. offic. cap. 11. *Non ago in hereditatibus adeundis, digitorum percuſſiones, & nudi ſucceſſoris ſaltationes notabo, nam hæc etiam vulgo notabilia*. Non inepta fuere hæc ſolemnia in adquirenda hereditate, digitorum percuſſio ſcilicet eſt ſignum ſeu ſymbolum adquirendi dominii; Artemidor. libr. 2. cap. 15. Ο' *κονδυλισμὸς δὲ τῶν ἐπιταγῶν*, Condiliſmus, id eſt digitorum percuſſio, imperium, ſaltatio vero eſt ſignum gaudii & lætitiæ, quæ natura animum afficit in proſperis caſibus, ut aditione hereditatis & emptione bonorum; Hieron. in Ezechiel. cap. 7. in illa verba. *Qui emit non lætetur, & qui vendit non lugeat. Naturale eſt*, inquit, *in poſſeſſionum emptione lætari, in venditione lugere*. Aliæ etiam differentiæ fuere inter cretionem & aditionem, quod cretio non niſi ex teſtamento fiebat, aditio vero ex teſtamento vel ab inteſtato; *l. pater*, infr. *h. tit.* Item cretio locum habebat, ubi heres inſtitutus erat cum cretione, id eſt ea lege, ut cerneret hereditatem intra certum tempus, puta intra centum dies proximos, quibus ſcierit poteritque, dato certo ſpatio temporis heredi ſcripto ad deliberandum de

ad-

Digitized by Google

adeunda hereditate, puta his verbis, *Titius heres eſto cernitoque in diebus centum proximis, quibus ſcieris poteriſque; l. ſi quis heres, h. tit.* & apud Ulpian. *d. tit.* 22. §. 27. Aditio vero, cum heres inſtitutus erat ſimpliciter ſine cretione: cretionis autem ſolemnitas ſublata eſt *d. l.* 4. *C. Th. de bon. matern.* Pro herede geſtio eſt modus adquirendæ hereditatis, ſi heres re id eſt facto vel verbo declaret voluntatem ſuam de adeunda hereditate; §. *ult. inſt. de hered. qualit. & diff.* Hæc fuit differentia inter aditionem & pro herede geſtionem, quod aditio erat actus legitimus & ſolemnis; *d. l. actus legitimi:* pro herede autem geſtio erat actus inſolemnis; id eſt omni ſolemnitate carens, quæ fiebat nudo facto, & animo, id eſt nuda voluntate heredis. Item qui partem ſuam neſciebat, id eſt quota ex parte inſtitutus eſſet, per aditionem ſibi adquirere non poterat; *l.* † *ex ſemiſſe*, infr. *h. tit. l. illud*, ſupr. *ſi pars hered. petat.* Idem tamen poterat hereditatem adquirere per geſtionem pro herede; *l. ſi* † *quis extraneus*, §. *ult. h. tit.* quia nihil vetat, illum qui partem neſciat pro herede gerere & heredem fieri. Immixtio & agnitio eſt in ſuis & neceſſariis heredibus, id eſt in liberis, qui erant in poteſtate morientis, aditio in extraneis; §. *in extraneis*, *inſt. de hered. qualit. & diff.* Sui & neceſſarii non dicuntur adire, ſed ſe immiſcere, & agnoſcere paternam hereditatem, non heredes fiunt, ſed ſtatim ipſo jure exiſtunt, & illico apparent; *l. ult.* §. *ſin vero*, *C. de curat. furioſ.* non hereditatem percipere videntur, ſed liberam bonorum adminiſtrationem conſequi: denique immixtio non eſt adquiſitio hereditatis, ſed continuatio dominii; *l. in ſuis*, *de liber. & poſth.* ſuus heres non fit, ſed ipſo jure deprehenditur; *l. pen.* §. *pen.* infr. *de bon. libert.* Effectus aditionis eſt, quod aditione hereditatis adquiritur dominium rerum hereditariarum, poſſeſſio non prius quam corporaliter apprehenſa fuerit; *l. cum heredes*, infr. *de adquir.* † *vel amitt. poſſeſſ.* Ex ſola delatione non adquiritur hereditas, præterquam in ſuis heredibus, defertur enim ignoranti & invito, ſed non adquiritur, niſi volenti; *l. nec emere*, *C. de jur. deliber.* Et aditione hereditatis heres obligatur creditoribus & legatariis quaſi ex contractu; §. *heres*, *inſt. de oblig. quæ quaſ. ex contract. l.* † *ſi quis abſentis*, §. *heres*, infr. *de oblig. & act. l.* 4. *ad Trebell. l.* 3. §. *ult. cum l. ſeq. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur*, adeundo enim heres videtur contrahere cum creditoribus & legatariis. Denique omne jus teſtamenti pendet ex aditione hereditatis: nihil enim debetur ex teſtamento, ex quo non ſit adita hereditas, neque legatum, neque aliud quicquam; *l. ſi nemo*, 9. ſupr. *de teſtam. tutel. l.* † *eam*, *quam*, *C. de fideic.* Et hoc eſt quod dicitur in *l. ſi nemo*, *de R. J.* ſi nemo ſubiit hereditatem, omnem vim teſtamenti ſolvi. Aditio, vel pro herede geſtio, vel immixtio, alia eſt expreſſa, alia tacita, puta ſi filius heres ſcriptus, easdem res, de quibus inſtitutus eſt, alii teſtamento reliquerit, hoc ipſo videtur hereditatem adire, vel ſe immiſcere; *l. ſi avia*, *C. de jur. deliberand.* Idem eſt ſi heres ſcriptus exſolvat æs alienum hereditatis; *l.* 2. *C. eod. l. parentibus*, §. 1. *C. de inoffic. teſtam.* Et pro herede gerere videtur, qui aliquid facit quaſi heres, nam in pro herede geſtione duo concurrere debent, factum, & animus, id eſt deſtinatio animi, & voluntas pro herede gerendi. Et hoc eſt quod ait Ulpian. ex Juliano *init. h. leg.* pro herede gerere, non eſſe facti, quam animi, id eſt non magis facti, quam animi, ut interpretatur Ant. Auguſtin. 4. *emendat. cap.* 8. Pro herede gerere factum demonſtrat, ſed pro herede geſtio non fit nudo facto, ſed in eo etiam requiritur animus pro herede gerendi, & ut quis pro herede gerere intelligatur, hoc animo eſſe debet, ut velit heres eſſe, ut ſubjungitur in *h. l.* ut rem gerat animo heredis: quo ſenſu Paul. *libr.* 4. *ſentent. tit.* 8. §. 6. docet, pro herede gerere eſſe deſtinatione futuri dominii, id eſt animo adquirendi dominii, aliquid ex rebus hereditariis uſurpare. Geſtio pro herede non fit nudo facto, niſi adſit animus & voluntas. In ea tamen maxime ſpectatur ani-

Digitized by Google

mus, ſeu deſtinatio voluntatis. Ideo qui deſtinavit, id eſt apud ſe propoſuit, habere hereditatem, videtur pro herede geſſiſſe; *l. ſi ex aſſe*, ſupr. *h. tit.* & pro herede gerit, qui animo id eſt nuda voluntate agnoſcit hereditatem, licet nihil ex hereditate id eſt ex corporibus hereditariis attingat. Unde ſi heres retineat domum defuncto pignori datam, cujus poſſeſſio qualis qualis fuit in hereditate, item ſi rem alienam poſſideat ut hereditariam, pro herede gerere videtur; *l. gerit*, infr. *h. tit.* Pro herede gerere videtur, qui aliquid facit quaſi heres, unde ſi heres inſtitutus ſub conditione, ſi juraverit ſe daturum, vel facturum, juraverit quaſi heres, id eſt animo heredis, videtur pro herede geſſiſſe; *l. Antiſtius*, infr. *h. tit.* Ceterum ſi quid pietatis, aut cuſtodiæ cauſa fecerit, puta ſi patrem ſepelierit, vel juſta ei fecerit, vel dum deliberat de adeunda hereditate, res hereditarias tempore perituras diſtraxerit, non videtur pro herede geſſiſſe, ut ſubjungitur *in princ. & §. 1. h. leg.* Idem eſt ſi mancipia quædam hereditaria diſtraxerit in ſumptum funeris; *l. 1. C. de jur. deliber.* vel ſi in domo patris habitet, non ut heres, ſed ut inquilinus, vel cuſtos; *l. 1. C. de repud. hered.* Suus heres vel extraneus mortuum funerando, hoc ipſo non videtur adire, vel pro herede gerere, ut docetur in §. 1. *h. leg. & l. 4. l. etſi quis impediat*, §. *plerique*, ſupr. *de religioſ. & ſumpt. funer. l. qui erat, in fin. famil. erciſc.* quia præſumitur pietatis cauſa id facere. Nec obſtat, quod ſi vir uxori heres extiterit, & in funus impenderit, partem videtur impendere quaſi heres, partem dotis nomine, quam lucratur; *l. ſi vir uxori, ad leg. falcid.* quia in eo caſu non quærebatur, an pro herede geſſiſſet, ſed an totum impendiſſet quaſi heres, an partem ex dote quam lucrifecerat. Attamen ſui, vel extranei, cum defunctum funerant, ne ex hoc ſe immiſcuiſſe, vel pro herede geſſiſſe videantur, ſolent teſtari, id eſt per libellum proteſtari, ſe id facere pietatis cauſa, non animo ſe immiſcendi, vel adeundi, ut ſcriptum eſt in §. 1. *h. leg. & in* §. *plerique d. l. & ſi quis impediat*. Proteſtatio hic interponitur juris ſui tuendi cauſa, quia proteſtatio jus conſervat, ut in hoc caſu, & in aliis pleriſque cauſis; *l. 5.* §. *ſi quis ipſi, l. non ſolum*, §. 1. infr. *de nov. oper. nuntiat. l. qui in aliena*, §. *Celſus*, ſupr. *h. tit.*

§. *ſi quid tamen*, † §. *ſed & qui*.

SI quid filius quaſi heres petat, de his quæ ad heredem extraneum non transeunt, puta ſi a liberto patris defuncti operas petat, quas heres extraneus petere non poſſet, non videtur pro herede geſſiſſe, ut oſtenditur in *hoc* §. Aliæ ſunt operæ fabriles, aliæ officiales ſeu obſequiales: fabriles transeunt in heredem quemlibet; officiales tranſeunt in filium, etſi heres non ſit, dummodo non ſit exheredatus, non in heredem extraneum; *l. fabriles, l. operæ*, §. 1. *l. ſi operarum*, infr. *de oper. libert. l. liberti*, C. *eod. l. ſi patroni* infr. *ad Trebell.* Igitur ſi filius petat a liberto patris officiales operas, quæ debentur patrono ſoli, vel filio, non heredi extraneo, non videtur pro herede gerere, quia hujuſmodi operas videtur petere ut filius, non ut heres, magiſque præſumitur eas petere jure ſuo & proprio nomine, quam hereditario. Cum quis aliquid gerit, quod ſuo jure ſuo nomine facere poteſt, magis ſuo jure præſumitur id facere, quam alieno; *l. 4.* infr. *de ſolut.* quoniam diligens quilibet paterf. ita negotium ſuum geſturus videtur; *l. cum ex pluribus, eod. tit.* ne ſc. obligetur oneribus hereditariis, ſi petat quaſi heres. Filius, inquam, petendo a liberto patris operas, quas extraneus heres petere non poſſet, id eſt operas officiales, non videtur pro herede geſſiſſe, cum earum petitio, maxime futurarum, competat etiam non heredibus, ſic legendum, non creditoribus, recte docuit Cujac. in *d. l. ſi patroni*, quæ eſt Papiniani. Merito petendo operas officiales non videtur pro herede gerere, quia filiis patroni, etiam non heredibus, id

eſt

Digitized by Google

eſt ſe abſtinentibus, datur petitio hujuſmodi operarum, dummodo non ſint exheredati, nec creditores poſſunt petere operas officiales a liberto debitoris crediti ſervandi cauſa, poſtquam miſſi ſunt in poſſeſſionem bonorum debitoris crediti ſervandi cauſa, quia hujuſmodi operæ debentur ſoli patrono, vel filio, ita ut non tranſeant in heredem extraneum: filiis patroni etiam non heredibus datur petitio operarum, maxime futurarum, id eſt earum, quæ deberi cœperunt poſt mortem defuncti, id eſt quarum dies ceſſit. Et quæ petitæ ſunt operæ debentur, priusquam earum dies ceſſerit, nec cedit dies priusquam indictæ ſint; *l. ſi quis hac lege*, §. *judicium*, *l. cum* † *patronus*, *l. ſi operarum*, infr. *de oper. libert.* Sed & filius, qui mortuum intulit in ſepulcrum hereditarium, non videtur pro herede geſſiſſe, nec conſequenter obligatur creditoribus hereditariis, ut docet *hic* Ulpianus ex Papiniano, cujus ſententiam ut humaniorem probat, licet pugnantem haberet Julianum. Liberi mortuum inſerendo in ſepulcrum hereditarium, non videntur pro herede gerere, quia jus ſepulcri hereditarii ſervatur liberis etiam exheredatis, niſi teſtator ſpecialiter vetuerit; *l. 6.* † *verſ. exheredatis*, ſupr. *de religioſ. & ſumptib. funer.* atque adeo reſtituta hereditate ex Trebelliano, jus ſepulcri hereditarii apud heredem remanet; *l. quia perinde*, *l. ſi patroni*, §. 3. *verſ. nec ignoro*, inſr. *ad Trebell.*

§. *Papinianus*.

AN filius heres inſtitutus accipiendo pecuniam a ſtatulibero, id eſt a ſervo manumiſſo ſub conditione dandi decem vel viginti heredi, videatur pro herede gerere, & ex eo obligetur creditoribus hereditariis, dubitatum eſt. Quidam vulgo exiſtimabant, ut refertur *hic* a Papiniano, filium heredem inſtitutum, qui ſe abſtinuit, ſi a ſtatulibero pecuniam acceperit, pro herede geſſiſſe videri, ita ut a creditoribus hereditariis valeat conveniri, ſive nummi peculiares fuerint, ſive non, quia quod conditionis implendæ cauſa datur, ex defuncti voluntate accipitur, vel ſaltem quaſi ex voluntate teſtatoris; *l. Papinianus*, §. *ſi conditioni*, ſupr. *de inoffic. teſtament.* & hoc maxime ſi quod datur a ſtatulibero ſit de nummis peculiaribus, quia pecunia hereditaria eſt; *l. nec ullam*, §. † 6. *verſ. ſed Sabinus*, ſupr. *de petit. heredit.* Idem multo magis dicendum exiſtimavit Julianus, etiam filio non abſtinente. Papinianus hac diſtinctione utitur, ſi filius ſolus eſt heres inſtitutus, accipiendo pecuniam a ſtatulibero, qui manumiſſus eſt ſub conditione dandi decem vel viginti heredi, videri pro herede geſſiſſe: quod ſi coheredem habeat, qui pro parte ſua adierit hereditatem, & filius abſtinuit, & poſtea accepit pecuniam a ſtatulibero, non videri pro herede geſſiſſe, & conſequenter non teneri creditoribus hereditariis: nam cum filius abſtinet, idem debet conſequi jure prætorio, quod conſequitur emancipatus, qui hereditatem repudiavit, ut ſe. creditoribus hereditariis non teneatur. Sui ſunt neceſſarii heredes, id eſt ipſo jure inviti heredes exiſtunt jure civili, ſed habent beneficium abſtinendi a prætore, & poſt abſtentionem non poſſunt conveniri a creditoribus hereditariis; *l. neceſſariis*, infr. *h. tit. l. ex contractu*, *de re judicat. l.* † *eum*, *qui*, *C. arbitr. tutel.* quo facto, id eſt ſi filius abſtinuerit, & poſtea acceperit pecuniam a ſtatulibero, qui nominatim juſſus erat dare filio, non heredi, ſtatuliber ad libertatem perveniet dando filio & non heredi, id eſt etiam ſi ſe abſtinuit, & heres hoc caſu accipiendo pecuniam a ſtatulibero, non videtur pro herede gerere, quia non accipit ut heres, ſed potius ut filius, & tunc dicendum eſt filium pro herede gerere, quoties aliquid facit, quod citra nomen & jus heredis facere non poſſet, ut concluditur *in fin. h.* §. Filius, qui ſe abſtinuit, accipiendo pecuniam a ſtatulibero videtur pro herede gerere, ſi ſit heres ex aſſe, non adjecto coherede, tunc enim non niſi ut heres accipere poteſt, nec alia interpretatio accipi poteſt. Ubi vero ad-

Digitized by Google

jectus eſt coheres, qui pro parte ſua adiit, tunc filius accipiendo pecuniam, quæ datur a ſtatulibero conditionis implendæ cauſa, non videtur pro herede gerere, quia præſumitur eam accipere ut filius, non ut heres, & quod a ſtatulibero vel a legatariis datur conditionis implendæ cauſa, id heres non capit jure hereditario, ſed magis mortis cauſa, quam ob cauſam heredi non imputatur in falcidiam; *l. in ratione* 30. §. *tametſi*, *l. id autem*, infr. *ad l. falcid.* nec venit in reſtitutionem fideicommiſſi; *l. qui heredi*, §. *cum hereditas*, infr. *de condit. & demonſtrat.*

§. *ult.*

Filius, qui agit actione ſepulcri violati, licet hereditarium ſit, non videtur ſe bonis immiſcere, quia hac actione nihil capit ex bonis patris, hæc enim actio eſt pœnalis, non rei perſecutoria, hæc actio pœnam & vindictam potius, quam rei perſecutionem continet, ut exponitur in *hoc* §. Et hoc eſt quod dicitur in *l. quæſitum*, infr. *de ſepulcro violat.* actionem ſepulcri violati tranſire in heredem ſuum & neceſſarium, qui bonis ſe non immiſcuit, quia hæc actio in bonum & æquum concepta eſt, id eſt orta eſt ex bono & æquo & æquitate naturali, & datur cuilibet, cui æquum ſit eam dari, & merito datur filio, qui etiam ſi abſtineat, habet jus ſepulcri quamvis hereditarii; *l.* 6. ſupr. *de religioſ.* Adeoque filius, qui ſe abſtinuit, ſi agat actione ſepulcri violati, non tamen conveniri poteſt a creditoribus hereditariis, quia etſi per hereditatem, id eſt propter hereditatem vel occaſione hereditatis, obtingit hæc actio, non eſt hereditaria, nihil enim per eam capitur ex defuncti bonis, nec ex defuncti voluntate, & quod ex ea actione pervenerit, non in rei perſecutione, ſed in ſola vindicta conſiſtit, ut recte dicitur in *d. l. quæſitum*.

L. 21.

Pro herede gerere videtur, qui aliquid facit quaſi heres, animo heredis, animo adquirendæ hereditatis; *l. prox.* ſupr. *h. tit.* Idcirco ſi extraneus heres inſtitutus, rem hereditariam quaſi ſubripiens, quaſi expilans tenet, non gerit pro herede, nam admiſſum, id eſt delictum, contrariam voluntatem declarat, ut eleganter dicitur *init. h. leg.* Extraneus non videtur pro herede gerere, qui rem hereditariam occupat animo ſubripiendi & expilandi quaſi rem alienam, quia habet animum furandi potius & contrectandi rem alienam, quam adeundi: nihil tam contrarium adquiſitioni hereditatis, quam animus furandi: furtum non fit rei ſuæ, ſed alienæ tantum. Qui ſubripit rem hereditariam proprie furtum non facit, quia rei hereditariæ furtum non fit; *l. hereditariæ rei*, infr. *de furt.* quia furtum non fit, niſi rei quæ poſſidetur, hereditas autem a nemine poſſidetur; *l.* 1. §. *Scævola*, *ſi is qui teſtam. liber. eſſe juſſ. l. ult. expilat. heredit. l. in eo*, *de adquir. rer. domin.* Sed quaſi furtum facit, quia habet animum furandi, non pro herede gerendi. Secus ſuus heres, ſi dicat ſe nolle heredem eſſe, aliquid autem ex hereditate amoveat, ſe immiſcere intelligitur, ita ut ex eo beneficium abſtinendi amittat; *l. ſi ſervum quis*, §. *prætor ait*, & *ſeqq.* infr. *h. tit.* mitius agitur cum ſuo herede, quam cum extraneo. Suus heres ſi rem hereditariam amoveat, honeſta interpretatione non animo amovendi res contrectare creditur, ſed potius animo ſe immiſcuiſſe, non delinquere ſed immiſcere ſe creditur, ut optime ait Accurſ. *hic*. Sui ſunt neceſſarii heredes, qui ſtatim ipſo jure heredes exiſtunt, etiam non apertis tabulis & citra aditionem; *l. in ſuis*, ſupr. *de liber. & poſth. l. in ſuis*, infr. *de ſuis & legitim. l.* 3. *C. de jur. deliber.* & ideo facilius creditur ſuus rem accipere quaſi hereditariam, quam amovere, attingere quaſi alienam: lex maluit interpretari, filium ſi amoveat res hereditarias videri ſe immiſcere, quam

res

res hereditarias ſubripere, honeſta interpretatio a lege ſumitur pro liberis, ut conſulatur eorum famæ & pudori : ſic ſui non dicuntur furari, vel ſubripere res hereditarias, ſed amovere ; *d. l. ſi ſervum.*

§. *interdum*, † §. *ſed ita demum.*

PRo herede geſtio eſt facti & animi, ut oſtenditur *init. l. prox.* ſupr. *h. tit.* id eſt pro herede gerere videtur, non qui ſolo corpore attingit res hereditarias, ſed qui corpore & animo adquirendæ hereditatis. Sed maxime inſpicitur animus, & in hanc ſententiam pro herede gerere dicitur, qui animo agnoſcit hereditatem, licet nihil hereditarium attingat. Unde & ſi domum pignori datam ſicut hereditariam retinuit, cujus poſſeſſio qualis qualis fuit in hereditate, pro herede gerere videtur, idemque eſt ſi alienam rem ut hereditariam poſſideat ; *l. gerit*, infr. *h. tit.* Sed hoc generaliter non eſt admittendum, ſed in caſibus tantum expreſſis a jure : & hæc eſt ſententia Ulpiani in *hoc* §. cum ait, interdum animum ſolum heredem obſtringere hereditati, puta ſi re non hereditaria, quam ſc. per errorem putat hereditariam, ut hereditaria utatur. E contrario filius, qui nondum ſe immiſcuit bonis paternis, ſi forte fundum paternum ut maternum ignorans poſſideat, non videtur ſe immiſcere bonis paternis, nec ex eo amittit beneficium abſtinendi bonis paternis ; *l.* † *cum bonis*, infr. *h. tit.* quod in pro herede geſtione, vel immixtione maxime ſpectatur animus heredis, nec pro herede gerere vel ſe immiſcere videatur, qui non habet animum adeundi, & qui errat cum fundum paternum poſſideat ut maternum. Velle & conſentire non dicitur qui errat, nihil enim tam contrarium eſt conſenſui & voluntati, quam error ; *l. ſi per errorem*, ſupr. *de juriſdict.* Effectus idem eſt aditionis & geſtionis pro herede, nempe ut adquiratur hereditas. Aditio & pro herede geſtio eſt in extraneis, immixtio in ſuis : Et ſic eum bonis ſe miſcere convenit, qui remoto familiæ vinculo, id eſt ſublata patria poteſtate, quæ eſt totius familiæ vinculum, quo continentur liberi, id eſt inter ſe conjunguntur, pro herede gerere videretur ; *l. cum bonis*, infr. *h. tit.* Et hoc juris etiam commune eſt pro herede geſtioni, cum aditione, quod ſicut hereditas non poteſt adiri antequam delata ſit, ut *hic* † *in* §. *ſed ita demum*, *& in l. neminem*, infr. *h. tit. l. puberem*, *C. de jur. deliber.* Ceterum ex quibus cauſis qui repudiat hereditatem nihil agit, ex iiſdem cauſis, nec quicquam agit, qui pro herede gerit, ut additur *in fin. h.* §. † *ſed ita demum.* Sicut enim hereditas non poteſt repudiari antequam delata ſit ; *l. is qui heres*, † ſupr. *l. qui ſuperſtitis*, infr. *h. tit. l. ſi ita ſcriptum*, §. *ſi ſub conditione*, *de legat.* 2. ita nec hereditas adquiri poteſt per aditionem, vel pro herede geſtionem antequam delata ſit.

§. *ſi quis partem.*

QUi ignorat partem ex qua inſtitutus eſt, non poteſt adire hereditatem ; *l. illud*, ſupr. *ſi pars hered. pet.* exempli gratia inſtitutus ex ſemiſſe, ſi per errorem adeat ex quadrante nihil agit ; *l. ex ſemiſſe*, infr. *h. tit.* quia qui adit hereditatem certus eſſe debet de jure ſuo ; *l. qui hereditatem*, ſupr. *l. heres inſtitutus*, *cum dd. ſeqq.* infr. *h. tit.* Aditio hereditatis eſt actus legitimus & ſolemnis ; *l. actus legitimi*, *de R. J.* in quo qui adit hereditatem certus eſſe debet de jure ſuo. Qui vero partem ex qua inſtitutus eſt ignorat, non vetatur pro herede gerere, non ſolum ſi inſtitutus ſit pure, ſed etiam ſi ſub conditione, quam ignoret extitiſſe, dummodo extiterit : illud ſane inſpiciendum eſt, ubi heres inſtitutus eſt ſub conditione, an illa conditio ſit facti, an juris. Conditio facti, id eſt quæ conſiſtit in facto, puta ſi navis ex Aſia venerit, etiam ſi impleta ſit impedit aditionem hereditatis, quamdiu ignorat he-

Digitized by Google

res eam impletam eſſe. Conditio juris, quæ venit ex jure, puta ſi eſſet paterf. non impedit aditionem, cum extiterit etiam ignorante inſtituto; *l. multum*, infr. *de condit. & demonſtrat.* Inſtitutus ſub conditione non poteſt adire hereditatem pendente conditione; *l. ei qui ita*, ſupr. *de condit. inſtit.* Qui non ignorat conditionem ſub qua inſtitutus eſt, ignorat tamen conditionem extitiſſe, quæ revera extitit, poteſt adire hereditatem, ex *hoc* §. puta ſi conditio ſit facti. Quemadmodum & heres inſtitutus ex parte, idemque ſubſtitutus coheredi in caſum vulgarem ſi heres non eſſet, poteſt adire hereditatem etſi ignoret partem coheredis, cui ſubſtitutus eſt, eo repudiante ſibi delatam, ut oſtenditur in *fin. h.* §. quia coheres idemque ſubſtitutus coheredi, eo repudiante videtur ab initio inſtitutus ex aſſe, unde ſubſtitutus præfertur conjuncto; *l. coheredi*, §. *qui diſcretas*, *de vulg. & pupill. l. unic.* §. *in primo*, §. † *ſin autem*, *C. de caduc. tollend.* Inſtitutus ſub conditione dandi quinque, qui putat ſe inſtitutum ſub conditione dandi decem, dando decem poteſt adire hereditatem; *l. qui putat*, *in princ.* infr. *h. tit.* non videtur conditionem ignorare, qui putat ſe inſtitutum ſub conditione dandi decem, cum inſtitutus ſit ſub conditione dandi quinque, quia majori ſummæ minor ineſt; *l. diem proferre*, † §. *ſi plures*, *de recept. qui arbitr. l.* 1. §. *ſi ſtipulanti*, *de V.O.* & ita non obſtat quod dicitur in *d. l. multum*, non videri paruiſſe conditioni facti heredem, qui ignorat eam impletam eſſe, quia non videtur ignorare conditionem, qui putat conditionem dandi, quæ eſt facti, eſſe graviorem quam eſſet.

L. 22.

QUi adit hereditatem ſcire debet cauſam adquirendæ hereditatis, ex qua cauſa ſibi deferatur hereditas, ex teſtamento, an ab inteſtato, ex *hac l. l. pupillus*, ſupr. *l. ſi quis mihi bona*, §. *aliter atque*, *l. pater*, infr. *h. tit.* Alias ſi quis ignorans cauſam adquirendæ hereditatis adeat hereditatem, vel pro herede gerat, non obligatur hereditati, id eſt adeundo vel pro herede gerendo non obligatur creditoribus & legatariis, & poſtquam ſcivit ex qua cauſa deferretur hereditas, ei integrum eſt repudiare, vel adire, quod probatur variis exemplis in *hac l.* ut ſi is, qui erat legitimus heres defuncti, puta agnatus proximus, putaverit per errorem defunctum ſervum ſuum eſſe, & quaſi peculium ejus nactus ſit, id eſt bona occupaverit jure peculii, quaſi dominus, non quaſi heres, quia ſervus non habet heredem; *l. ſervus*, *C. commun. de ſucceſſ.* non obligatur hereditati, id eſt non tenetur creditoribus & legatariis ultra vires peculii. Multum intereſt utrum bona capiat jure peculii, an jure hereditatis. Si enim bona occupet jure peculii, non tenetur creditoribus in plus quam eſt in peculio. Sed ſi bona capiat jure hereditatis, tenetur creditoribus, niſi confecto inventario. Idem de patre dicendum eſt in bonis adventitiis filii; *l. ſi infanti*, *C. de jur. delib.* Idem ſi quis defuncti bona occupet jure patronatus quaſi liberti ſui, cum eſſet ingenuus, non obligatur hereditati. Nam, ut quis pro herede gerendo obligetur hereditati, ſcire debet qua ex cauſa ſibi deferatur hereditas. Idem eſt ſi agnatus teſtamento inſtitutus heres nondum prolatis tabulis, cum exiſtimaret patremfamilias inteſtatum, omnia pro domino fecerit, id eſt quaſi heres ab inteſtato. Veteribus heres appellatione domini continebatur; §. *ult. inſt. de hered. qualit. & diff. l. dominus de condict. indebit.* heres tamen non erit, id eſt non obligatur hereditati, & prolatis tabulis ei integrum eſt adire, vel repudiare hereditatem ex teſtamento. Idem juris eſt, ſi non juſto teſtamento heres ſcriptus, cum putaret juſtum, omnia pro herede geſſerit, & prolatis tabulis appareat non juſtum eſſe, non adquirit hereditatem, id eſt prolatis tabulis poteſt repudiare, vel adire hereditatem quaſi re integra: non videtur adiiſſe hereditatem, qui adiit ignorans cauſam adquirendæ hereditatis.

Heres pro domino; Plaut. in Menechm. (3. 2. 12.) *Hanc cujus heres numquam erit poſt hunc diem*, & infr. (ibid. 28.) *quoi ego aque* † *ac heres eram*. Cujac. 10. *obſ.* 16.

L. 23.

L. 23.

QUi repudiat hereditatem vel legatum certus eſſe debet de jure ſuo, ex *h. l.* Repudiatio & aditio eodem jure reguntur; *l. is poteſt*, ſupr. *h. tit.* Sicut qui adit hereditatem certus eſſe debet de jure ſuo, id eſt certus eſſe debet ſibi delatam eſſe hereditatem; *l. prox. l. is qui heres*, ſupr. *h. tit.* ita & qui repudiat hereditatem. Alioquin qui adit vel repudiat hereditatem incertus, vel dubitans de jure ſuo, nihil agit, id eſt non obligatur hereditati, & qui adit hereditatem ex teſtamento; quod putat valere, non videtur repudiare legitimam hereditatem, quam neſcit ſibi deferri; *l. mater*, *verſ. ceterum*, ſupr. *de inoff. teſt.*

L. 24.

IN quæſtionem deductum eſt, an pro herede gerere videatur, qui pretium omittendæ hereditatis, id eſt pro omittenda hereditate, mortis cauſa capit. Et poſt variam diſputationem obtinuit, hunc pro herede quidem non gerere, qui ideo pretium accepit ne heres ſit, tamen incidit in edictum prætoris, id eſt tenetur edicto prætoris *ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti*, ut teneatur præſtare legata ex edicto prætoris; *l.* 2. *&* 3. infr. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. l.* † 1. C. *eod.* Qui pecuniam accipit omittendæ hereditatis cauſa, non videtur pro herede gerere, quia accipit ne ſit heres, & non capit jure hereditario, vel ex hereditate, ſeu ex voluntate defuncti, ſed mortis cauſa capit a ſubſtituto, vel herede legitimo, ad quem perventura eſt hereditas: qui pretio accepto hereditatem prætermittit, ſive ad ſubſtitutum, ſive ad heredem legitimum perventura ſit hereditas, mortis cauſa capere videtur, nam quicquid propter alicujus mortem, id eſt occaſione mortis alicujus, obvenit, mortis cauſa capitur; *in princ. l.* † *qui pretio*, *l. mortis cauſa capitur*, infr. *de mort. cauſ. donat.* Idem eſt ſive a ſubſtituto, ſive a legitimo herede accepit heres, mortis cauſa accepiſſe videtur, ut *hic*, *& d. l. qui pretio*. Idemque erit etſi non accepit, ſed promiſſa ſit ei pecunia, nam & ſtipulando mortis cauſa capit, ut *hic*, *& d. l. mortis cauſa capitur*, *l. mortis cauſa donatio* 34. *eod. tit.* Pro herede gerere non videtur, qui pecuniam accipit omittendæ hereditatis cauſa, quia accipit ne ſit heres, & ita omnino abeſt a propoſito & conſilio heredis: ſed ſi accepit vel ſtipulatus eſt dari, mortis cauſa capere videtur, ad hoc ut teneatur legatariis ex edicto *ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti*, quia rem habere videtur, qui habet pretium rei, vel actionem ad rem conſequendam; *l. rem in bonis*, *de adquirendo rerum domin. l. bonorum*, *l. id apud*, *de V. S.*

L. 25.

SI ſervus alienus, qui mihi bona fide ſervit, putans ſe eſſe ſervum meum, heres inſtitutus ſit, & juſſu meo adeat hereditatem, nihil promovebit, id eſt nihil proderit, ut adquirat mihi hereditatem: nec fructuarius quidem, id eſt ſi ſervus, in quo uſumfructum habeo, heres inſtitutus juſſu meo adeat hereditatem, adeundo adquiret mihi hereditatem, ex *hac l.* quia ſervus adquirit fructuario ex duabus cauſis tantum, ex re ipſius, & ex operis ſuis, ideoque fructuario numquam adquirit hereditatem; *l. aditio*, §. *preterea* infr. *h. tit.* quia hereditas id eſt hereditatis aditio non eſt in operis ſervi; *l. fructuario*, *de adquir. rer. domin.* & ita non eſt in fructu, ut per ſervum adquiratur fructuario, uti quod provenit ex operis ſervi, niſi heres inſtitutus ſit contemplatione fructuarii, quo caſu ſi fructuarii juſſu adeat hereditatem adquirit fructuario; *l. ſi ſervi*, *& ſeq.* ſupr. *de uſufruct. l. ſed ſi plures*, §. *in adrogato*, *de vulgar. & pupillar.*

Digitized by Google

§. *ſervus*.

SI ſervus municipii, curiæ, vel collegii, heres inſtitutus manumiſſus ſit, vel alienatus, adibit hereditatem: nimirum ſi manumiſſus ſit, ſuo arbitrio adibit, & ſibi adquiret hereditatem: ſi alienatus, juſſu domini in cujus poteſtate erit; *l. Amiſſius*, §. 1. infr. *h. tit.* §. *ſervus*, *inſt. de hered. inſtit.* Quod ſi ſervus municipii, curiæ, vel collegii, heres inſtitutus in eadem cauſa permanſerit, juſſu municipum, curiæ, vel collegii adibit, & ei adquiret hereditatem. Nec obſtat, quod univerſitas dicitur non poſſe conſentire; *l.* † *un.* §. 1. *de libert. univerſitat. l. ſed & ex dolo*, §. 1. ſupr. *de dol.* quia univerſitas non poteſt conſentire vel jubere per ſe, ſed per alium, id eſt per ſyndicum vel curatorem, qui adminiſtrat res municipii, vel collegii; *d. l.* † *unic. l. municipibus*, *de condit. & demonſtrat.* & hoc intelligendum eſt, cum collegium eſt licitum, quia collegium niſi licitum ſit non poteſt capere hereditatem; *l. cum ſenatus*, *de reb. dub. l.* † *hereditatem*, *C. de hered. inſtit.*

† Corrige *hereditatis*, & v. ſi facit. Adde *l. collegium*, *C. eod. tit. l.* 1. 2. & 3. *C. de incert. perſon.*

§. *ſi fiſci ſervus*.

SI ſervus fiſci heres inſtitutus, juſſu procuratoris Cæſaris adeat hereditatem, fiſco adquiret hereditatem: fiſcus adquirit hereditatem per ſervum adeuntem juſſu procuratoris Cæſaris; *l. aufertur*, §. *ſervus*, infr. *de jur. fiſc. l.* 1. *in fin.* ſupr. *de offic. procur. Cæſ.* & hoc ſpeciale eſt in fiſco. In privatis hereditas non poteſt adquiri per procuratorem; *l. per curatorem*, infr. *h. tit.*

§. *ſi quis plane*.

DAmnati ad gladium, vel ad beſtias, vel in metallum fiunt ſervi pœnæ, ex *hoc* §. *l. aut damnum*, §. *quicumque*, infr. *de pœn.* Si ſervus pœnæ id eſt damnatus ad gladium ad beſtias vel in metallum, heres fuerit inſtitutus, pro non ſcripto hoc habetur, inſtitutio nulla eſt, ſervus pœnæ non adquirit hereditatem fiſco, quia damnati in metallum fiunt ſervi pœnæ, non fiſci vel Cæſaris; *l. in metallum*, infr. *de jur. fiſc. l. ſi in metallum*, *de his quæ pro non ſcript. habent.*

§. *juſſum*.

FIliusf. vel ſervus heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris vel domini, nec pupillus ſine auctoritate tutoris; *l. qui in aliena*, *l. pupillus*, ſupr. *h. tit.* In adeunda hereditate hoc diſtat juſſus ejus qui in poteſtate habet, ab auctoritate tutoris, quod juſſus patris vel domini præcedere debet aditionem hereditatis, auctoritas tutoris interponitur perfecto negotio, id eſt in ipſo negotio; *l. obligari*, §. *tutor*, *de auctor. tut.* §. *tutor*, *inſt. eod. tit. l. numquam*, *de uſucap.* vel ſtatim in continenti poſt perfectum negotium, quia quæ in continenti fiunt ineſſe videntur; *l. lecta*, *de reb. credit. l. petens*, *C. de pact.* Aliud eſt in hereditate caſtrenſi, puta filiusf. heres inſtitutus a commilitone, vel ab alio occaſione militiæ, citra juſſum patris ſuo arbitrio poteſt adire hereditatem vel pro herede gerere; *l.* 5. infr. *de caſtrenſ. pecul.* quia filius in caſtrenſi peculio pro patrefamilias habetur: & in adventitia hereditate, recuſante patre, id eſt non conſentiente, filiusf. per ſe poteſt adire hereditatem; *l. ult. C. de bon. quæ liber.* ne patris moroſitas noceat filio. Extra hos caſus filiusf. heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris, ita ut juſſus præcedat, in aliis caſibus ratihabitio ſufficit, quia ratihabitio retro trahitur, & mandato comparatur; *l. ult. C. ad Macedon. l. ſi autem*, §. 1. *de aqu.* &

& aqu. pluv. arcend. In adeunda hereditate juſſus præcedere debet, & fieri poteſt etiam per nuntium vel epiſtolam, ut additur *in fin. hujus* §. ſecus eſt in auctoritate tutoris. Tutor pupillo præſens auctor eſſe debet *; d. l. obligari*, §. *tutor.* In petenda bonorum poſſeſſione filiof. delata, ſola ratihabitio patris ſufficit *; l. 1. C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.*

§. *ſed* † *utrum.*

FIliusf. heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris, & in adeunda hereditate juſſus præcedere debet, nec ſufficit mandatum generale: puta ſi pater mandaverit generaliter adiri hereditatem, quæcumque hereditas filio delata fuerit. Et magis placet mandatum ſpeciale requiri in adeunda hereditate. In multis caſibus mandatum generale non ſufficit, immo mandatum ſpeciale requiritur, ut *hic* filiusf. non poteſt adire hereditatem ſine ſpeciali juſſu patris, & minor non poteſt petere reſtitutionem per procuratorem, qui generale mandatum habet negotiorum gerendorum, ſed tantum per procuratorem, cui id ipſum nominatim mandatum ſit *; l. illud*, §. †. *ſi talis*, *de minorib.* Et procurator, qui generale mandatum habet, non poteſt tranſigere de certa lite *; l. mandato generali*, *de procurator.* Et filiaf. non poteſt nubere ſine ſpeciali conſenſu patris generali mandato quærendi mariti, id eſt ſi pater generale mandatum quærendi mariti dederit filiæ familias, nuptiæ non contrahuntur, niſi prius demonſtrata perſona viri pater nuptiis conſenſerit *; l. generali*, *de rit. nuptiar.*

§. † *an nominatim.*

SI pater nominatim mandaverit filio, qui eſt in poteſtate, de vivi hereditate, id eſt de adeunda viventis hereditate, aditio non valet etiam ſi nominatim & ſpecialiter a patre mandatum ſit adiri hereditatem, quia viventis hereditas adiri non poteſt *; l. neminem*, *l. qui ſuperſtitis*, infr. *h. tit.* viventis nulla eſt hereditas *; l.* 1. *de heredit. vel act. vendit.* Improbus eſt, qui ſollicitus eſt de viventis hereditate *; l.* 2. §. † 2. infr. *de vulgar. & pupillar. l. ult. C. de pact.* Plane ſi rumor fuerit teſtatorem deceſſiſſe, poteſt mandari filio, ut hereditatem adeat ſi ſcriptus ſit heres, vel ſi adhuc clauſis tabulis incertum ſit an filius ſcriptus ſit heres: & aditio valet, modo filius tempore aditionis ſciat teſtatorem mortuum eſſe & delatam ſibi eſſe hereditatem *; l. is qui heres*, ſupr. *l. heres* 32. *in princ.* infr. *h. tit.*

§. *ſed* † *quid ſi.*

SI pater mandaverit filio, ut hereditatem colligat, vel ut petat bonorum poſſeſſionem, aut ut rem hereditariam diſtrahat, aut petitam per filium bonorum poſſeſſionem ratam habuit, vel ſi mandavit filio pro herede gerere, & filius adierit hereditatem, his omnibus caſibus filius juſſu patris adiiſſe hereditatem videtur, quia juſſus adeundæ hereditatis eſt facti, non juris, & quibuscumque verbis concipi poteſt, modo appareat de voluntate: melius eſt ſenſum verborum potius, quam verba ampleсti *; l.* 3. §. *conditio*, *de adimend. legat.* Si pater mandet filio, ut hereditatem colligat, vel pro herede gerat, & ſimilia, videtur juſſiſſe, ut adeat hereditatem, quia hic juſſus idem operatur & importat, quod juſſus adeundæ hereditatis.

§. *pater*, §. † *quid ſi.*

SI pater ita ſcripſerit filio, *ſcio, fili, quod pro tua prudentia invigilabis hereditati delatæ tibi Lucii Titii*, vel ſi mandaverit filio, ut adeat ſi expediat adire, ſi adeat hereditatem, juſſu patris adiiſſe videtur, & valet aditio. Ratio dubitandi erat, quod hæc verba videntur non inducere juſſum, ſed ma-

Digitized by Google

gis conſilium, quod non eſt obligatorium; *l. cum pater*, §. *mando*, *de legat.* 2. Sed in adeunda hereditate juſſus inducitur ex his verbis, quia magis ſpectatur ſententia, quam tenor verborum. Et pater mandando filio, ut invigilaret hereditati delatæ, non alio animo videtur mandaſſe, quam ut adiret hereditatem, quia hæc verba, *ſcio quod invigilabis hereditati delatæ*, præſupponunt aditionem hereditatis, vix enim eſt ut invigiletur hereditati, niſi aditæ.

§. *ſi coram*.

SI pater juſſerit filium heredem inſtitutum adire hereditatem coram Titio, vel arbitrio Titii, recte juſſiſſe videtur, & aditio hereditatis non valet, niſi adeat præſente Titio, vel adhibito conſilio Titii. Sic ſi tutor datus rogatus ſit adminiſtrare tutelam conſilio † Titii fratris, ſi a debitoribus hereditariis nomina exegerit ſolus ſine Titio, non liberat debitores; *l. Titium*, *de adminiſtr. tut.*

§. *ſed ſi mandavit* 11.

SI pater mandaverit filio quaſi ex aſſe inſtituto, ut adiret hereditatem, & inveniatur ex parte inſtitutus, ſi adeat hereditatem, non videtur adiiſſe juſſu patris. Quod ſi pater mandaverit filio, quaſi ex parte inſtituto adire hereditatem, & inveniatur inſtitutus ex aſſe, poteſt ex aſſe adire hereditatem, & videtur adire juſſu patris, quia pater, qui juſſit adire hereditatem ex parte, multo magis videtur juſſiſſe adiri ex aſſe, cum ex eo melior fiat conditio filii: pietas paterni nominis ſemper conſilium capit pro liberis; *l. nec in ea lege*, §. *ult. ad leg. Jul. de adulter.* pater ſemper præſumitur ſtudere commodis liberorum. Si pater mandaverit filio quaſi heredi ab inteſtato, ut adiret hereditatem, & filius ex teſtamento adierit, non videtur adiiſſe juſſu patris, & aditio nulla eſt, ne deterior fiat conditio patris aditione ex teſtamento, forte quia hereditas eſt onerata legatis. At ſi pater mandaverit filio quaſi heredi ex teſtamento, ut adiret hereditatem, filius poterit adire & ab inteſtato ſi ſit proximus ab inteſtato, quia non facit deteriorem conditionem patris, cui per filium adquiritur hereditas, immo meliorem efficit, quia non tenetur legatis. Et ſi pater mandaverit filio quaſi inſtituto, ut adiret, & inveniatur ſubſtitutus, & adeat ex cauſa ſubſtitutionis, videtur juſſu patris adiiſſe & e contra, quia nihil fere intereſt utrum adeat ex inſtitutione, vel ſubſtitutione, quia non ſit deterior conditio patris, utroque caſu per filium hereditas patri adquiritur, niſi ab inſtituto legata relicta ſint, a ſubſtituto nulla.

§. *ſed ſi mandavit* 12.

SEd ſi pater mandaverit filio, ut adiret hereditatem patris quaſi inſtituto teſtamento paterno, & is ſit ſubſtitutus impuberi, juſſus patris non ſufficit, ut adeat hereditatem ex ſubſtitutione pupillari, quia licet unum ſit teſtamentum pupillare & paternum, duæ ſunt hereditates; *l.* 2. §. *prius autem*, *de vulgar. & pupillar.*

§. *plane ſi*.

SI pater mandaverit filio, ut adeat ſi qua ex teſtamento L. Titii deferatur hereditas, ſi ſit ſubſtitutus pupillariter, videtur juſſu patris adiiſſe ex ſubſtitutione pupillari, quia unum eſt teſtamentum pupillare & paternum, licet duæ ſint hereditates; *d. l.* 2. §. *prius autem*. Nec obſtat quod juſſus adeundæ hereditatis debet eſſe ſpecialis, nec ſufficit generalis; §. † *ſed utrum*, ſupr. *hac l.* quia juſſus eſſet generalis ſi conciperetur ita, *quæcumque deferatur hereditas*
ſed

ſed juſſus videtur ſpecialis ita conceptus, *ſi qua ex teſtamento L. Titii deferatur hereditas*, & juſſus comprehendit etiam caſum ſubſtitutionis pupillaris, quia unum eſt teſtamentum pupillare & paternum, licet duæ ſint hereditates.

§. † *ſed ſi poſteaquam*, §. *ult.*

SI pater mandaverit filio, ut adiret hereditatem, & pœnituerit priusquam filius adiret, filius adeundo nihil agit. Juſſus & mandatum adeundæ hereditatis revocatur nuda pœnitentia re integra, etiam ſi filius non fuerit certior factus de pœnitentia, quia non intereſt mandatarii. Juſſus & mandatum re integra revocatur pœnitentia, ut *hic* † *in* §. *ſi poſteaquam*, & *l.* † *vero procuratori*, §. † 2. infr. *de ſolut. l.* 4. † *in pr. de manumiſſ. vindict.* Item ſi pater mandaverit filio, ut adiret hereditatem, & priusquam adiret filius ſe adrogandum dederit, adeunte filio hereditas patri non adquiritur, ex *hoc* §. † *ult.* quia juſſus ſolvitur adrogatione jubentis, quia in eum caſum incidit, a quo incipere non poteſt, & juſſum ejus expectari oportet, cui eſt adquirenda hereditas; *l. Antiſtius*, §. 1. infr. *h. tit.* id eſt adrogatoris, in cujus poteſtatem pervenit per adrogationem.

L. 26.

SI Titius & ſervus ejus vel filius pro partibus heredes inſtituti ſint, ſi Titius juſſerit filium vel ſervum adire partem ſuam hereditatis, filio vel ſervo adeunte partem hereditatis, ſtatim ex ſua inſtitutione, id eſt etiam ex parte ſua, heres erit, quia qui jubet adiri partem ſervi vel filii, videtur etiam velle adire partem ſuam. Hereditas ſola voluntate, tacita vel expreſſa, aditur; §. *ult. inſtit. de hered. qualit. & diff.* Non obſtat *l. ſi ex ſua parte*, infr. *h. tit.* ſi dominus vel ſervus, pater vel filius, ex partibus heredes inſtituti ſint, & dominus vel pater pro parte ſua adierit, neceſſe eſt patrem vel dominum jubere, ut filius vel ſervus coheredes adeant, hoc caſu neceſſarius eſt juſſus patris vel domini, quia pater vel dominus adeundo pro parte ſua, non videtur jubere filium vel ſervum adire pro parte ſua, ut in priori caſu. Sed ſi pater vel dominus non jubeat adire, non adquirit partem filii vel ſervi jure inſtitutionis, ſed poteſt adquirere jure adcreſcendi; *l. unic.* §. *his ita definitis*, *C. de caduc. tollend.*

L. 27.

NEmo pro herede gerere poteſt vivo eo, in cujus bonis gerendum ſit: viventis hereditas adiri, vel repudiari non poteſt; *l. qui hereditatem*, ſupr. *l. qui ſuperſtitis*, infr. *h. tit.* Et ſi dubitetur de morte teſtatoris, ejus tabulæ inſpici prohibentur; *l.* 2. §. *ſi dubitetur*, infr. *teſtam. quem. aper.* Pro herede ex vivi bonis nihil uſucapi poteſt, etiam ſi poſſeſſor mortui rem fuiſſe exiſtimaverit; *l.* 1. infr. *pro hered.* plus enim in re ſeu veritate eſt, quam in exiſtimatione; *l.* 4. §. 1. infr. *de manumiſſ. vindict.* Ejus qui eſt apud hoſtes hereditas adiri non poteſt, priusquam certum ſit mortuum eſſe; *l. nec* † *nos*, *C. de poſtlim. reverſ.* quia viventis nulla eſt hereditas; *l.* 1. *de hered. vel act. vendit.* Hereditas non poteſt adiri priusquam delata ſit.

L. 28.

HEredi ſcripto poſtulanti, a prætore datur tempus ad deliberandum de adeunda hereditate ex edicto prætoris; *l.* 1. §. 1. ſupr. *de jur. delib.* Et heres ſcriptus, ut deliberet de adeunda hereditate, rationes defuncti adito prætore ab eo petere poteſt apud quem depoſitæ ſunt, ex *hac l.* Et heredibus

Digitized by Google

ſcriptis copia inſtrumentorum hereditariorum fieri debet officio judicis, ut inſtruere ſe poſſint, an adeunda ſit hereditas, nec ne; *l. Ariſto*, *de jur. delib.* Idem datur legatariis, ut ſciatur, an legi falcidiæ locus ſit; *l. pen. in fin. ad l. falcid.* & creditoribus; *d. l. Ariſto*, *l.* 1. *C. de edend.*

L. 29.

HEres inſtitutus deliberandi cauſa de adeunda hereditate poteſt petere rationes defuncti ſibi exhiberi ab eo penes quem depoſitæ ſunt; *l. prox.* ſupr. Et heres inſtitutus petendo ſibi exhiberi tabulas & rationes defuncti a coherede, qui jam adiit, non videtur pro herede gerere, ex *hac l.* nec obligatur hereditati, quia non videtur hoc petere animo heredis, immo magis ut deliberet, an debeat adire hereditatem.

L. 30.

SI filius, qui eſt in poteſtate patris, heres inſtitutus ſit, & pater propter abſentiam legationis cauſa non potuerit filium heredem inſtitutum agentem in provincia jubere adire hereditatem, mortuo filio ante aditam hereditatem ejus juſſu, ex reſcripto D. Pii pater reverſus ex legatione reſtituitur, ut adeat hereditatem, eo quod reipublicæ cauſa aberat: quia abſentia reipublicæ cauſa cuiquam nocere non debet. Mortuo filio ante aditam hereditatem, pater jure communi amittit hereditatem, quia de jure civili herediras non adita non tranſmittitur ad heredem; *l. quoniam ſororem*, *C. de jur. delib. l. unic.* §. *in noviſſimo*, *C. de caduc. tollend. l. unic. C. de his qui ante apert. tab.* Ab hac regula tamen excipiuntur certi caſus. Primus eſt, ſi filius heres inſtitutus deceſſerit non adita hereditate, quia pater aberat legationis cauſa, & propter abſentiam legationis cauſa non poterat jubere filium agentem in provincia adire hereditatem, pater e legatione reverſus reſtituitur, ut adeat hereditatem, ex cauſa abſentiæ reip. cauſa. Secundus caſus eſt, ſi infanti hereditas delata ſit ex teſtamento, vel ab inteſtato, & infans deceſſerit, antequam pater ejus nomine adierit hereditatem, hereditas devolvitur ad patrem quaſi jam jure patrio infanti quæſita; *l. ſi infanti*, §. 1. *C. de jur. deliberand.* quia filius morte ſua non poteſt deteriorem facere conditionem patris; *l. filius*, *C. de pact.* Tertius caſus eſt, ſi pater heres inſtitutus deceſſerit ante apertas tabulas, hereditas quaſi adquiſita tranſmittitur ad liberos; *d. l. unic. C. de his qui ante apert. tabul.* Quartus caſus eſt, ſi heres deceſſerit intra tempus, quod datum eſt deliberandi cauſa de adeunda hereditate, jus deliberandi tranſmittitur ad quoſcumque heredes; *l. cum in antiquioribus*, *C. de jur. deliber.* Pater abſens legationis cauſa, puta pro patria, municipii, vel civitatis cauſa, mortuo filio, reſtituitur ut adeat: quaſi abeſſet reip. cauſa. Qui abeſt municipii, vel civitatis cauſa, proprie non videtur abeſſe reip. cauſa, quia civitas privati loco habetur; *l. eum qui vectigal*, *de V. S. l. mortuo*, *de fidejuſſorib.* Et ideo proprie non reſtituitur, ut abſens reipublicæ cauſa, ſed reſtituitur ex clauſula edicti, ſi qua alia juſta cauſa; *l.* 1. *l. ſed & ſi per prætorem*, *in fin.* ſupr. *quib. ex cauſ. major.*

§. *quod dicitur* 1. † §. *ſive igitur*.

HEreditas nondum delata non poteſt adiri, vel repudiari; *l. qui hereditatem*, ſupr. *l. neminem*, infr. *h. tit.* Si pater teſtamento agnatum vel cognatum proximum heredem inſtituerit poſthumo præterito, proximus a filio poſthumo heres, id eſt qui ſucceſſurus eſt ex teſtamento ex cauſa ſubſtitutionis, non poteſt adire hereditatem dum mulier prægnans eſt, aut putatur eſſe prægnans quamdiu poſthumus ſperatur naſciturus: ſed ſi ſcit non eſſe prægnantem, pro-

proximus a ventre, qui ſuum heredem pariturus, id eſt ſi naſcatur, poteſt accipere bonorum poſſeſſionem, quia certus eſt de jure ſuo, & hoc ſufficit ut adeat hereditatem. Idem juris eſt, ſi pater deceſſerit ab inteſtato relicto poſthumo: relicta uxore prægnante, proximus a filio poſthumo heres non poteſt adire hereditatem quamdiu ſperatur poſthumus naſciturus. Quod dictum eſt in ventre, qui ſuum heredem pariturus eſt, idem dicendum eſt in ventre, qui pariturus eſt legitimum, vel conſanguineum, id eſt agnatum vel cognatum defuncto, quoniam qui eſt in utero tempore mortis defuncti, pro jam nato habetur, ut ſibi locum faciat, ſi naſcatur, vel ut moram faciat inferioribus, id eſt remotioribus. Qui in utero eſt pro jam nato habetur quoties de ipſius commodo quæritur, ut ſibi proſit; *l. qui in utero 7. de ſtat. homin. l. quod dicimus, de V. S.* puta ut ſibi adquirat hereditatem, vel ut moretur ſubſtitutum, vel proximum ab inteſtato ſucceſſurum, quia libero ventri omnia jura integra reſervantur in tempus naſcendi, in tempus partus; *l. antiqui*, ſupr. *ſi pars heredit. petat.* Sicut proximus a poſthumo non poteſt adire hereditatem quamdiu poſthumus ſperatur naſciturus, ita non poteſt petere bonorum poſſeſſionem edictalem, id eſt ex edicto prætoris. Duplex eſt bonorum poſſeſſio edictalis, quæ edicto prætoris defertur municipiis, & corporibus, in bonis alicujus de municipio, vel corpore; *l. 1. §. a municipibus, de bonor. poſſeſſ.* Decretalis, quæ olim debebat peti a prætore ſedente pro tribunali; *l. 1. §. decretalis, de ſucceſſ. edict.* Hodie bonorum poſſeſſio ſola voluntate agnoſci poteſt; *l. bonorum, C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* Si mulier ſit prægnans tempore mortis defuncti, interim ventris nomine mittitur in poſſeſſionem bonorum, ut *hic* † *in §. quod dicitur, & l. 1. de ventr. in poſſeſſ. mitt.* Sive igitur mulier revera ſit prægnans, ſive putetur eſſe prægnans tempore mortis defuncti, de cujus bonis quæritur, proximus a poſthumo heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem † ex *hoc §. ſive igitur*, quia in eo eſt, ut teſtamentum rumpatur agnatione poſthumi ſc. præteriti, niſi poſthumus inſtitutus ſit vel exheredatus; *§. poſthumi, inſtit. de exhered. liber.* quia jure civili poſthumi poſſunt exheredari, inde venter mittitur in poſſeſſionem bonorum ſi non ſit exheredatus; *l. 1. §. totiens, de ventr. in poſſeſſ. mitt.* Sed hodie poſthumi non poſſunt exheredari, cum exheredatio non fiat ſine cauſa, quæ cadere non poteſt in poſthumum; *l. ſi quis* † *ſuo, §. ult. C. de inoffic. teſtam.*

§. *quod dicitur 3.*

Si proximus a filio poſthumo heres inſtitutus ſit, poſthumo præterito, proximus a poſthumo heres inſtitutus non poteſt adire, dum mulier prægnans eſt, aut putatur eſſe prægnans; † *§§. prox.* ſupr. *h. leg.* Quod dicitur, ſi putetur eſſe prægnans, ſi mulier dicat ſe eſſe prægnantem, ante tempus partus proximus a poſthumo non poteſt adire hereditatem, & interim mulier ventris nomine mittitur in poſſeſſionem bonorum, quia ſi mulier non dicat, immo neget, ſe eſſe prægnantem, alii dicant prægnantem eſſe, finge obſtetricem dicere. (cum quæritur defuncti filius quis ſit nec ne, probatur vicinis, vel aliis ſcientibus, puta vicinis cognatis, vel affinibus; *l. filium*, ſupr. *de his qui ſui, vel alien. jur. ſunt, l. ſi vicinis, C. de nupt.* vel obſtetricibus; *l. 3. §. duæ autem, de Carbon. edict.*) Si quæratur, an mulier ſit prægnans, & obſtetrices dicant eſſe prægnantem, eorum teſtimonio credendum eſt propter peritiam artis: peritis in arte credendum eſt; *l. ſemel, C. de re milit. cap. ſignificaſti*, † *2. al. 18. de homicid.* Interim proximus non poteſt adire hereditatem. Quid ſi ipſe putet ſolus mulierem non eſſe prægnantem? ſi juſta ratione ductus, id eſt etiam ſi juſta ratione ductus, interim non poteſt adire hereditatem: quod ſi putet non eſſe prægnantem ſecundum multorum opinionem, poteſt interim adire, quia

Digitized by Google

communis opinio pro veritate habetur; *l. Barbarius, de offic. prætor. l.* 1. *C. de teſtam.*

§. *quid ergo*.

SI heres ſcriptus putabat mulierem prægnantem non eſſe, cum prægnans eſſet, & falſa opinione deceptus hereditatem adiit, & mox mulier abortum, vel aborſum fecerit, adeundo nihil egit, id eſt non valet aditio. Toties heredi ſua præſumptio proficit, id eſt toties ei prodeſt opinio, quam habet, mulierem non eſſe prægnantem, quoties concurrit cum veritate, id eſt quoties ex eventu probatur vera & ſana fuiſſe opinio. Nec obſtat, quod aborſus non videtur vitiare aditionem, quia aborſus pro non nato habetur; *l. qui mortui*, infr. *de V. S.* Et ſi mulier, ex qua ſperabatur naſciturus poſthumus, aborſum fecerit, aborſus non rumpit teſtamentum, quaſi agnatione poſthumi præteriti; *l.* † *quod certatus, C. de poſth. hered. inſtit.* §. † 2. *verſ. poſthumi, de exheredat. liberor.* quia poſthumus præteritus non rumpit teſtamentum, niſi naſcatur, at aborſus non habetur pro nato, quia partus non eſt vitalis. At ſi mulier prægnans fuerit impeditur aditio, nec convaleſcit ſi mox mulier aborſum fecerit, quia ad hoc, ut aditio non valeat, ſufficit mulierem prægnantem fuiſſe tempore aditionis. Nec ſpectatur caſus aborſus, quia aditio non debet pendere ex caſu & infelicitate partus. Caſum adverſamque fortunam ſpectari hominis liberi, neque civile neque naturale eſt; *l. inter ſtipulantem*, §. *ſacram, de V. O.* Nec ſpectatur opinio heredis, qui putabat mulierem prægnantem non eſſe, quia toties heredi ſua opinio prodeſt ut adeat hereditatem, quoties concurrit cum veritate, id eſt eventu probatur veritati conveniens.

§. *ſuum heredem*.

SUus heres etiam ignorans, id eſt non apertis tabulis, antequam ſciat ſe heredem eſſe, heres exiſtit, ut dicitur in fine *h.* §. Ideo ſuus heres illico apparere & exiſtere dicitur; *l. ult.* §. *ſin vero perpetuo, C. de cur. fur.* Nec dicitur adire hereditatem, ſed ſe miſcere, non repudiare hereditatem, ſed abſtinere, non adquirere hereditatem, ſed continuare dominium, & liberam adminiſtrationem adipiſci; §. *ſui autem, inſt. de hered. qualit. & diff.* quia ſui heredes vivo patre quodammodo domini exiſtimantur; *l. in ſuis, de liber. & poſth.* Hinc ſi quis ex liberis ſuus heres patri defuncto factus, priuſquam id ſciret deceſſerit, hereditatem transmittit ad quoſvis heredes, etiam extraneos, utpote jam ante quæſitam, licet ignoranti; *l.* 3. *C. de jur. deliber.* Si pater inteſtatus deceſſerit filio uno relicto & uxore prægnante, vel teſtatus filio inſtituto, ſimul cum poſthumo, & poſthumus non naſcatur, ſuus heres ex aſſe heres exiſtit, id eſt ſuus heres patri ex aſſe extitiſſe intelligitur, quia etiam ignorans heres exiſtit: quemadmodum ſi vacuo ventre mulier fuiſſet, etſi mulierem prægnantem eſſe patet, ſuus heres eſt ex aſſe, & ſic poteſt adire hereditatem ex aſſe: quod ſi unus poſthumus natus ſit, quæritur, an ſuus heres, ſive inſtitutum poſthumum proponas, ſive inteſtatum patrem deceſſiſſe ex ſemiſſe heres ſit? Pomponius exiſtimat ſuum heredem, ſicut vacuo ventre heres ex aſſe eſt, ita & cum unum mulier utero geſtat, nec per naturam alium concipere poteſt, (quod quidem poſt certum tempus conceptionis eveniet, puta poſt quadrageſimum diem; *l. antiqui*, ſupr. *ſi pars heredit. petat.*) ſuum heredem exiſtere ex ſemiſſe, non ex quadrante, ut putabat Julianus. Juliani ſententia apertius extat in *l. ſi pater, de ſolut.* ſi pater deceſſerit relicta uxore prægnante, & interim filius, qui eſt ſuus heres, a debitoribus hereditariis petierit totum id quod patri debebatur, quidam dicebant nihil eum perdidiſſe, & ſi nullus natus ſit recte eum egiſſe: ſed Julianus notat id eſt improbat horum ſententiam, & ait

Digitized by Google

ait, eum petendo totum perdidiſſe eam partem, pro qua heres fuit, antequam certum fuiſſet neminem naſci, aut quartam partem, quia tres naſci potuerunt, aut ſextam quia quinque: & Julianus videtur ſecutus ſententiam Sabini, & Caſſii, cujus veſtigium extat in *l. ſed & ſi reſtituatur*, §. *ult. de judic.* Species eſt, ſi pater deceſſerit relicto uno filio & uxore prægnante, filius a debitoribus hereditariis non poteſt petere dimidiam partem crediti, etiam ſi mulier unum paritura ſit, ſed quartam partem ex Sabino & Caſſio, quia incertum eſt an tres naſcerentur, nec rerum natura intuenda eſt, in qua omnia certa eſſent, ſed noſtra inſcientia inſpici debet. His conjungenda eſt *l. antiqui*, *ſi pars hereditatis petat.* ſi filius jam natus & poſthumus inſtituti ſint ex æquis partibus, interim filius non ex ſemiſſe, ſed ex quadrante heres erit, etiam ſi unum tantum mulier paritura ſit. Recte juris auctores interim filio adſignant quadrantem hereditatis, quia non intuentur ea quæ raro admodum eveniunt, ut quinque naſci poſſint, vel ſeptem, ſed quæ non raro eveniunt. Non pugnat *hic* §. cum *d. l. antiqui*, quia *hic* §. locum habet in ſuo herede, qui etiam ignorans heres exiſtit: & ideo ſi nullum paritura eſt mulier, ſuus ipſo jure heres exiſtit ex aſſe, quia heres exiſtit legis poteſtate, quæ ſemper certa eſt, & ſcit omnia quæ ſcit natura, ſi unum eſt paritura heres erit ex ſemiſſe, ſi tres ex † quadrante: *d.l. antiqui*, *& d. l. ſed & ſi reſtituatur* locum habent tantum in emancipatis vel extraneis heredibus, ut interim non poſſint adire hereditatem, niſi ex quadrante, quia fieri poteſt, ut non raro evenit, ut mulier pariat tres.

§. *ſcientia.*

PRoximus heres a filio poſthumo, poſthumo præterito, non poteſt adire hereditatem, dum uxor defuncti prægnans eſt, aut eſſe putatur, ne adeatur hereditas ex teſtamento, quod proxime rumpendum eſt agnatione poſthumi præteriti. Quod ſi filiusf. vel ſervus inſtituti ſint poſthumo præterito, cum quæritur, an poſſint interim adire hereditatem, ſpectatur filii vel ſervi ſcientia, non patris vel domini: puta ſi pater putet mulierem eſſe prægnantem, filius certus ſit non eſſe prægnantem, poteſt adire: ſed contra ſi filius putet prægnantem, pater non, interim filius non poteſt adire & adquirere hereditatem. In his quæ deferuntur filio vel ſervo ſpectatur ſcientia filii vel ſervi, non patris vel domini, quibus adquiruntur; *l. in hujusmodi*, *de contrah. empt. l. cum mancipium*, *de ædil. edict.*

§. *ult.*

QUi adit hereditatem certus eſſe debet de jure ſuo, certus eſſe debet de teſtamento, puta verum non falſum, juſtum non irritum eſſe, ex *hoc* §. *& l. nec is*, *in princ.* ſupr. *l. cum falſum*, infr. *h. tit.* Heres ſcriptus, etſi falſum teſtamentum dicatur vel ruptum irritum, ſi certus ſit non eſſe falſum vel irritum vel ruptum, poteſt adire hereditatem, ex *hoc* §. Et quidem ſi falſum teſtamentum dicatur, ſi quidem ipſe heres accuſetur falſi, quoniam certus eſſe debet ſe falſum non feciſſe, recte adibit hereditatem: ſin autem alius arguatur falſi, citra conſcientiam ejus, non poteſt adire quaſi dubitet verum eſſe teſtamentum; *d. l. cum falſum*. Nec obſtat, quod pendente quæſtioni falſi, executio contractus mutui non ſuſpenditur; *l. 2. C. ad l. Cornel. de falſ.* Hoc verum eſt in contractu mutui & aliis, quia interim pro inſtrumento præſumitur, & plerumque falſi nomen objicitur ſolutionis morandæ gratia; *d. l.* 2. Sed in adeunda hereditate ex teſtamento, cum teſtamentum falſi arguitur, & alius accuſatur falſi, heres non poteſt adire hereditatem, quia eſt quod dubitet de facto alterius. Ideo pendente quæſtione falſi, cum falſum teſtamentum dicitur, interim bonorum poſſeſſio ab inteſtato unde liberi, vel un-

Digitized by Google

de cognati peti non poteſt; *l.* 1. *C. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.*

L. 31.

SI quis heres inſtitutus ſit cum poſthumo, ſi certum ſit mulierem non eſſe prægnantem, & poſthumum non naſci, elapſo tempore partus, pars deficientis adcreſcit coheredi, etiam ignoranti, ex *hac l. l. ſi quis heres*, *l. ſi duo l. cum hereditate*, *l. qui patri*, intr. *h. tit.* vel invito; *l. unic.* §. *his ita*, *C. de caduc. tollend.* pars deficientis adcreſcit coheredi etiam ignoranti, quaſi tacite ſubſtituto ex voluntate teſtatoris: jus adcreſcendi locum habet inter coheredes etiam ignorantes & invitos, quia tacita voluntate teſtatoris inter ſe ſubſtituti videntur: jus adcreſcendi inter coheredes habet vim tacitæ ſubſtitutionis; *l. ſi Titio*, *& Mævio*, §. *Julianus*, *de legat.* 2. *l. non juſtam*, *C. ad Trebell.* Heres inſtitutus ex parte cum poſthumo, ſi poſthumus non naſcatur, videtur inſtitutus in ſolidum ex tacita voluntate teſtatoris; *l. antiqui*, *& ſeq.* ſupr. *ſi pars hereditatis pet.* ſed hoc verum non eſt in teſtamento militis. Si miles duos ex univerſo aſſe heredes ſcripſerit, & alter omiſerit hereditatem, pars repudiantis non adcreſcit coheredi, ſed pars illa abit ad ſuccedentes ab inteſtato, niſi hæc voluntas defuncti probetur, ut omittente uno, vellet ad alterum totam redire hereditatem; *l. ſi duobus*, *de teſtam. milit.*

L. 32.

QUi adit hereditatem debet eſſe certus de jure ſuo, debet ſcire ſibi delatam eſſe hereditatem, vel bonorum poſſeſſionem, quo jure ei delata ſit hereditas; *l. qui hereditatem*, *l. neminem*, ſupr. *h. tit. l.* 1. §. *ſcientiam*, *de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* debet ſcire teſtatorem defunctum eſſe; *d. l. qui hereditatem*, quia viventis nulla eſt hereditas; *l.* 1. *de hered. vel act. vendit. l. nihil*, *de V. S.* Heres inſtitutus, ſi putet teſtatorem vivere, quamvis jam defunctus ſit, non poteſt adire hereditatem, † ex *init. h. l.* Sed & ſi ſciat ſe heredem inſtitutum, verum utrum pure an ſub conditione ignoret, non poterit adire hereditatem, licet pure heres inſtitutus ſit, vel ſub conditione, & conditio impleta ſit; † §. 1. *h. l.* Sed & ſi de conditione teſtatoris incertus ſit, an paterfamilias, an filiusf. ſit, non poterit adire hereditatem, etſi in veritate ejus conditionis ſit, ut teſtari potuerit, ex † §. *ult. h. l.* quia in adeunda hereditate, ad hoc ut recte heres adire poſſit, magis ſpectatur quod eſt in opinione, quam quod in re & veritate, plus eſt in opinione, quam in veritate. Quod ſi quis cum eſſet pure inſtitutus, putavit ſe ſub conditione inſtitutum, & impleta conditione, quam injectam putavit, adierit, poteſt adquirere hereditatem, quia hæc ſuſpicio nihil obfuit. Multo facilius ſi quis pure inſtitutus putavit ſe ſub conditione inſtitutum, & conditionem impletam, quam in eventum putabat, id eſt quam eveniſſe putabat, poteſt adire hereditatem, nam in nullo hæc ſuſpicio obfuit; *l. ſed & ſi de ſua*, §. *ſed & ſi cum eſſet*, infr. *h. tit.* id eſt opinio hujusmodi erronea non obeſt veritati. Qui neſcit partem ex qua inſtitutus eſt, ſi cetera quæ oportet eum ſcire non ignoret, puta ſi ſciat ſe inſtitutum teſtamento, & teſtatorem defunctum eſſe, poteſt adire hereditatem; *l. illud*, *in fin.* ſupr. *ſi pars hered. pet. l. ſi quis extraneus*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* Et aditio hereditatis valebit pro parte, ex qua heres ſcriptus erit. In uſucapione ſeu adquiſitione, quæ ſit per uſucapionem, plus ſpectatur veritas, quam opinio. Puta ſi quis rem alienam ſub conditione emerit a non domino, pendente conditione, etſi putet conditionem extitiſſe, quæ non extitit, non poteſt uſucapere pro emptore; *l.* 2. §. *ſi ſub conditione*, infr. *pro emptor.*

L. 33.

Digitized by Google

L. 33.

QUi adit hereditatem debet eſſe certus de morte teſtatoris ; *l. qui hereditatem*, ſupr. *h. tit.* & de conditione teſtatoris, an fuerit liber, an ſervus. In petitione hereditatis ante omnia quæritur, liber nec ne fuerit teſtator; *l. liber*, *C. de petit. heredit.* debet certus eſſe, an paterf. an filiusf. fuerit, ad hoc ut ſciat, an potuerit teſtari, nec ne. Quod ſi heres inſtitutus dubitet, an teſtator in civitate, an apud hoſtes deceſſerit, utroque caſu poteſt adire hereditatem, quia ſi in civitate deceſſit, deceſſit civis Romanus, & valet teſtamentum: ſi deceſſit apud hoſtes, teſtamentum ejus ſuſtinetur fictione legis Corneliæ, quia fingitur deceſſiſſe primo captivitatis momento, atque ita fingitur deceſſiſſe in civitate, perinde ac ſi in hoſtium poteſtate non fuiſſet ; *l. lege Cornelia*, ſupr. *qui teſtam. fac.*

L. 34.

QUi dubitat de conditione teſtatoris, an paterf. vel filiusf. ſervus, vel liber deceſſerit, non poteſt adire hereditatem, ut *hic*, & *l. prox.* ſupr. *hoc tit.* Qui dubitat de ſua conditione, an paterfamilias ſit, vel filiusf. poteſt adire hereditatem. Ratio differentiæ eſt, quod qui teſtatoris conditionem ignorat, dubitat, an valeat teſtamentum: qui dubitat de ſua conditione certus eſt de teſtamento, id eſt de viribus teſtamenti. Qui adit hereditatem debet eſſe certus de teſtamento, id eſt de viribus teſtamenti. Ideo qui ignorat conditionem teſtatoris non poteſt adire hereditatem, quia incertus eſt, an valeat teſtamentum: qui dubitat de conditione ſua poteſt adire hereditatem, quia certus eſt, id eſt certus eſſe poteſt de teſtamento, id eſt de viribus teſtamenti, quod deſideratur. Qui dubitat de teſtamento, jure an valeat teſtamentum, non poteſt adire hereditatem ; *l. cum falſum*, infr. *h. tit.*

§. *ſed & ſi cum eſſet.*

SI quis cum eſſet inſtitutus pure, putaverit ſe inſtitutum ſub conditione poteſtativa, puta ſi decem daret, & impleta conditione, quam injectam putat, adierit, adquirit hereditatem, maxime cum hæc ſuſpicio, id eſt talis error, nihil ei obfuerit, nec periculum id eſt damnum attulerit, quia inſtitutio conditionalis pro pura habetur, ubi conditio extiterit ; *l. ſi pupillus*, *de condit. inſtitut.* Quod facilius admittendum eſt, ſi quis putavit ſe inſtitutum ſub conditione caſuali, quæ in eventu id eſt in caſu poſita erat, nam in nullo ei hæc ſuſpicio obfuit. Multum intereſt inter conditiones facti, & juris. Conditiones facti ſunt, quæ conſiſtunt in facto, puta ſi navis ex Aſia venerit. Conditiones juris, quæ conſiſtunt in jure, ſi filiusf. heres inſtitutus ſit ſub conditione emancipationis. Qui ignorat conditionem juris impletam, ſi re impleta ſit, poteſt adire hereditatem ; *l. multum*, *de condit. & demonſtr.* Et ſecundum hanc diſtinctionem accipienda eſt ſententia Caſſii in *l. ſi quis extraneus*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* ſi quis conditionem, ſub qua heres inſtitutus eſt, ignoret, (tollenda eſt enim negativa) poteſt adire hereditatem, ſi modo extiterit conditio ſub qua inſtitutus eſt, quod Caſſius probare dicitur. Eadem fuit ſententia Juliani in *l. qui putat*, §. *ult. h. tit.* ſi Stichus heres inſtitutus ab extraneo dubitet, an libertas ei ex teſtamento domini obtigerit, cum neſciat conditionem libertatis extitiſſe, adeundo adquirit hereditatem, ſi modo conditio libertatis extiterit.

L. 35.

SI heres inſtitutus ex parte, idemque coheredi ſubſtitutus, antequam ex cauſa ſubſtitutionis ei deferatur hereditas pro herede geſſerit, cui heres, ex cauſa quoque ſubſtitutionis, id eſt ſi coheres repudiet partem ſuam, repudiantis portio adcreſcit invito: an jure adcreſcendi, an jure ſubſtitutionis? videtur portionem deficientis ei adcreſcere jure ſubſtitutionis, quia jus adcreſcendi proprie locum habet inter coheredes, licet inter ſe tacite ſubſtituti videantur: ſed ubi heres ex parte eſt ſubſtitutus coheredi, portio repudiantis adcreſcit coheredi, eidemque ſubſtituto, jure adcreſcendi ſimul & ſubſtitutionis, quia ſubſtitutio hujuſmodi eſt appendix præcedentis inſtitutionis, ut ſubjungitur *infra*. Idem dicendum eſt ſi filiusf. vel ſervus ſint inſtituti ex parte adjecto coherede, iidemque ſubſtituti coheredi, & forte adierint pro parte hereditatem juſſu patris vel domini, priusquam coheres, cui ſubſtituti ſunt, adiret hereditatem pro parte ſua, & poſtea repudiante coherede, emancipati vel manumiſſi, adeant ex cauſa ſubſtitutionis, heredes erunt, ſubſtitutio enim eſt appendix præcedentis inſtitutionis. Et ſicut ſi duo ſint heredes inſtituti, & unus agnoverit partem ſuam, & alter repudiet, portio repudiantis adcreſcit coheredi etiam ignoranti & invito; *l. heredi*, ſupr. *h. tit. l. unic.* §. *his ita*, *C. de caduc. tollend.* ita & ſi heres inſtitutus ex parte ſit ſubſtitutus coheredi, portio repudiantis adcreſcit ſubſtituto etiam invito, ex *hac l. & l. ſed ſi plures*, §. *filio*, *de vulgar. & pupillar. l. teſtamento*, *C. de impuber. & aliis ſubſtit. l. quidam*, *C. de jur. deliber.* quia hereditas ſcindi non poteſt. Et ut intelligamus, portionem repudiantis adcreſcere ſubſtituto, etiam jure adcreſcendi, id eſt tam jure adcreſcendi, quam ſubſtitutionis, portio repudiantis dicitur adcreſcere invito, quod proprium eſt juris adcreſcendi, & jus adcreſcendi non diſtat a jure ſubſtitutionis, quia jus adcreſcendi inter coheredes eſt velut tacita ſubſtitutio, per quam portio deficientis defertur alteri; *l. ſi Titio, & Mævio*, §. *Julianus*, *de legat.* 2. Jus adcreſcendi facile concurrit cum jure ſubſtitutionis, quia jus adcreſcendi ipſum eſt tacita ſubſtitutio quædam. Jus adcreſcendi venit ex tacita voluntate teſtatoris. Subſtitutio venit ex expreſſa voluntate teſtatoris. Subſtitutio eſt appendix & ſequela præcedentis id eſt prioris inſtitutionis, quia in jure adcreſcendi eodem jure cenſetur, quo prima inſtitutio, ut portio deficientis adquiratur coheredi eidemque ſubſtituto, etiam ignoranti & invito, ut defertur coheredi, qui non eſt ſubſtitutus. Non obſtat *l. ſi ſolus*, §. *idem ſi ſervus*; infr. *h. tit.* ſi ſervus ſit inſtitutus ex parte pure, ex parte ſub conditione, dato ſc. coherede, & juſſu domini adierit ex pura inſtitutione, deinde eo manumiſſo, conditio alterius portionis extiterit, portio illa non adquiritur domino, ſed ſervo, quia jam liber eſt, & capax ſuccedendi: & hoc eſt quod ait *lex*, portionem illam ſervum manumiſſum comitari, exiſtente conditione inſtitutionis. Ratio eſt, quia, ut ait *lex*, omnia paria permanere debent in id tempus, quo alterius portionis conditio extiterit, ut adquiratur ei, cui prior portio adquiſita eſt: nimirum ſi ſervus inſtitutus ſit ex parte pure, ex parte ſub conditione, ſi adierit ex pura inſtitutione, pars illa ſtatim adquiritur domino: ſed ſi ſervus manumiſſus ſit tempore exiſtentis conditionis pars illa adquiritur ſervo manumiſſo, non domino, atque portio deficiens non adcreſcit eidem, cui pars prior. Ratio eſt, quia pars, quæ debebatur ſub conditione, non adcreſcit ei, cui pars debetur ex inſtitutione pura, quia inſtitutio conditionalis erat in ſuſpenſo, conditio ſuſpendit inſtitutionem, & conditio extitit eo tempore, quo ſervus erat manumiſſus, & capax adquirendi ſibi partem illam inſtitutionis conditionalis; Cujac. 12. *obſ.* 14.

§. † *ſi excluſus*, §. *ult.*

SI pater & filius ex æquis portionibus inſtituti ſint, filius pure, pater ſub conditione caſuali, vel poteſtativa, & pater excluſus ſit per conditionem ſibi datam, & conditio portionis patris defecerit, & poſt defectam conditionem pater juſſerit filium adite, pater non adquirit ſuam portionem, id eſt non adquirit aditione per filium partem ſuam, ex ſua perſona ſuo nomine, quia conditio defecit, ſed adquirit per filium jure adcreſcendi, quia portio adcreſcit ipſi filio juſſu patris adeunti. Sed ſi duo filii ejuſdem patris ex ſemiſſe ſinguli inſtituti ſint, & pater juſſerit unum e duobus filiis adire, pars ejus per filium patri adquiritur. Sed ad hoc ut pars alterius adquiratur patri, pater debet & alterum jubere adire, id eſt ut tota hereditas patri adquiratur non ſufficit quod unus e filiis ex parte inſtitutus juſſu patris adiit partem ſuam, ſed neceſſe eſt alterum quoque juſſu patris adire, quia filius inſtitutus ex parte vel ex aſſe, non poteſt ſine juſſu patris adire hereditatem; *l. qui in aliena*, ſupr. *h. tit.*

L. 36.

Dictum eſt ſupr. *l.* 26. *hoc tit.*

L. 37.

HEres ſuccedit in jus univerſum defuncti, heres ſuccedit non tantum in ſingularum rerum dominium, ſed & in omne jus defuncti, idcirco ſuccedit in ea, quæ in nominibus ſunt, id eſt in nomina & obligationes, ex *hac l.* Heres eſt univerſi juris ſucceſſor; *l. quædam*, §. 1. *de edend. l. quotiens*, §. *heredes*, *de hered. inſtit. l. cum heres*, *de diverſ. tempor. præſcript.* Et hereditas definitur ſucceſſio in jus univerſum defuncti; *l. heredem*, *l. hereditas*, *de R. J. l. nihil*, *de V. S.* Hereditas eſt nomen juris, hereditas non conſiſtit in certis corporibus, ſed conſiſtit in jure ſucceſſionis: & hoc eſt quod dicitur in *l. hereditas*, *de heredit. pet.* hereditas etiam ſine ullo corpore juris intellectum habet, hereditas intelligitur, etiam ſi nullum corpus ſit in hereditate, quia juris intellectu percipitur. Ideo hereditas continet etiam damnoſam hereditatem; *l. hereditatis* 119. *de V. S.* Hereditas eſt jus incorporale, quia in jure ſucceſſionis conſiſtit, licet enim in hereditate contineantur res corporales, tamen jus ipſum ſucceſſionis eſt incorporale: jura omnia ſunt incorporalia; *l.* 1. §. 1. ſupr. *de diviſ. rer.* Ideo hereditas non adita non poteſt uſucapi, quia a nemine poſſidetur. Jura ſunt incorporalia, nec poſſidentur, ſine poſſeſſione uſucapio non currit; *l. ſine poſſeſſione*, *de uſucap.* Et hereditate vendita, ſi res ſingulæ evincantur, venditor non tenetur de evictione; *l.* 2. *de heredit. vel act. vendit.* hereditas non evincitur, quia conſiſtit in jure ſuccedendi, non in certis corporibus. Non recte M. Tull. in topic. (6) definit, hereditatem eſſe pecuniam, id eſt rem corporalem, quia hereditas non conſiſtit in certis corporibus, ſed in jure hereditatis.

L. 38.

SI duo ſint heredes inſtituti, ſui & neceſſarii, vel extranei, & unus agnoſcat partem ſuam, alter repudiet, portio deficientis adcreſcit coheredi etiam invito ſive ſuo, ſive extraneo; *l. cum hereditate*, *l. qui patri* infr. *h. tit.* Quod ſi duo ſint heredes inſtituti, qui erant ſui & neceſſarii, & unus abſtinuerit, alter poſtea ſe immiſceat, non poteſt recuſare quominus univerſa onera hereditaria ſubeat, quia ſcivit, aut ſcire potuit conſulendo peritiores, adeundo poſt abſtentionem coheredis ſe univerſa onera hereditaria ſubiturum, quia hereditas ſcindi non poteſt, & onera hereditaria dividi non poſſunt, & qui adiit poſt

abſtentionem coheredis , ea conditione adiiſſe videtur , ut totam hereditatem adeat , & integra onera hereditaria ſubeat . Hoc tantum ei datur , cum hereditate patris ſuus & neceſſarius heres ex parte inſtitutus heres ſe abſtinet , conditio defertur coheredi , ut aut totam hereditatem agnoſcat , aut a tota recedat ; *l. cum hereditate* , infr. *h. tit.* Et ita qui ſemel adiit partem hereditatis poteſt ſe abſtinere propter alium ex nova & improviſa cauſa , qui ex ſua perſona non poterat , quia ratio improviſi caſus habetur ; *l. in venditione* , ſupr. *de act. empt.*

L. 39.

HEreditas non defertur ab inteſtato , quamdiu hereditas adiri poteſt ex temento , ex *hac l. l. in plurium* , *l. illud* , infr. *h. tit. l. quamdiu* , *de R. J.* Puta heres legitimus non admittitur , quamdiu heres teſtamentarius ſperatur , priusquam heres teſtamentarius repudiet hereditatem vel alia ratione amittat , id eſt priusquam excluſus ſit repudiatione, tempore, vel reſciſſo teſtamento per querelam inofficioſi ; *l. antequam* , *C. comm. de ſucceſſ.* Idem eſt in tutela , quamdiu tutela teſtamentaria ſperatur , legitima ceſſat ; *l. ſi quis ſub conditione* , *de teſtam. tutel.* Ratio eſt , quia diſpoſitio hominis facit ceſſare diſpoſitionem legis . Lex non tollit liberam voluntatem hominis , id eſt teſtatoris , ſed ſupplet ſi deficiat , & eſt quaſi vicaria hominis . Ad *h. l.* dixi etiam *l.* 3. ſupr. *h. tit.*

L. 40.

TItius ex parte heres inſtitutus , idemque ſubſtitutus filio impuberi , paternæ hereditatis nihil attigit , id eſt repudiavit hereditatem ex teſtamento patris , & filio impubere defuncto hereditatem adiit ex teſtamento pupillari , quæritur , an teneatur reſpondere creditoribus paternis ? Ratio dubitandi eſſe videbatur , quod in ſubſtitutione pupillari duplex eſt teſtamentum , pupillare & paternum , duæ hereditates ; §. *igitur* , *inſt. de pupill. ſubſtit. l. in duplicibus* , *ad l. falcid.* Nihil igitur vetabat ex uno teſtamento adiri , ex altero repudiari : ſed Julianus ſcribit , incidere eum in edictum , id eſt in pœnam edicti *ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti* . Sicut enim heres inſtitutus , qui repudiat hereditatem ex teſtamento , ut adeat ab inteſtato , tenetur præſtare legata teſtamento relicta , ex edicto *ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti* , ita & tenetur ſolvere æs alienum paternum , non ex verbis edicti , quod proſpexit tantum legatariis & fideicommiſſariis , ſed ex interpretatione edicti , vel ex alio edicto , quod non habemus , quo conſulebatur creditoribus . Ratio eſt , quia , qui impugnavit judicium defuncti , non debet ex eadem hereditate quicquam conſequi , ex *h.* † *l.* Quod confirmat *l. is qui* , ſupr. *de vulgar. & pupillar. l.* 5. §. *qui principale* , *de his quæ ut indign. l. ita tamen* , §. *qui ſuſpectam* , *ad Trebell. l. in ſervitutum* , §. *ſi quis bonorum* , *de bon. libert.* Ratio eſt , quod revera unum eſt teſtamentum patris & filii ; *l.* 2. §. *illud* , *de hered. vel act. vend. l. patris* , *de vulgar. & pupillar. l. paterfamilias* , *de reb. auctor. judic. poſſid.* Et ita dubietatis tollendæ cauſa res deciſa a Juſtiniano in *l. quidam* , *C. de jur. delib.* ut qui adiit hereditatem ex teſtamento patris , non poſſit repudiare ex pupillari ſubſtitutione . Marcellus diſtinguit , multum intereſſe utrum ex aſſe ſit inſtitutus teſtamento patris , an ex parte , ut ſi ex parte , remota patris ſucceſſione , id eſt repudiata hereditate patris , poſſit adire hereditatem ex ſubſtitutione pupillari , quia coheredem habet , cuius aditione teſtamentum paternum ſuſtinetur , ei enim adcreſcit portio , quam repudiavit : ſed conſtitutione Juſtiniani heres inſtitutus ex parte , & ſubſtitutus filio impuberi , non poteſt repudiare hereditatem ex teſtameto patris , & amplecti hereditatem ex ſubſtitutione pupillari , quia teſtamentum ſcindi non poteſt ; *d. l. quidam* .

L. 41.

L. 41.

Filius ex aſſe inſtitutus & ſubſtitutus fratri impuberi exheredato, quod fieri potuit; §. *non ſolum*, *inſt. de pupillar. ſubſtit. l.* 1. §. *ſubſtituere*, *de vulgar. & pupillar.* etiam ſi paterna hereditate ſe abſtinuerit, poteſt ex ſubſtitutione pupillari hereditatem obtinere, ex *h. l. & l. ſi filius*, ſupr. *de vulgar. & pupillar.* Non obſtat *l. prox. & l. quidam*, *C. de jur. deliberand.* ex quibus heres inſtitutus ex aſſe, & ſubſtitutus filio impuberi defuncti, ſi omittat hereditatem paternam, non poteſt adire hereditatem pupillarem, quia hæc *lex* eſt de filio ſuo herede, qui etſi abſtinuerit ſe hereditate paterna, ipſo jure non deſinit eſſe heres per abſtentionem; *l.* 2. §. *ſed ſi ſunt ſui*, *ad SC. Tertyll. l. ſi filius* 12. *de interrog. in jur. faciend.* quia exiſtentia ſui heredis confirmat teſtamentum, confirmat ſubſtitutionem pupillarem; *l. prox.* ſupr. *h. tit. d. l. ſi filius*, *de vulgar. & pupillar. l. paterſ. de bonis auctor. judic. poſſid.* confirmat tutelas & libertates; *l. ſciendum*, *de manumiſſ. teſtam. l. cum quaſi*, §. *ſed & ſi ſuus*, *de fideic. libertat.* & omnia quæ teſtamento patris ſcripta ſunt; *l. ſi poſt mortem*, *de legat.* 1. *l. ita tamen*, † §. *ſi pater*, *ad SC. Trebell.* Nec eſt invidendum filio, ſi ex ſubſtitutione habeat fraternam hereditatem, quam erat habiturus ab inteſtato, moriente fratre ante pubertatem, ut recte ratiocinatur *gloſſ. hic*.

L. 42.

Species legis hæc eſt. Filiusf. impubes a patre heres inſtitutus ex aſſe, abſtinuit ſe paterna hereditate, certum eſt, eum non poſſe conveniri efficaciter a creditoribus paternis; *l. paterſ. de bon. auctor. judic. poſſid.* quia etſi jure civili ſuus & neceſſarius heres, qui ſemel extitit heres, per abſtentionem non deſinat eſſe heres, ex quo libertates ſalvæ ſunt, etiam ſuo herede ſe abſtinente, quia non eſt ſine herede, qui ſuum heredem habet, licet abſtinentem ſe; *l. cum quaſi*, §. *ſed & ſi ſuus*, infr. *de fideic. libertat.* eum qui ſe abſtinuit, prætor, cujus eſt actiones dare, non habet heredis loco; *l. ſi filius* 12. *de interrogat. in jur. fac.* Deceſſit filius impubes, & aliquis ei heres extitit, heres, qui ſuccedit impuberi, non eſt compellendus reſpondere creditoribus paternis, niſi eſſet ſubſtitutus filio impuberi, hac ratione, quia ex judicio patris venit ad bona pupilli; *d. l. paterfamilias*: quandoquidem teſtamentum paternum & pupillare pro uno habentur; *l.* 2. §. *prius*, *l. patris* † *& filii*, *de vulgar. & pupillar.* ſententia Juliani notata, id eſt reprehenſa eſt a Marcello, hac ratione, quod impugnat utilitatem pupilli, qui ipſe ſaltem poteſt habere ſucceſſorem, ſupple ex teſtamento pupillari, quod ei fecit pater, & cujus intereſt habere ſucceſſorem, id eſt teſtamentarium heredem potius, quam legitimum, quia heres legitimus accipit hereditatem a lege, & teſtatori nullam fere gratiam habet. Sententia, inquam, Juliani impugnabat utilitatem pupilli, cujus intereſt habere heredem: metu enim onerum patris ſeu creditorum paternorum timidius quis adibit hereditatem pupilli, ſi heres pupilli, qui ſe abſtinuit bonis paternis, teneatur creditoribus paternis: alioquin & ſi frater fuit filio impuberi, hereditatem, omiſſa cauſa teſtamenti, ab inteſtato poſſidebit, id eſt poſſidebit hereditatem impuberis: & quidem impune, id eſt ſine metu pœnæ edicti *ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti*: nec enim videtur omittere hereditatem ex teſtamento pupillari in fraudem edicti *ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti*, ſed ut ſibi proſpiciat, ne adeundo hereditatem ex teſtamento pupillari obligetur creditoribus paternis. Sed quod Marcellus ſcripſit de fratre, Ulpianus intelligit eſſe accipiendum in fratre teſtatoris, id eſt in patruo pupilli, non in fratre impuberis, qui pupillo neceſſarius eſt, nec ita ſi fratri impuberi ſubſtitutus

ſit, omiſſo teſtamento pupillari, poteſt ab inteſtato poſſidere hereditatem, quia eſt neceſſarius heres pupillo, quoniam qui eſt ſuus & neceſſarius patri, ſi ſit ſubſtitutus fratri impuberi, ſine dubio eſt neceſſarius heres fratri impuberi; *l.* 2. §. *prius*, *l. ſed ſi plures*, §. 1. *de vulgar. & pupillar.* quandoquidem unum eſt teſtamentum patris & filii; *d. l.* 2. §. *prius*: & hoc eſt quod dicitur a Bartolo *hic*, exiſtentiam ſui heredis confirmare tabulas pupillares.

§. *ſi in* † *ſocietatem*.

PRo herede gerere videtur qui aliquid facit quaſi heres, id eſt animo heredis; *l. pro herede*, ſupr. *h. tit. l.* 1. *C. de repud. vel abſtin. heredit.* Si filius poſt mortem patris perſeveraverit in ſocietatem, quam vivo patre inchoaverat, quæritur, an ex eo quod perſeveraverit in ſocietatem, videatur ſe immiſcuiſſe hereditati patris, ita ut obligetur creditoribus paternis? Ratio dubitandi eſſe videbatur, quod filiusf. vivo patre ſocietatem contraxit, & quicquid ex contractu vel alio pacto adquirit filius adquirit patri, & inſpecto initio perſeverando in ſocietatem poſt mortem patris, videtur ſe immiſcere paternæ hereditati. Sed Julianus recte diſtinguit, multum intereſſe, utrum rem cœptam ſub patre perficiat, an novam inchoaverit, nam ſi quid novum in ſocietate inchoavit, non videtur ſe immiſcuiſſe hereditati patris, quia morte patris ſui juris factus, videtur de novo repetiiſſe ſocietatem, quæ vivo patre contracta, morte patris ſoluta eſt. Alia eſt ſocietas, quæ incepit a morte patris; *l. ſi id quod*, §. *ſi filiusf. pro ſoc. l. tutorem qui*, *de adm. tutor.* ubi rem cœptam vivo patre perfecit poſt mortem patris, quia adquirit patri, paternæ hereditati ſe immiſcere videtur; *d. l. ſi id quod*, §. *filiusf.*

§. † *ſi ſervum*, §. *ult.*

SI filius heres inſtitutus a patre ſervum paternum manumiſerit, eo ipſo videtur ſine dubio ſe immiſcere paternæ hereditati, † ex §. *ſi ſervum*. Quod ſi filiusf. miles de caſtrenſi peculio ſervos a patre comparaverit, & heres inſtitutus a patre, & rogatus ab eodem ſervos manumittere, ſe abſtinuerit paterna hereditate, & poſt abſtentionem ſervos manumiſerit, non videtur ſe immiſcuiſſe paternæ hereditati, niſi evidenter quaſi heres manumiſerit. Quod ſi filius emancipatus heres inſtitutus non agnoverit paternam hereditatem, id eſt omiſerit ſeu repudiaverit paternam hereditatem, & poſtea ſervos paternos manumiſerit, non obligatur paternæ hereditati, quia ſervos nullo jure id eſt non jure ſuo manumiſit; *l.* † 1. *C. de jur. deliber.*

L. 43.

HEres inſtitutus per ſervum hereditarium hereditatem vel partem hereditatis vel res ſingulas hereditatis adquirere non poteſt, ex *hac l. l. per hereditarium*, *de adquir. rer. domin. l.* 1. §. *veteres*, *de adquir. poſſeſſ.* quia hereditas non poteſt per alium adquiri; *l. per curatorem*, infr. *h. tit.* Nec obſtat, quod poſſeſſio poteſt adquiri per ſervum vel filium, qui in poteſtate eſt; *l.* 1. §. *item adquirimus*, *de adquir. poſſeſſ.* quia poſſeſſio eſt facti, non juris; *l.* 1. §. † *furioſus*, *eod. tit.* & per ſervum adquiri poteſt: at aditio hereditatis eſt magis juris, quam facti, eſt actus legitimus & ſolemnis, qui per ſervum expediri non poteſt, aditio animi eſt, & conſilii potius, quam facti: & hoc eſt quod dicitur in *l. aditio*, infr. *h. tit.* aditionem hereditatis non eſſe in opera ſervili.

L. 44.

Digitized by Google

L. 44.

CUm pupillus paternæ hereditati ſe immiſcuit, & poſt immixtionem ſe abſtinuit, per reſtitutionem in integrum ſc. (Minori enim, qui ſemel adiit hereditatem, ſi damnoſa ſit, datur beneficium reſtitutionis in integrum propter ætatem, ut abſtineat adita hereditate; *l. neceſſariis*, §. 1. infr. *h. tit. l.* 1. §. *ſi quis adita*, infr. *ad Tertyll.*) pupillo abſtinente per in integrum reſtitutionem, quamvis patris bona ſub creditoribus fiant, id eſt bona veneant a creditoribus, tamen quæcumque a pupillo bona fide medio tempore geſta ſunt rata haberi debent: ideoque ſi ante abſtentionem a pupillo prædia diſtracta ſint tutore auctore æris alieni hereditarii ſolvendi cauſa, ſuccurritur emptori, nec intereſt pupillus ſolvendo ſit, nec ne, ut definitur in *hac l. & l.* 6. §. *ſi pupillus*, infr. *de reb. auctor. judic. poſſid.* Idem dicendum eſt ſi pupillus tutore auctore bona fide pecuniam ſolverit creditoribus hereditariis, ſolutum non condicitur a creditoribus condictione indebiti; *l. nec novum*, *l. tutores*, ſupr. *de condict. indebit.* nec revocatur edicto de his quæ geſta ſunt in fraudem creditorum; *l. pupillus*, infr. *de his quæ in fraud. creditor.* Et hoc jus introductum eſt propter utilitatem publicam, & bonam fidem eorum, cum quibus actum eſt. Eadem ratione geſta a prætore, vel alio magiſtratu, qui pro libero habebatur, ſi poſtea ſervus apparuerit, nihilominus rata habentur propter publicam utilitatem; *l. Barbarius*, ſupr. *de offic. prætor. l.* 2. *C. de ſentent. & interlocut.* Sic ex contractu inſtitoris inito poſt mortem domini, qui præpoſuit, datur actio in heredem, etiam impuberem, propter utilitatem promiſcui uſus, id eſt communis uſus; *l. ſi quis mancipiis*, §. *ſi impubes*, *de inſtitor. act.*

L. 45. † *init. &* §. 1. 2. *&* 3.

SI ſervus dotalis heres inſtitutus ſit, & conſtante matrimonio juſſu mariti adierit hereditatem, non adquirit marito, quia aditio hereditatis non eſt in opera ſervili, ut dicitur *init. h. legis*, † *&* §. 1. quicquid ſervus dotalis adquirit ex operis ſuis, vel ex re mariti, adquirit marito: ſed quod adquirit ex cauſa hereditatis vel legati, non adquiritur marito, ſed ſoluto matrimonio reſtituitur mulieri, actione de dote, quia hereditas, id eſt hereditatis adquiſitio, non eſt in operis ſervi, ex *init. h. l. & l. ſi legato*, *de jur. dot. l. ſervus dotalis*, *ſolut. matrim. l. unic.* §. *cumque ex ſtipulatu*, *C. de rei uxor. act.* Coita ſocietate quæſtus & compendii, quicquid unus e ſociis adquirit ex operis ſuis, in medium confert, id eſt ſocietati bonorum. Si autem heres inſtitutus ſit, ſibi non ſocietati hereditatem adquirit, † ex §. 2. *& l. duo*, §. 1. ſupr. *pro ſocio*: niſi inita eſſet ſocietas omnium bonorum; *l.* 3. §. 1. *l.* † *ſi ſocietatem* 73. *eod. tit. pro ſocio*. Et ſi ſervus fructuarius, id eſt in quo uſusfructus alienus eſt, heres inſtitutus ſit, & juſſu ejus, qui uſumfructum habet, hereditatem adierit, non adquirit hereditatem fructuario, ſed domino, ex † §. 3. *& l. liber homo*, *l. fructuario*, infr. *de adquir. rer. dom.* quia hereditas neque ex re fructuarii, neque ex operis ſervi eſſe intelligitur; *d. l. liber homo*, *d. l. fructuario*.

§. *& quod*.

SI liber homo, qui bona fide mihi ſerviebat, propter me, id eſt contemplatione mea, heres inſtitutus ſit, ſi juſſu meo adeat hereditatem, mihi adquirit hereditatem, non ſibi, quia non ex ſua opera, ſed ex re mea, id eſt quaſi ex re mea adeundo hereditatem mihi delatam adquirere videtur: ſicut ſtipulando & per traditionem accipiendo ex re mea, mihi adquirit, ex *hoc* §. *l.* *)

Digitized by Google

ſi quis mihi bona, ſupr. *h. tit.* Liber homo, qui bona fide mihi ſervit, quique ex operis ſuis, vel ex re mea adquirit, mihi adquirit: ſed ſi heres inſtitutus ſit vel legatum ei relictum ſit, hereditatem legatumve non adquirit mihi, quia hereditas vel legatum, neque ex re mea, neque ex operis ſervi eſt; *d. l. liber homo*, niſi inſtitutus ſit contemplatione mea, hoc caſu mihi adquirit, ex *hoc* §. Ut ſi ſervus dotalis heres inſtitutus ſit contemplatione uxoris, ei adquirit; *d. l. ſi legato*. Si inſtitutus ſit contemplatione mariti adquirit marito; *l. hinc quæritur*, §. 1. *de pecul.* Idem in ſervo fructuario; *l. ſi ſervi uſusfructus*, & *ſeq.* ſupr. *de uſufruct.* §. *de iis autem*, *inſt. per quas perſ. cuiq. adquir.* Mihi datum vel legatum videtur quod contemplatione mea alii datum eſt; *l. tali*, §. 1. *d. l. ſi legato*, *de jur. dot. l. ſed ſi plures*, §. *in adrogato*, *de vulgar. & pupillar.*

L. 46.

Dictum eſt ſupr. *l.* 30. §. *ult. h. tit.*

L. 47.

SI dominus juſſerit ſervum heredem inſtitutum adire hereditatem, & pœnituerit, id eſt mutaverit voluntatem antequam ſervus adiret, poſtea adeundo nihil agit; *l. ſi quis mihi bona*, §. † *penult.* ſupr. *h. tit.* Juſſus adeundæ hereditatis nuda pœnitentia re integra revocatur. Ut ſi dominus juſſerit cum ſervo contrahi, & ante contractum juſſum revocarit; *l.* 1. §. *ſed* † *ego quæro*, *quod juſſ.* vel ſi quis mandaverit alteri quidpiam, mandatum extinguitur finita voluntate; *l. ſi vero non remunerandi*, §. *pen.* ſupr. *mandat.* Et ſi dominus juſſerit ſervum heredem inſtitutum adire hereditatem, & priusquam ſervus adiret dominus inciderit in furorem, ſervus non poteſt adire, quoniam hereditas per ſervum adquiri non poteſt, niſi voluntate domini: furioſi autem nulla voluntas eſt, ex *hac l.* † & *l. ſi tibi*, §. *unius*, *de opt. legat. l. furioſi*, *de R. J.* Nec obſtat, quod ſi dominus ſanus vel compos mentis juſſit ſervum adire hereditatem, contingente furore non videtur juſſus revocari, & ſervus heres inſtitutus etiam ſi juſſus non præceſſerit, videtur adire ex voluntate domini; ut patre furioſo liberi videntur nuptias contrahere voluntate patris, quaſi voluntatis reliquiis in furioſis manentibus; *l. patre furioſo*, *de his qui ſui vel alien. jur. ſunt*; & pater videtur dotem repetere quaſi ex voluntate filiæ, ſi filia furioſa ſit; *l.* 2. §. *voluntatem*, *ſolut. matrimon.* Sed hi caſus ſunt ſpeciales favore liberorum, & favore nuptiarum & dotis: ſed in aditione hereditatis requiritur, quod dominus ſit compos, id eſt poſſit conſentire tempore juſſus, & tempore aditæ hereditatis.

L. 48.

JUſſus adeundæ hereditatis revocatur ſuperveniente furore ejus qui juſſit; ſupr. *l. prox.* Quod ſi quis alicui mandaverit, ut peteret bonorum poſſeſſionem delatam, & antequam ille peteret bonorum poſſeſſionem is qui mandavit furere cœperit, non ſtatim ei adquiritur bonorum poſſeſſio, quia mandatum adeundæ hereditatis vel petendæ bonorum poſſeſſionis revocatur contingente furore mandantis: ſed ſi furioſus ſanæ mentis eſſe cœperit, petitio bonorum poſſeſſionis, quæ nulla erat ab initio, ratihabitione confirmatur, ſi ratum habeat is qui mandavit, ex *hac l.* & *l. ult.* §. *tali*, C. *de curator. furioſ.* quia aditionem hereditatis juſſus patris vel domini præcedere debet; *l. ſi quis mihi bona*, §. *juſſum*, ſupr. *h. tit.* in bonorum poſſeſſione ratihabitio ſufficit, ut *hic*, & *l. bonorum*, infr. *rem. rat. haber. l.* † 1. C. *qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* Sic juſſus adeundæ hereditatis, morte ejus qui juſſit, re integra revocatur: ſi tutor pupilli per epiſtolam juſſerit ſervo pupilli adire hereditatem, & antequam ſervus adiret tutor moriatur, poſtea adeunte ſervo pupillus non obligatur hereditati; *l. ſi*

per

Digitized by Google

per epiſtolam, infr. *h. tit.* quia juſſus adeundæ hereditatis revocatur morte, ſicut pœnitentia, vel furore ſnperveniente. Nec obſtat, quod in *l. 6. §. ſi is qui putabat*, ſupr. *h. tit.* ſi pater juſſerit filiumf. inſtitutum adire hereditatem, & filius adierit jam mortuo patre, obligatur hereditati, quia etſi pater non juſſiſſet, filins morte patris ſui juris factus recte adiret.

L. 49.

PUpillus heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem ſine auctoritate tutoris, ne temere obligetur æri alieno; *l. more*, *l. pupillus* ſupr. *h. tit.* nec curatoris auctoritas ad hoc ſufficit; *l. cum in una*, §. 1. *de appellat.* Pupillus non poteſt adire hereditatem per tutorem, id eſt tutor non poteſt adire hereditatem nomine pupilli; *l. potuit*, C. *de jur. delib.* Sed pupillus per ſe adire poteſt tutore auctore, quia judicium infantis ſuppletur auctoritate tutoris; *l. quamvis pupillus*, §. *infans*, *de adqu. poſſeſſ.* Nunc quæritur, an pupillus poſſit adire hereditatem tutore auctore, qui tutelam non gerat, & an adeundo eo tutore auctore obligetur hereditati? Ratio dubitandi erat, quod ſi plures ſint tutores, ſi emant a pupillo, tutore auctore qui tutelam actu non gerat, vel cui tutelæ adminiſtratio conceſſa non ſit, venditio nulla eſt; *l. 4. de auctor. tutor.* Ratio decidendi hæc eſt, quod venditio facta eſt tutore auctore, cui forte a prætore interdicta erat adminiſtratio, ut recte notat *gloſſa & Azo.* Sic tutori honorario recte ſolvi poteſt, niſi a prætore ei interdicta fuerit adminiſtratio, quia periculum tutelæ æque pertinet ad tutorem honorarium, ac ad eum qui non adminiſtrat; *l. quod ſi forte*, §. 1. *de ſolut.* Pupillus major infante non poteſt adire hereditatem ſine tutoris auctoritate, poteſt tamen adquirere poſſeſſionem etiam ſine tutoris auctoritate; *l. quamvis*, §. *infans*, *de adquir. poſſeſſ.* Ratio differentiæ eſt, quia aditio hereditatis eſt potius animi & conſilii, quam facti, & judicium pupilli ſuppletur auctoritate tutoris; *d. §. infans*. Poſſeſſio eſt potius facti, quam animi; *l. 1. §. † furioſus*, *de adquir. poſſeſſ.* Et ideo pupillus poteſt poſſidere, id eſt adquirere poſſeſſionem ſine tutore auctore, ideo poteſt per poſſeſſionem uſucapere; *l. 4. §. pupillus*, *de uſucap.*

L. 50.

Dictum eſt ſupr. *l.* † 48. *h. tit.*

L. 51.

QUi adit hereditatem certus eſſe debet de jure teſtamenti, id eſt de viribus teſtamenti; *l. nec is*, *l. cum quidam*, §. *ult. l. cum falſum*, ſupr. *h. tit.* Heres ſcriptus duobus teſtamentis ejusdem teſtatoris, ſi dubitet num poſterius falſum ſit, ex neutro poteſt adire hereditatem, ex poſteriori nequaquam, quia dnbitat falſum eſſe, nec ex priori, quia cum dubitet, an poſterius ſit verum, dubitare neceſſe habet, an prius valeat, quia prius teſtamentum poſteriore rumpitur: igitur ex neutro adire poteſt cum de utroque dubitet.

§. *filiusf.*

FIliusf. heres ſcriptus non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris, & juſſus patris præcedere debet aditionem; *l. ſi quis mihi bona*, §. *juſſum*, §. *pater*, ſupr. *h. tit.* Et juſſus fieri poteſt per epiſtolam, ut *hic*, & *l. ſi per epiſtolam*, ſupr. *h. tit.* Filiusf. heres ſcriptus patrem ſuum certiorem fecit, videri ſibi eſſe ſolvendo hereditatem: pater reſcripſit ſibi parum idoneam renunciari, & mandavit, ut diligentius exploraret, & adiret ſi idoneam comperiſſet. Filius acceptis litteris patris adiit hereditatem. Dubitatum eſt, an recte adierit

Digitized by Google

Africanus reſpondit, filium ſi adierit antequam ei perſuaſum eſſet ſolvendo eſſe hereditatem, id eſt incertus & dubitans, an ſolvendo eſſet hereditas, non videtur adiiſſe juſſu patris, quia juſſus patris de adeunda hereditate erat conditionalis, ſi idoneam hereditatem eſſe comperiſſet: at filius adiit hereditatem incertus & fluctuans, an hereditas eſſet ſolvendo: quod ſi pater mandaverit filio, ut adiret hereditatem, ſi expediret, ſi adierit aditio valet, quia juſſu patris adiiſſe videtur; *d. l. ſi quis mihi bona*, §. † *quid ſi mandavit*.

§. *ult.*

SI quis ita dixerit, *ſi ſolvendo eſt hereditas*, *adeo hereditatem*, aditio nulla eſt, quia aditio hereditatis eſt actus legitimus & ſolemnis, qui non recipit diem, neque conditionem; *l. actus legitimi*, *de R. J.* Aditio hereditatis ſeu cretio fit ſimpliciter verbis conceptis & ſolemnibus, *adeo cernoque.*

L. 52.

FIliusf. non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris, ne invitum obliget æri alieno; *l. prox. l. qui in* † *aliena*, *l. ſi quis mihi bona*, §. *juſſum*, ſupr. *h. tit.* Hoc eſt ſi pater ſit ſanæ mentis: quod ſi pater ſit furioſus, ex reſcripto D. Pii poteſt adire hereditatem & ſibi eam adquirere, perinde ac ſi eſſet paterfamilias, & poteſt ſervos hereditarios manumittere, ex *init. h. l.* Ut patre furioſo liberi nuptias contrahere poſſunt, ne infelicitas patris moretur nuptias liberorum; *l. patre furioſo*, *de his qui ſui vel alien. jur. ſunt*, *l. ſi nepos*, *de rit. nupt. l. ſi furioſi*, *C. de nupt. l. tam dementis*, *C. de epiſc.aud.*

§. *qui ex parte.*

HEres inſtitutus ſolus, id eſt ex aſſe, ex parte pure, ex parte ſub conditione, etiam pendente conditione poteſt adire hereditatem ex pura inſtitutione, & adeundo fit heres ex aſſe, quia heres futurus eſt ex aſſe omnimodo, id eſt in omnem eventum, ſive deficiat, ſive exiſtat conditio, niſi habeat ſubſtitutum in partem conditionalem, non expectatur conditio, cujus eventus nihil operatur, id eſt nihil novi allaturus eſt, ut *hic*, & *l. ſi quis heres*, infr. *h. tit. l. ſi quis ita ſcripſit*, *de hered. inſtit. l. aliquando*, §. *ult. ad Vellejan.* Si in parte ſubſtitutum habeat, non poteſt adire hereditatem, niſi ex parte, in qua pure inſtitutus: in alia, ſub qua conditione inſtitutus, adjecto ſubſtituto neceſſe eſt expectare eventum conditionis; *l. ſi ex pluribus*, *ſi pars hered. petat. l. ſi te ſolum*, *de hered. inſt.*

L. 53.

HEres inſtitutus pure ex parte, ex alia parte ſub conditione, ſi ex pura inſtitutione adierit, & deceſſerit pendente conditione inſtitutionis ex alia parte, poſtea exiſtente conditione ea quoque pars pertinet ad ejus heredem, ut definitur *init. h. l.* Ratio dubitandi eſſe videbatur, quod ſubſtitutio non tranſmittitur ad heredem, mortuo ſubſtituto, antequam ejus conditio extiterit; *l. totiens*, infr. *h. tit. l. ſi ex pluribus*, *in fin. de ſuis & legit. hered.* quia ſubſtitutio nondum delata, in bonis noſtris non eſt; *l. ſubſtitutio*, *de adq. rer. dom.* ergo videbatur idem dicendum in inſtitutione conditionali, non tranſmitti ad heredem inſtituti. Sed ubi heres eſt inſtitutus ex parte pure, ex parte ſub conditione, & adiit ex pura inſtitutione, & deceſſit pendente conditione inſtitutionis ex alia parte, ea pars quoque adquiritur ejus heredi, perinde ac

Digitized by Google

ac ſi defunctus ex ea quoque parte inſtitutus eſſet pure & ſine conditione ab initio, vel ac ſi conditio extitiſſet ſuperſtite inſtituto, cum enim conditio inſtitutioni appoſita extitit, retro trahitur ad tempus mortis teſtatoris; *l. quod dicitur*, ſupr. *de teſtam. milit.* vel ubi idem eſt inſtitutus ex parte pure, ex parte ſub conditione, & adita parte ex qua pure inſtitutus eſt deceſſit pendente conditione inſtitutionis, ex alia parte exiſtente conditione, ea pas transmittitur ad heredem, quaſi jure adcreſcendi, quod transmittitur ad heredem; *d. l.* † *ſi ex pluribus*, vel potius jure non decreſcendi ea pars pertinet ad heredem heredis. Cum enim heres adierit ex parte, ex qua pure inſtitutus erat, non poteſt non eſſe heres ex alia parte, etiam ſi nondum conditio extiterit, quandoquidem non habet coheredem vel ſubſtitutum, nec debet eſſe deterioris conditionis, quam ſi inſtitutus eſſet ex parte, vel ex certo fundo, non adjecto coherede, quo caſu inſtitutio valeret in aſſem, ne teſtator videatur pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus deceſſiſſe; *l.* 1. §. *ſi ex fundo*, ſupr. *de hered. inſtit. l. ſi quis priore*, infr. *ad Trebell.* Et ſi inſtitutus ex parte ſub conditione, idemque ſubſtitutus coheredi, repudiante coherede ex ſubſtitutione adierit, poſteaque conditio inſtitutionis extiterit, non eſt opus ſecunda aditione, cum in utramque cauſam inſtitutionis & ſubſtitutionis una aditio ſufficiat; *l. ſi tu ex parte*, infr. *h. tit.*

§. *qui ſemel*.

UBi duo ſunt coheredes, deficientis id eſt repudiantis pars tacite adcreſcit coheredi, qui pro parte ſua adiit, etiam invito, ut traditur in *hoc* §. *& in l. ſi quis heres*, *l. qui patri*, *l. ſervus communis*, *h. tit. l. ſi ex pluribus*, *de ſuis & legitim. l. teſtamento*, *C. de impub. & aliis ſubſtit. l. unic.* §. *his ita*, *C. de cadu. tollend. l. unic. C. quand. non pet. part.* vel ignoranti; *l. heredi*, ſupr. *h. tit.* ne teſtator ſc. pro parte inteſtatus decedat. Portio deficientis tacite adcreſcit coheredi, id eſt ex tacita voluntate teſtatoris, quaſi ab initio ſolidum ei relictum ſit. Ubi enim duo vel plures ſunt coheredes, ſolidum habent ab initio, concurſu partes fiunt; *l. conjunctim*, infr. *de legat.* 3. Unde coheres tacite ſubſtitutus eſſe dicitur in *l. ſi Titio & Mevio*, §. *Julianus*, *de legat.* 2. propter jus adcreſcendi, cui locus eſt inter coheredes etiam invitos.

L. 54.

SUi ſunt neceſſarii heredes, qui ſtatim a morte teſtatoris ipſo jure heredes exiſtunt, etiam clauſis tabulis, id eſt nondum apertis tabulis, ita ut ſine aditione eis adquiratur hereditas; *l. neceſſariis*, infr. *h. tit. l. in ſuis*, *de ſuis & legitim. l.* 3. *C. de jur. deliber.* Extranei non adquirunt hereditatem, niſi aditione, vel pro herede geſtione: verum effectus aditionis eſt, quod heres quandocumque adeundo hereditatem, a morte defuncti heres fuiſſe intelligitur, ut proponitur in *h. l.* & aditio hereditatis cum tempore mortis conjungitur; *l. omnis* 138. *de R. J.* quia fictione juris aditio hereditatis retro trahitur ad tempus mortis, & heres quandocumque adierit hereditatem, retro a tempore mortis heres extitiſſe intelligitur, *ex h. l. & l. ſi ex re*, §. *ult. de ſtipul. ſerv.* & ei adquiruntur fructus & alia commoda hereditaria medii temporis, ac ſi ſtatim a morte defuncti heres extitiſſet, & hoc argumento familia heredis a morte defuncti funeſta facta intelligitur; *d. l. ſi ex re*, §. *ult.* Hinc filio exheredato occiſo ante aditam hereditatem, & poſtea herede ſcripto repudiante hereditatem, quæſtio habetur de filio occiſo, perinde ac ſi dominus, id eſt heres eſſet; *l. ſi exheredatus*, infr. *ad Silan.* videtur enim heres fuiſſe retro a tempore mortis. Hæc tamen regula fallit in multis caſibus, ut in *l. ſervus hereditarius*, infr. *de ſtipulat. ſerv.* jacente hereditate id eſt nondum adita he-

Digitized by Google

reditate ab herede ſcripto, ſi ſervus hereditarius dari ſtipuletur heredi futuro nihil agit, quia ſtipulationis tempore heres ejus dominus non fuit, & ideo *l. omnia* 193. *de R. J.* ait, omnia fere jura heredum perinde haberi, ac ſi continuo ſub tempus mortis heredes extitiſſent.

L. 55.

JUre civili, ubi duo ſunt coheredes, portio deficientis ipſo jure adcreſcit cōheredi etiam invito vel ignoranti; *l. heredi*, *l. ſi quis heres*, *l. qui ex duabus*, §. *qui ſemel*, *l. qui patri*, *h. tit.* Sed cum ſuus & neceſſarius heres ſe abſtinet, videlicet, quod ſupplendum eſt, poſt immixtionem, per in integrum reſtitutionem, portio abſtinentis per reſtitutionem in integrum adcreſcit coheredi ſuo vel extraneo, volenti, non invito. Electio enim eſt coheredis ſui vel extranei, ut aut totam hereditatem agnoſcat, aut a tota recedat, & ita qui ſemel adiit partem ſuam, poteſt ſe abſtinere propter alium, id eſt propter coheredem, qui ſe abſtinuit poſt immixtionem per reſtitutionem in integrum, qui ex ſua perſona non poterat: qui ſemel adiit hereditatem, quæſitam repudiando nihil agit; *l. ſicut*, *C. de repud. heredit.* Et qui ſemel partem ſuam adiit coherede ſe abſtinente per in integrum reſtitutionem, ſi totam hereditatem repudiet, bonorum poſſeſſio creditoribus datur; *l. ſi minor*, inſr. *h. tit.* niſi hanc ei conditionem deferant creditores hereditarii, ut dicant ſe contentos eſſe ejus portione, id eſt ejus qui adiit, & jam paratus eſt partem aditam dimittere, quia non poteſt, inquit, exonerari, niſi deferatur conditio, id eſt qui ſemel adiit partem ſuam, coherede ſe abſtinente jure ſuo, vel per reſtitutionem in integrum, non poteſt evitare quin totam hereditatem agnoſcat, aut a tota recedat, niſi creditores hereditarii hanc ei deferant conditionem, ut ſint contenti parte quam jam adiit, & hac conditione delata, alterius id eſt abſtinentis parte abſtinere ſe creditores debent, ut ejus actiones ei qui convenitur dentur, id eſt ita ut creditores cedant actionibus ſuis coheredi, quem convenerunt, id eſt actionibus, quæ eis competunt ad avocandam partem deficientem ejus, qui poſt immixtionem parte ſua ſe abſtinuit per reſtitutionem in integrum: qui enim dimiſit partem aditam creditoribus hereditariis dicentibus ſe contentos eſſe ejus parte, non poteſt adipiſci deficientem jure ſuo jure adcreſcendi ſc. cum portio portioni adcreſcat, non perſonæ, id eſt portio deficientis ei tantum adcreſcit, qui partem ſuam adiit vel aditam conſervat: ſed tantum poteſt eam partem ſibi vindicare ceſſis actionibus a creditoribus hereditariis, quibus competebat jus petendæ bonorum poſſeſſionis.

L. 56.

SI duo ſint ſui & neceſſarii heredes, & ſint inſtituti, & unus ſe immiſcuerit hereditati, alter ſe abſtineat, qui adiit poteſt ſe abſtinere propter coheredem, & repudiando hereditatem liberatur a creditoribus; *l. prox.* ſupr. *h. tit.* Et ſi is, qui ſe immiſcuit hereditati, deceſſerit, alter ſe abſtineat, eadem conditio defertur heredi ejus, quæ & ipſi, ex *hac l.* nimirum ut ſe abſtinere poſſit propter coheredem abſtinentem ſe.

L. 57.

Dixi ſupr. *l.* 11. *h. tit.*

L. 58.

SErvus ex parte heres inſtitutus, & liber, nondum adita hereditate a coherede, antequam coheres adierit fit liber & neceſſarius heres, quia non a co-

Digitized by Google

a coherede, ſed a ſemetipſo accipit libertatem, ut *hic*, *& l. ſed ſi conditioni*, §. *ult.* ſupr. *de hered. inſt. l.* 2. §. *pen. de ſtatuliber. l. ſi ita*, §. *regula*, *de liber. & poſth. l.* 4. *C. de neceſſ. ſerv. hered. inſtit.* atque ita non eſt neceſſe ut expectet quouſque coheres adeat hereditatem, quia libertas eſt individua, non poteſt fieri pro parte liber, pro parte ſervus manere. Hoc verum eſt, niſi ita inſtitutus fuerit, *cum mibi quis heres erit*, *Stichus liber & heres eſto*, quia inſtitutus eſt ſub conditione, quam prius impleri oportet; *l. qui heredi*, §. *ult. de condit. & demonſtrat.*

L. 60.

PAter filium emancipatum ex aſſe heredem inſtituit, & ſi is heres non eſſet, ſervum liberum & heredem eſſe juſſit: filius omiſit hereditatem ex teſtamento, quaſi a patre demente factum eſſet, & petiit bonorum poſſeſſionem ab inteſtato *unde liberi*, quæritur, an filius ſit heres patri ex teſtamento, an ab inteſtato? Labeonis ſententia eſt, filium ex teſtamento patri heredem eſſe, ſi probaretur patrem ſanæ mentis teſtamentum feciſſe. Labeonis ſententiam improbat Javolenus, quia ex quo filius emancipatus hereditatem teſtamento patris datam ad ſe pertinere noluit, ſtatim ea defertur ſubſtituto: repudiatio fit ſola voluntate; *l. filii*, *ad SC. Tertyll.* & inſtituto repudiante, ſtatim hereditas tranſit ad ſubſtitutum; *l. jam dubitari*, *de heredib. inſtit.* Nec videtur pro herede ex teſtamento geſſiſſe, qui omiſit hereditatem ex teſtamento, & ex alia parte edicti bonorum poſſeſſionem petiit, id eſt bonorum poſſeſſionem ab inteſtato *unde liberi*. Javoleni ſententiam probant Paulus & Proculus, quia ſibi imputare debet, qui ſtulte omiſit hereditatem ex teſtamento, & credidit patrem dementem fuiſſe, qui erat ſanus: vana ſimplicitas nocet; *l.* 3. *ad Macedon.*

L. 61.

JUs adcreſcendi locum non habet in portionibus agnitis; *l. unic.* §. *his ita definitis*, *C. de caduc. tollend.* tamen ſi pupillo, qui poſt immixtionem abſtinuit, per in integrum reſtitutionem, datus ſit coheres, portio pupilli abſtinentis coheredi adcreſcit; *l. ſi pupillus*, infr. *ad Trebell. l. ex contractu*, *de re judicat.* quia portio agnita pro non agnita habetur, quæ poſt aditionem per reſtitutionem in integrum repudiata eſt: verum adcreſcit coheredi volenti, non invito; *l. cum hereditate*, ſupr. *h. tit.* Quod receptum eſt ex conſtitutione Severi, ex qua ſi minor annis 25. poſteaquam ex parte heres extitit, in integrum reſtitutus ſit, ejus partis onus coheres ſuſcipere non cogitur, ſed bonorum poſſeſſio datur creditoribus, ut refertur in *hac l.* id eſt creditores mittuntur in poſſeſſionem bonorum quaſi vacantium rei ſervandæ cauſa. Quia iniquum videbatur, portionem ejus, qui ſemel adiit & reſtitutus eſt adverſus aditionem, coheredi invito adcreſcere, qui aditionis tempore partem ſuam adiiſſet, ne alioqui prætoris beneficium in concedenda reſtitutione in integrum ei captioſum ſit, cui nihil imputari poſſit; *l. Paulus*, infr. *de prætor. ſtipulat.*

L. 62.

SI heres ita inſtitutus ſit, ſi juraverit, puta Capitolium aſcendere, conditione impleta, non ſtatim ex ſententia Labeonis fit heres, antequam pro herede aliquid geſſerit, quia jurando magis ſuam declaraſſe videtur voluntatem, ſe velle adire hereditatem, quam pro herede geſſiſſe. Heres inſtitutus ſub conditione, vel cui legatum relictum eſt ſub conditione, conditione impleta, non adquirit hereditatem, niſi poſt impletam conditionem hereditatem vel legatum agnoverit; *l. ei qui ita hereditatem*, *l. ſi pupillus*, *de condit. inſtit.* Javolenus

Digitized by Google

rejecta ſententia Labeonis exiſtimat, heredem ita inſtitutum, ſi juraverit, ſatis pro herede geſſiſſe, ſi ut heres juraverit, id eſt animo heredis, quia pro herede gerit, qui aliquid facit quaſi heres; *l. pro herede*, ſupr. *h. tit.* §. *ult. inſt. de hered. qualit. & diff.* Si heres inſtitutus ſit ſub conditione, ſi juraverit, conditio remittitur; *l.* 8. §. † 4. *de condit. inſtit.* & ideo ſi juraverit diſputatum eſt, an videatur pro herede geſſiſſe; Cujac. 13. *obſ.* 22.

§. *ſi ſervus*.

SErvus heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem, ſine juſſu domini. Quod ſi ſervus heres inſtitutus, poſt juſſum domini de adeunda ſc. hereditate, antequam adiret, alienatus ſit, novus juſſus poſterioris domini, non juſſus prioris, exigitur, novus juſſus prioris domini non valet, quia requiritur juſſus domini, in cujus poteſtate eſt tempore aditionis, id eſt ejus, in quem ſervus alienatus eſt; §. *ſervus autem* 1. *inſtit. de hered. inſtit.* Et ſic ſi ſervus heres inſtitutus eſt, & dominus juſſit eum adire hereditatem, & poſt juſſum pœnituerit antequam adiret, poſtea adeundo nihil agit; *l. ſi quis mihi bona*, §. † *penult.* ſupr. *h. tit.*

L. 63.

FUrioſus per ſe non poteſt ſibi adquirere hereditatem, niſi neceſſarius patri aut domino heres exiſtat, puta filius vel ſervus, quia ſervus vel filius, qui eſt in poteſtate, ſtatim ipſo jure, etiam invitus vel ignorans, patri vel domino heres exiſtit; *l.* 3. §. *eſt autem*, *de ſuis & legitim. heredib. l. ult.* §. *ſin vero*, *C. de curat. furioſ.* per alium autem, puta per ſervum vel filium, qui eſt in poteſtate, hereditatem ſibi adquirere poteſt, puta ſi ſervus vel filius furioſi heres inſtituatur, hereditatem adquirit patri vel domino furioſo, adeundo utcumque ſine juſſu patris vel domini. Et hoc interveniente juſſu curatoris, qui datur furioſo; *l. qui ſervum*, ſupr. *h. tit.* Neque obſtat *l. neque*, *C. de hered. inſtit.* ex qua heres inſtitutus, cui hoc conceſſum non eſt, neque per ſe, neque per ſervum hereditatem quærere poteſt. Quia hoc verum eſt in eo, qui capere non poteſt ob delictum, qui vetitus eſt a lege: aliud in furioſo, qui non poteſt ſibi adquirere hereditatem propter infelicitatem fati, ut recte ait *gloſſ. hoc loco*.

L. 64.

SErvus communis duorum heres inſtitutus, ſi alterius domini juſſu tantum adierit hereditatem, & poſtea manumiſſus fuerit, adeundo ex parte dimidia heres erit: id eſt ſi alterius domini juſſu adierit, partem hereditatis ei adquirit tantum, pro qua dominus eſt; *l. ſervus communis*, infr. *h. tit.* & ſi poſtea manumiſſus ſit, adeundo alteram partem ſibi adquirit, quia cum manumiſſione ſui juris ſit, adeundo alteram partem ſibi adquirere poteſt. Ratio dubitandi eſſe videbatur, quod ſervus communis, ſi alterius e dominis juſſu adeat hereditatem, adquirit ei totam hereditatem, quia hereditas eſt individua, non poteſt pro parte adiri pro parte repudiari, ne defunctum pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum faciat; *l.* 1. *&* 2. ſupr. *h. tit.* Et juſſus adeundi eodem jure cenſendus eſt, ut dividi non poſſit: ſicut ſervus communis, uni ſtipulando omnibus adquirit; *l.* 1. §. *communis*, *de ſtipulat. ſerv.* ſed alia longe eſt ratio. Servus communis heres inſtitutus, ſi alterius e dominis juſſu adeat hereditatem, non adquirit ei, niſi pro qua parte dominus eſt, quia non poteſt alicujus juſſu amplius quæri, quam pro qua parte dominus eſt. Unus e dominis non poteſt jubere in amplius, quam pro qua parte dominus eſt, & ei adquiri ſine juſſu ſuo non poteſt: ſed ſervus communis ſtipulando uni, utrique adquirit,

Digitized by Google

rit, quia ſervus communis eſt ſervus duorum, pro partibus indiviſis *; l.* † *ſervus communis* 5. *de ſtipul. ſerv.* & ideo ſi unus ſtipuletur, utrique ſtipulari videtur.

L. 65.

SI ſervus communis duorum heres inſtitutus ſit, eique adjectus ſubſtitutus in caſum vulgarem ſi heres non erit, ſi alterius e dominis juſſu adeat hereditatem, & poſtea manumiſſus ſit, adeundo ex parte dimidia heres ſit, id eſt adeundo ſtatim partem alteri e dominis, qui juſſit, & poſtea ſi manumiſſus ſit, adeundo partem alteram ſibi adquirit, & ſubſtitutus locum non habet, quia ſervus communis, ſi juſſu alterius e dominis adeat, ſit heres ex parte alteri ex dominis, ex parte ſibi, & ſubſtitutio vulgaris expirat adita hereditate *; l. poſt aditam, C. de impub. & aliis ſubſtit.* Quod ſi ſervus communis heres inſtitutus ſit, & ſi heres non eſſet, ei Mævius ſubſtitutus, ſi alterius e dominis juſſu adierit hereditatem, alterius non, & non ſit manumiſſus, ſubſtituto locus erit *; l. ult. in princ.* ſupr. *de vulgar. & pupillar.* Et ſi ſervus heres inſtitutus ſit ex parte pure, ex parte ſub conditione, dato ſc. coherede, & juſſu domini adierit hereditatem, deinde eo manumiſſo conditio alterius portionis extiterit, non domino adquiritur portio illa, ſed ipſum manumiſſum comitatur *; l. ſi ſolus*, §. 2. infr. *h. tit.*

L. 66.

SI ſervus communis uni e dominis, vel pluribus, vel omnibus heres extiterit, nullius eorum hereditate poteſt ſe abſtinere, quia ſervi ſunt neceſſarii heredes, & non habent beneficium abſtinendi: & in hoc diſtant a liberis, qui ſunt ſui & neceſſarii heredes, ſed habent beneficium abſtinendi a prætore *; l. neceſſariis*, ſupr. *h. tit.* §. *ſui, in fin. inſt. de her. qual. & diff.*

L. 67.

SErvus communis plurium ab extraneo heres inſtitutus, ſi juſſu unius e dominis adierit hereditatem, non pro majori parte interim eum heredem facit, quam pro parte dominica, ut *hic*, & §. *ſervus autem* 3. *inſt. de hered. inſtit.* Idem in legato, ſi ſervo communi plurium legatum relictum ſit, legatum ei adquirit pro partibus dominicis *; l. ſi ſervus plurium, de legat.* 1. Deinde ceteris ſociis non jubentibus adire, id eſt partes ſuas repudiantibus tacite vel expreſſe, tacito jure ceteræ partes ei adcreſcunt: portio deficientis adcreſcit coheredi quaſi ex tacita ſubſtitutione, quaſi ſubſtituto *; l. ſi Titio & Mævio*, §. *Julianus, de legat.* 2. *l. non juſtam, C. ad Trebell.* Et hoc locum habet, cum in deficientis portione nemo ſubſtitutus eſt. Quod ſi quibusdam ex heredibus ſubſtitutus datus ſit, ſubſtitutus præfertur conjuncto, & excludit jus adcreſcendi *; l. quidam teſtamento, l. ult. de vulgar. & pupillar. l. unic.* §. *in primo*, §. *ſin autem, C. de caduc. tollend.* potior eſt cauſa ſubſtituti, quam coheredis, quia ſubſtitutus utitur expreſſa voluntate defuncti, coheres tacita tantum: proviſio hominis facit ceſſare proviſionem legis: quod ſi ſervo communi legatum ſit, pars repudiantis non adcreſcit alteri, quia non conjunctim, id eſt ſingulis ſolidum ab initio, ſed partes legatæ videntur, id eſt partes dominicæ *; l. & Proculo, de legat.* 2.

Digitized by Google

L. 68.

SI ſervus plurium ex aſſe heres inſtitutus, ſicut poteſt uno eodemque tempore omnium dominorum juſſu adire hereditatem, ita & ſeparatis ſeu diverſis temporibus ſingulorum juſſu recte adire poteſt, ex *hac l.* Neque obſtat, quod aditio hereditatis eſt actus legitimus & ſolemnis; *l. actus legitimi*, *de R. J.* & ideo non iteratur, unde ſemel adeundum, id eſt ſemel adiri hereditas dicitur in *l. ſi ſolus*, *§. ult.* infr. *h. tit.* quia regula illa, ſemel adiri hereditatem, in ejusdem perſona locum habet, non cum per alium adquirenda eſt hereditas, puta per ſervum; *d. l. ſi ſolus*, *§. ult.* Et cum ſæpius adit ſervus plurium heres inſtitutus, non ex teſtamento, id eſt ex diverſis teſtamentis, ſed ex jure dominorum venit, quaſi omnes illi inſtituti videantur, quia ſervus communis, duorum ſervorum vicem ſuſtinet; *l. 1. §. communis*, infr. *de ſtipulat. ſerv.* Quod utilitatis cauſa receptum eſt, ne alterius feſtinatione alterius jus lædatur, quia unius conditio deterior fieri non debet facto alterius; *l. non debet 74. de R. J. l. 1. de alienat. judic. mut. cauſ.* neque captioſe alterius diligentia prævenienda eſt; *l. 2. §. ſed ſi forte*, *ad SC. Tertyllian. l. 2. §.* † *ſi mater*, *l. 4. §. unde quæri*, *de manumiſſ.* Idem locum habet in ſervo unius ex parte pure, ex parte ſub conditione inſtituto dato ſc. coherede, ut nempe dominus poſſit iterum adire jubere, ſi conditio extiterit, ne alioquin ſervo deinde manumiſſo portio ſub conditione data, vel juſſu domini adita, ſervum manumiſſum comitetur; *d. l. ſi ſolus*, *§. 2.* infr. *h. tit.*

† §. iſte deſideratur.

L. 69.

QUamdiu inſtitutus admitti poteſt, ſubſtituto locus non eſt, ut *hic*, *& l. 3.* ſupr. *h. tit. l. cum in teſtamento*, *de heredib. inſtit. l. ſi mater*, *§. 1. de vulgar. & pupillar.* Sed ne mora fiat ſubſtituto heredi, poſtulanti a prætore datur tempus ad deliberandum de adeunda hereditate, ut ſubjungitur *hic*, *& l. 2. & tot. tit.* ſupr. *de jur. deliber. l. ſi curatoris*, *C. eod.* quod non erat minus quam centum dierum; *d. l. 2. l. ſi Titio*, *§. quædam*, *quand. dies legat. ced. l. 3. §. etſi heres*, *de minor.* vel anni ſpatium ex conſtitutione Juſtiniani; *l. cum in antiquioribus*, *C. de jur. deliberand.* Intra tempus, quod primo inſtituto datur ad deliberandum, ſubſtitutus adire non poteſt, neque pro herede gerere: elapſo tempore inſtitutus non poteſt adire, & ei denegantur actiones, id eſt jus adeundi, & ſubſtituto rurſus datur tempus ad deliberandum. Jus adeundi per ſe eſt perpetuum, heres inſtitutus, qui non repudiavit, perpetuo adire poteſt, quia aditio hereditatis eſt juris civilis: beneficium legis eſt perpetuum; *l. legis falcidiæ*, infr. *ad leg. falcid. l. ſi curatoris*, *C. de jur. deliberand.* Sed poſtulantibus creditoribus vel legatariis, a judice datur tempus ad deliberandum de adeunda hereditate, quo elapſo non licet adire, & locus fit ſubſtituto, vel creditoribus bona addicuntur. Quod ſi ſubſtituto datus ſit ſecundus ſubſtitutus, & primo id eſt herede primo loco inſtituto deliberante de adeunda hereditate, ſecundus id eſt primus ſubſtitutus decedat, ſecundo ſubſtituto locus fit ſubmoto primo, quia teſtamentum poteſt incipere a primo vel ſecundo gradu; *l. ſi is qui ſolvendo*, *de hered. inſtit. l. quidam teſtamento*, *de vulgar. & pupillar.* Si minor poſt aditionem abſtinuerit ſe per reſtitutionem in integrum, ſubſtitutus admittitur, licet minor poſſit reſtitui adverſus abſtentionem; *l. ait prætor*, *§. ſed quod Papinianus*, *de minorib. l. Thais*, *§.* † *Spendophorus*, *de fideicommiſſ. libert. l. 2. C. de hered. inſtit. l. unic. §. in principio*, *& §. in noviſſimo*, *C. de caduc. tollend.* Subſtitutio vulgaris non fit caduca interruptione graduum, puta ſi ſint plures gradus heredum,

Digitized by Google

dum, nempe inſtitutus & plures ſubſtituti gradatim, & primo deliberante ſecundus decedat, id eſt primus ſubſtitutus, tum primus repudiet hereditatem, ſecundus ſubſtitutus admittitur. Subſtitutio vulgaris interruptione graduum non vitiatur, ut *hic*, *& l.* 3. §. *ult. de liber. & poſth.* ſubſtitutus ſubſtituto eſt ſubſtitutus inſtituto; *l. ſi Titius*, *l.* † *coheredi*, *in princ. de vulgar. & pupillar.* Et hoc diſtat ſubſtitutio vulgaris a pupillari, quod pupillaris graduum interruptione fit caduca, puta ſi filio impuberi Titius ſubſtitutus datus, & Titio Mævius; *l. qui habebat*, *de vulgar. & pupillar. l. qui duos*, *de reb. dub.* Quod ſi plures gradus ſint ſubſtitutionum fideicommiſſariarum, graduum interruptio non vitiat ſubſtitutionem fideicommiſſariam, ut docet Bartol. *hic* & præmortuo primo fideicommiſſario, fideicommiſſum devolvitur ad ſecundum; *l. unic.* §. *pro ſecundo*, C. *de caduc. tollend.*

L. 70.

QUamdiu heres teſtamentarius admitti poteſt, legitimus non admittitur, ut *hic*, *& l.* 3. ſupr. *h. tit. l. quamdiu*, *de R. J. l. antequam*, *C. comm. de ſucceſſ.* quia potior eſt ſucceſſio ex voluntate defuncti, quam legitima, quæ venit ex poteſtate legis deficiente voluntate defuncti, ut ſuppleat voluntatem, non ut concurrat vel impediat. Si idem heres ſcriptus ſit teſtamento, & proximus ab inteſtato, prius eſt ut hereditatem ex teſtamento repudiet antequam hereditatem adire poſſit, & ſi utramque repudiare paratus ſit, prius eſt ut hereditatem ex teſtamento repudiet, deinde legitimam repudiet. Idem júris eſt iu bonorum poſſeſſione, prius eſt ut heres ſcriptus repudiet bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, deinde petat bonorum poſſeſſionem ab inteſtato *unde liberi*, vel *unde legitimi*. Si vero is, qui eſt proximus ab inteſtato, heres inſtitutus ſit ſub conditione, nihil conſtituere poteſt de legitima hereditate, antequam dies conditionis transeat, id eſt nihil poteſt decernere de adeunda vel repudianda legitima hereditate, antequam dies conditionis exſtiterit vel defecerit, & in eo caſu, id eſt cum dies conditionis exſtiterit, ſi reſpondit, id eſt ſi in jure interrogatus poſtulantibus creditoribus & legatariis apud prætorem dicat, neutram hereditatem ad ſe velle pertinere, bona defuncti a creditoribus poſſidentur, id eſt creditoribus bona addicuntur, & curator datur bonis, per quem bona ſub haſta diſtrahuntur. Quod confirmat *l.* 1. *de curat. bon. dand.* Prior eſt cauſa teſtati, quam inteſtati. Si idem heres inſtitutus ſit, qui erat proximus ab inteſtato, ſi neutram hereditatem amplecti velit, dubitatum eſt, an ſimul, id eſt uno actu, utramque repudiare poſſit, quoniam legitima hereditas non defertur, antequam hereditas ex teſtamento repudietur: verum ſi idem heres ſcriptus teſtamento, & proximus ab inteſtato repudiet hereditatem, eodem momento intelligitur utramque repudiare, & ex teſtamento & legitimam: ſicuti ſi idem ſcriptus teſtamento & proximus ab inteſtato legitimam agnoſcat, ſciens ſe heredem ex teſtamento, videtur ante repudiare teſtamentum, id eſt hereditatem ex teſtamento, & ita legitimam adquiſiiſſe; *l. illud*, infr. *hoc tit.* Teſtamentum pro hereditate ex teſtamento, ut *hic*, *& l. nam etſi*, §. *ult. de inoff. teſt. & l.* 10. *C. de jur. deliberand.* Ambroſ. in pſal. 118. *Novum tamen teſtamentum ſinguli adeunt*, *& omnes poſſident*. Auguſtin. in pſal. 67. (num. 19.) in illa verba, *ſi dormiatis inter medios cleros*. *Cur autem in cleris teſtamenta intelligantur*, *cum hoc nomen Græcum ſit quidem*, *ſed teſtamentum non ita dicatur*, *hæc cauſa eſt*, *quia per teſtamentum datur hereditas*.

Digitized by Google

L. 71.

SI quis ſervum alienum bello captum ab hoſtibus redemerit, ſervus redemptus fit ſervus redemptoris, & vinculo pignoris naturalis tenetur, donec pretium redemptionis ſolverit, vel operas quinquennii vice pretii; *l. in bello, §. ſi quis ſervum*, infr. *de captiv. & poſtlim. reverſ. l. ab hoſtibus redempti, l. liber*, *C. eod. l. ſenatus, §. ult. de legat.* 1. *l. ſi libertus* 32. *de bon. libert.* Quod ſi quis ſervum alienum captum ab hoſtibus redemerit, & teſtamento eum heredem cum libertate inſtituerit, fiet liber & heres neceſſarius, quia erat ſervus redemptoris, & cum ſcriptus eſt heres cum libertate, vinculo ſuo id eſt vinculo ſervitutis, quo tenebatur, reſolvitur, id eſt abſolvitur, & in hoc ſolum poſtliminio redit ad priorem dominum, non ut iterum ejus ſervus fiat, cujus erat antequam caperetur: hoc enim ſatis impium eſſet, id eſt ſervus ſemel liber, non poteſt redire in ſervitutem: ſed ut priori domino ſuam æſtimationem omnimodo offerat, vel maneat ei obligatus donec pretium ſolvat. Ratio dubitandi erat, quod ſervus captivus redemptus ab hoſtibus, non fit proprie ſervus redimentis, ſed vinculo pignoris naturalis tenetur quoad pretium ſolvat; *d. l. ab hoſtibus*. Ergo videbatur non poſſe a redemptore inſtitui cum libertate, & ex teſtamento liber & neceſſarius heres fieri. Tamen ſervus captivus redemptus ab hoſtibus pro ſervo habetur, donec redimenti pretium ſolvat, & interim poteſt ab eo inſtitui heres cum libertate, ita ut ex teſtamento fiat liber & heres neceſſarius: & licet ſervus redemptus poſtliminio redeat ad priorem dominum, ad hoc tantum redit, ut priori domino ſuam æſtimationem omnino offerat, vel ut maneat ei obligatus quoad pretium ſolvat. Et hoc favore libertatis introductum eſſe ait Ulpian. in *hoc loco, in fin.* Multa favore libertatis introducta ſunt contra regulas juris communis; *l.* † *generaliter*, *§. ſi quis ſervo, de fideic. libertatib.*

§. ſi quis hac lege.

SErvus a domino heres inſtitutus cum libertate, vel ſine libertate, fit liber, heresque neceſſarius; *§. ſervus autem* 1. *inſt. de hered. inſt. l. quidam*, *C. de neceſſ. ſerv. hered. inſtit.* Quod ſi ſervus hac lege emptus ſit, ut intra diem manumittatur, cum libertate heres inſtitutus ſit ab emptore, quæritur, an ei ſuccurrendum ſit a prætore, ut ſe abſtinere poſſit? Ratio dubitandi erat, quod ſervus a domino heres inſtitutus, eſt heres neceſſarius, nec poteſt ſe abſtinere. Ulpian. reſpondit, magis eſſe, ut antequam dies manumittendi exſtiterit ſit heres neceſſarius, quia interim eſt ſervus emptoris, nec poſſit ſe abſtinere: ſin autem dies manumittendi præterierit, tunc poteſt ſe abſtinere, quia non eſt neceſſarius, ſed voluntarius heres, quia ex conſtitutione divorum Marci & Commodi ad Aufidium Victorinum, ſi ſervus hac lege emptus, ut intra diem manumittatur, ipſo jure fit liber; *l. ſi quis hac lege, de oper. libert. l. ſi quis hac lege, qui & a quibus manumiſſ. l. ſi ea lege*, *C. ſi mancip. ita fuer. alienat.* Et hoc exemplo ſervi, cui fideicommiſſaria libertas ſub conditione relicta, ſi ab herede cum libertate inſtituatur, pendente conditione eſt heres neceſſarius, quia eſt ſervus heredis, exiſtente conditione heres voluntarius efficitur; *l.* 3. *§. qui* † *fideicommiſſam*, *de hered. inſtit. l. mater*, *C. de oper. libertor.*

§. ſi quis dederit.

QUid ſi ſervus dederit nummos domino, ut manumitteretur, & a domino cum libertate heres inſtitutus ſit, quæritur an ei ſuccurrendum ſit a prætore, ut poſſit ſe abſtinere? Ulpianus ait, ei ſuccurrendum, ut poſſit ſe ab-

abſtinere, ſi manumittatur ſc. quia manumiſſione fit liber, & voluntarius heres: quod ſi non manumittatur eſt heres neceſſarius, nec poteſt abſtinere. Dominus, qui ex pacto pecuniam accepit a ſervo, ut eum manumitteret, non eſt cogendus eum manumittere. Dominus ex pacto cum ſervo non obligatur; *l. cum adfirmes*, *C. de liberal. cauſ. l. interpoſitas*, *C. de tranſact.*

§. *prætor ait*, † §. *ſi quis ſuus*, §. *non dixit prætor*, §. *amoviſſe*, §. *ait prætor*, §. *amovere*, §. *ult.*

ADitio hereditatis eſt juris civilis, eſt actus legitimus & ſolemnis; *l. actus legitimi*, *de R. J.* tamen circa eam multa conſtituta ſunt edicto prætoris, juris civilis ſupplendi cauſa: puta heredi ſcripto poſtulanti, ſi dubitet an hereditas ſit ſolvendo, a prætore datur tempus ad deliberandum de adeunda hereditate; *l. 1. §. 1. ſupr. de jur. deliberand.* Filius, qui eſt in poteſtate patris tempore mortis, eſt ſuus & neceſſarius heres, ſed habet beneficium abſtinendi a prætore; *l. neceſſariis*, ſupr. *h. tit.* §. *ſui autem*, *de hered. qualit. & different.* Sed ex edicto prætoris ſi ſuus heres ante immixtionem aliquid ex hereditate amoverit, non habet beneficium abſtinendi, ex *h.* §§. † *prætor ait*, & *ſi quis ſuus*, id eſt quaſi indignus ob delictum, ob amotionem rerum hereditariarum amittit beneficium abſtinendi. Edicto prætoris locus eſt, ſive ipſe amoverit, ſive amovendum curaverit. Damnum dediſſe videtur, qui occaſionem damni dedit; *l. qui occidit*, §. *in hac quoque*, ſupr. *ad l. Aquil.* Occidiſſe dicitur qui mortis cauſam quolibet modo præbuit; *l. ita vulneratus*, *in princ. eod. tit.* Et ideo prætor non dixit, ſi quid amoverit, *ſed ſi per eum factum erit, quo quid ex hereditate amoveretur*; † §. *non dixit prætor*. Amoviſſe intelligitur ad hoc, ut teneatur edicto prætoris, qui quid celavit, intervertit, aut conſumpſit, ſive unam rem amoverit, ſive plures, ſive res amotæ ſint ex hereditate, ſive ad hereditatem pertineant; † §. *amoviſſe*, §. *ait prætor* puta res commodatæ defuncto, vel pignori datæ, ſicut in petitione hereditatis veniunt non tantum res hereditariæ, ſed & quæ non ſunt hereditariæ, quarum periculum pertinet ad heredem, ut res commodatæ, depoſitæ, vel pignori datæ defuncto; *l. & non tantum*, *de petit. heredit.* Amoviſſe non videtur, qui non callido animo, vel maligno rem repoſuit, id eſt ſepoſuit, abſtulit, ut exponitur † in §. *amovere*, non dolo & animo amovendi, ſed per errorem, cum putat non eſſe hereditariam. Amotio vel furtum non committitur ſine animo furandi; *l. falſus creditor*, §. *ſi jactum*, *l.* † *in furti*, §. 2. *l. ſi quis uxori*, §. † *ſi quis de manu*, *de furt.* Edicto prætoris tenetur; qui ante id eſt, ante aditionem hereditatis aliquid amovit, deinde ſe abſtinet, id eſt ſe abſtinere vult: qui ante ſe abſtinuit, & poſtea amovit, non tenetur actione rerum amotarum, ſed potius creditoribus tenetur actione furti, quaſi amoverit rem omnino alienam, † ex §. *ult.* Neque obſtat, quod rei hereditariæ furtum non fit, quia furtum non fit rei, quæ non poſſidetur. At hereditas jacens non poſſidet, neque poſſidetur; *l. hereditariæ*, *de furt. l. 1. §. Scævola*, *ſi is qui teſtam. liber eſſe juſſ.* quia qui ſemel abſtinuit hereditate, ſi poſtea rem amoverit, tenetur actione furti creditoribus, quibus bona addicta ſunt a prætore, & qui miſſi ſunt in poſſeſſionem bonorum, ut diſtrahantur. Alias jacente hereditate, id eſt creditoribus non miſſis in poſſeſſionem bonorum, qui ſemel ſe abſtinuit, ſi poſtea rem amoverit, non tenetur furti, vel rerum amotarum hereditati jacenti, quia amotio vel furtum non fit hereditati quæ jacet, quia hereditas jacens non habet poſſeſſionem, quæ eſt facti & animi; *d. l. 1. §. Scævola*. Et hoc eſt quod ait Ulpian. in fin. leg. *etenim qui ſemel ſe abſtinuit, quemadmodum ex poſtdelicto obligatur?* quomodo qui ſemel abſtinuit ſe hereditate, poſtea amovendo poteſt obligari hereditati, cui

Digitized by Google

furtum non fit? Qui res amovit amittit beneficium abſtinendi, ſed qui ſemel ſe abſtinuit, poſtea res amovendo non obligatur, non videtur quaſi poſtliminio redire ad hereditatem, nec quaſi adeundo obligatur hereditati: delictum non tollit indultum beneficium, quod impedit indulgendum; *l.* † *patre furioſo, de his qui ſui vel alien. jur. ſunt*. Amotio non tollit beneficium abſtinendi jam adquiſitum, ſed impedit adquirendum.

L. 72.

SI quis heres ita ſcriptus ſit, ut intra certum tempus adeat hereditatem, dato ſubſtituto in hunc caſum: ſi intra id tempus † non adierit, & prior heres antequam adiret deceſſerit, ſubſtitutus ſtatim poteſt adire, nec expectat ultimum diem aditionis, quia non expectatur dies, cujus eventus nihil novi allaturus eſt; *l. cum heres*, §. *qui ex parte*, ſupr. *h. tit.* Aliud dicendum eſt in ſtipulationibus & promiſſionibus inter vivos, ex ſtipulatione in diem agi non poteſt priusquam dies ſtipulationis extiterit. Licet certum ſit ſtipulationem impleri non poſſe, tota enim ſtipulatio in diem collata videtur; *l. ſi cum*, §. 1. ſupr. *ſi quis cautionib. judic. ſiſt. l.* † *hoc jure, de V.O.*

† V. ſi facit, & v. in terminis *l.* 8. *eod. tit.*

L. 73.

SI quis non quaſi heres, ſed quaſi filius patroni, egens, a liberto paterno ali velit, & quaſi alimenta petat, non videtur ſe immiſcere bonis paternis, ex *hac l.* quia non facit ut heres, ſed ut filius patroni: jus patronatus tranſit ad liberos: paternos libertos recte videmur dicere noſtros libertos; *l. licet* 58. §. *paternos, de V. S.* Egenti patrono debentur alimenta a libertis; *l. ſi quis a liberis*, §. *alimenta*, §. *de alimentis, de liber. agnoſcend.* Pro herede gerere non videtur, qui aliquid facit, non quaſi heres, ſed quaſi patronus vel patroni filius; *l. pro herede*, §. † 1. *verſ. ſervos, &* §. *ſi quid*, ſupr. *h. tit.*

L. 74. † *in pr. &* §. 1.

HEres inſtitutus ſub conditione dandi quinque, ſi adierit hereditatem, putans ſe decem dare juſſum, ſi decem dederit, adeundo fiet heres, quia pars eſt in toto; *l. ſi quis cum, in princ. de exceptione rei judicat.* id eſt majori ſummæ minor ineſt; *l. quotiens*, §. 3. *de hered. inſtit. l. diem proferre*, §. *ſi plures, de recept. qui arbitr. l. qui quartam, de legat.* 1. *l.* 1. §. *ſi ſtipulanti, de V. O. l. cum furti, de in lit. jurand.* At ſi adierit hereditatem putans ſe juſſum dare quinque, cum decem dare juſſus ſit, quinque dando non implet conditionem, etiam pro parte, quantum ad hoc ut pro parte fiat heres, quia conditio eſt individua, conditio ſcindi non poteſt, id eſt pro parte impleri; *l. cui fundus*, infr. *de condit. & demonſtrat. l. ſi non ſortem*, §. *pen. de condict. indebit.* Quinque dando, inquam, non implet conditionem, ſed ad aliquid proficit, ut ſi alia quinque det, aliorum quinque datione impleatur conditio: conditio dandi decem vel quinque non poteſt impleri pro parte, ſed ſolutio pro parte prodeſt, ut ſoluto reliquo conditio impleatur, id eſt ſolutio per partes facta, in totum valet ad implendam conditionem; *l.* 3. §. *ſi decem*, infr. *de ſtatuliber.* Alias ſolutio partis non liberat debitorem; *l. acceptam*, *C. de uſur. l.* † *obſignatione*, *C. de ſolut.*

§. *qui bona fide*, † §. *ſimilis eſt*.

LIber homo bona fide ſerviens heres inſtitutus, ſi quaſi juſſu domini, id eſt juſſu ejus cui bona fide ſervit, adierit hereditatem, non obligatur, id eſt non

non adquirit hereditatem quaſi domino, ut *hic*, *&* *l. liber homo*, *l. homo liber*, inſtr. *de adquir. rer. domin. l. liber homo*, *de hered. inſtit.* quia errans id eſt per errorem putans ſe ſervum, cum ſit liber, adiit hereditatem; *l. qui in aliena*, §. *Celſus*, ſupr. *h. tit.* Idem dicendum eſt ſi ſtatuliber, id eſt ſervus manumiſſus ſub conditione, heres ſit inſtitutus, & juſſu domini adierit hereditatem, non obligatur, id eſt adeundo non obligatur hereditati & non adquirit hereditatem domino, quia errans adiit putans ſe ſervum, cum jam eſſet liber, conditione expleta.

§. *de eo*.

STatuliber, id eſt ſervus manumiſſus ſub conditione heres inſtitutus ab aliquo, qui dubitat, an libertas ei ex teſtamento obtigerit, cum neſciat conditionem libertatis exſtitiſſe, vel hereditatem aditam, (ſi cui libertas relicta ſit pure teſtamento, non debetur priusquam adita ſit hereditas; *l.* 2. §. 1. *l. ſtatuliberum*, §. *ult. de ſtatuliber. l. Julianus* 86. *de condit. & demonſtr. l.* † *unic.* §. *libertatibus*, *C. de caduc. tollend.*) an adeundo ſit heres, id eſt an adeundo ſibi adquirat hereditatem? Ratio dubitandi eſſe videbatur, quod qui adit hereditatem debet eſſe certus de ſtatu ſuo; §. *prox.* ſupr. *h. leg. l. de ſtatu*, ſupr. *qui teſtam. fac.* ſed tamen ex ſententia Juliani ſit heres, quia non erravit, ſed dubitavit, an eſſet liber. Qui dubitat magis videtur ſcire, quam neſcire, qui dubitat non ignorat omnino. Dubitans differt ab errante; *d. l. de ſtatu*, qui errat non habet animum adeundi: qui dubitat habet animum non certum.

L. 75.

HEres ſcriptus ex ſemiſſe per errorem petit bonorum poſſeſſionem ex quadrante, quæritur, an nihil actum ſit, an vero perinde ſit ac ſi bonorum poſſeſſionem petiiſſet, non facta mentione quadrantis? Marcellus reſpondit, nihil magis actum eſſe, quam cum heres ſcriptus ex ſemiſſe per errorem adiit hereditatem ex quadrante. Heres inſtitutus ex majori parte, qui per errorem putavit ſe inſtitutum ex minori, ex minori parte adeundo nihil agit, id eſt non adquirit hereditatem in totum, vel pro parte, quia non habet animum adeundi, non videtur conſentire qui errat; *l. ſi per errorem*, ſupr. *de jurisdict.* Neque pugnat *l.* † *ſi ex aſſe*, ſupr. *h. tit.* ſi heres ex aſſe deſtinaverit, id eſt propoſitum habuerit, adire hereditatem ex parte, puta ex ſemiſſe vel quadrante, videtur in aſſem pro herede geſſiſſe, quia heres ſcriptus non ignorabat ſe ſcriptum ex aſſe, & deſtinando adire hereditatem ex parte, nihilominus ſit heres in aſſem, quia propoſitum adeuntis non mutat naturam actus. Hereditas non poteſt adiri pro parte, pro parte repudiari; *l.* 2. ſupr. *h. tit.* Immo propoſitum ſeu intentio adeuntis regulatur ex natura ipſius actus, & heres ſcriptus ex aſſe, licet deſtinaverit adire ex parte, videtur ſecundum jus commune velle adire in totum, prout debet facere. Sic error jubentis adire hereditatem vitiat aditionem, puta ſi pater mandaverit filio, quaſi ex aſſe inſtituto adire hereditatem, & inveniatur ex parte inſtitutus, non videtur juſſu patris adiiſſe; *l. ſi quis mihi bona*, §. *ſed ſi mandavit*, ſupr. *h. tit.*

L. 76.

HEres inſtitutus ex ſextante ſub conditione, idemque ſubſtitutus Titio coheredi, Titio omittente ſeu repudiante partem ſuam, ex ſubſtitutione adiit hereditatem, deinde exiſtente conditione ſextantis, quæritur, an neceſſe habeat hereditatem adire ex ſextante, ne ſextantem amittat? Reſpondet Javolenus, nihil intereſſe utrum ex inſtitutione, an ex ſubſtitutione prius adierit,

Digitized by Google

cum utroque caſu una aditiō ſufficiat, ex *init. h. leg.* quia teſtamentum poteſt incipere a ſecundo gradu ſeu ſubſtituto*; l. quamdiu 69.* ſupr. *h. tit.* Et ſi ſub conditione inſtitutus ex parte, idemque ſubſtitutus coheredi, prius adierit ex ſubſtitutione, conditione exiſtente, pars inſtitutionis conditionalis ei adcreſcit propter primam aditionem, non tam jure adcreſcendi, quam jure non decreſcendi, quia heres inſtitutus ex parte, idemque ſubſtitutus coheredi, non poteſt unam partem adire, aliam repudiare*; l.* 1. *&* 2. ſupr. *h. tit. l. ſi ſolus*, infr. *h. tit. l. quidam*, C. *de jur. deliber.*

§. *item ſi † tu.*

HEres inſtitutus ex ſextante datis coheredibus Titio & Seio, idemque ſubſtitutus Titio ex parte, ſi partem id eſt ſextantem, ex quo inſtitutus eſt, omiſerit, Titio repudiante partem ſuam, non prohibetur ex ſubſtitutione Titianæ partis partem agnoſcere. Qui inſtitutionem repudiavit, poteſt ſubſtitutionem vulgarem vel pupillarem agnoſcere*; l. quæſitum*, *l. Julianus*, ſupr. *h. tit. l. ſi filius*, *de vulgar. & pupillar.* Heres inſtitutus ex aſſe non poteſt partem adire, partem repudiare.

L. 77.

Ad hanc *l.* dictum eſt ſupr. *l.* 70. *h. tit.*

L. 78.

DUo fratres habebant bona communia, alter eorum inteſtatus deceſſit ſine liberis: frater, qui ſupererat, cum nollet ei heres eſſe, conſulebat, num ob eam rem, quod ſciens fratrem mortuum communibus uſus eſſet, hereditati ſe alligaſſet? Reſpondit Pomponius, non adſtringi hereditate ob uſum rerum communium, niſi animo & conſilio heredis uſus eſſet: itaque cavere debet, ne qua in re plus ſua parte dominationem interponat, id eſt ne pro domino & herede ſe gerat, ultra partem ſuam. Pro herede gerere non videtur, qui quid facit quaſi alio jure dominus*; l. pro herede*, ſupr. *h. tit.* ut ſocius in re communi, & ideo cavere debet, ne in re communi agat ut dominus ultra partem ſuam, alias adire videtur: in dubio ſocius in re communi magis præſumitur jure ſuo uti, quam jure heredis*; l. merito*, ſupr. *pro ſoc.*

L. 79.

QUicquid filiusf. vel ſervus adquirit, id adquirit patri vel domino*; l. adquiruntur*, *l. ea quæ*, infr. *de adquir. rer. domin.* Ideoque quidquid per filiumf. vel ſervum adquiritur, patri vel domino confeſtim adquiritur, ita ut ne momento quidem ſubſiſtat in perſona filii vel ſervi, ex *h. l.* Ratio eſt, quia filiusf. vel ſervus perſonam & ſtatum non habet*; l.* 3. *&* 4. ſupr. *de cap. minut.* & conſequenter non poteſt adquirere ſibi ipſi: verum adeundo ſtatim adquiret patri vel domino, quia aditio eſt actus legitimus, cujus effectus nulla mora ſuſpendi poteſt*; l. actus*, *de R. J.* Hoc intereſt inter utrumque, quod quidquid ſervus adquirit, adquiritur domino, etiam ignoranti & invito*; l. etiam invitis*, *de adquir. rer. dom. l. ſervus vetante*, *de V. O.* Quod vero per filiumf. adquiritur, id adquiritur patri, etiam ignoranti, non invito*; l. filiusf.* ſupr. *qui teſt. fac. l.* 1. *ſi a parent. quis manumiſſ. l. qui hominem*, §. *quidam*, *de ſolut.* Quod per filiumf. adquiritur, patri adquiritur ſtatim, ita ut ne momento quidem hæreat in perſona filii, quia pater adquirit ſibi per filium nudo facto

Digitized by Google

ſto & miniſterio filii. Naturaliter vix poteſt concipi, filium ſibi adquirere, ut per ejus manus res perveniat ad patrem, quin aliquo momento reſideat in perſona filii; *l. ſed interim*, §. *idem Marcellus*, ſupr. *de donat. inter vir. & uxor.* Adquiſitio enim præſupponit traditionem & poſſeſſionem filii, quæ non poteſt intelligi ſine mora alicujus ſpatii temporis. Sed fictione juris quod filiusf. adquirit, confeſtim patri adquiritur, ita ut ne momento quidem reſideat in perſona filii, quia magis videtur pater adquirere per filium, quam filius ipſe ſibi adquirat, ut res transeat ad patrem. Filiusf. patri, in cujus poteſtate eſt, uſumfructum adquirit, ſed ſingulare eſt, quod uſusfructus per filium patri quæſitus, morte vel capitis deminutione patris non extinguitur, ſed poſt mortem, vel calamitatem patris remanet apud filium etiam ſi a patre heres inſtitutus non ſit, quia uſusfructus videtur ab initio relictus, magis contemplatione filii, quam patris; *l. ult. C. de uſufruct.* plerumque enim uſusfructus bonorum alimentorum vice relinquitur; *l. pen.* §. 1. infr. *de aliment. legat.*

L. 80. † *in pr. &* §. *idem puto.*

HEres inſtitutus ex aſſe non poteſt partem hereditatis agnoſcere, partem repudiare; *l.* 1. *&* 2. ſupr. *h. tit.* ne teſtatorem pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum faciat; *l. jus noſtrum*, *de R. J.* Nec licet eidem partim comprobare judicium defuncti, partim evertere; *l.* 7. *de bon. libert. l. is qui*, *de vulgar. & pupillar. l. unic.* §. *his ita*, *C. de caduc. tollend.* Solus heres ex pluribus inſtitutus non poteſt unam partem omittere, aliam agnoſcere, ſive in quibusdam ſubſtitutum habeat, ſive non. Ratio dubitandi erat, quod ubi inſtitutus ex pluribus partibus habet ſubſtitutum, poteſt partem omittere, quia eo repudiante partem, locus fit ſubſtituto, & tunc pro parte teſtatus pro parte inteſtatus decedere non poteſt: ſed etiam hoc caſu inſtitutus ex pluribus partibus non poteſt partem agnoſcere, partem repudiare, quia judicium defuncti non poteſt partim comprobari, partim everti. Sic & inſtitutus ex pluribus partibus adjectis coheredibus non poteſt partem omittere, partem agnoſcere, quia adeundo unam portionem omnes adquirit: aditio hereditatis eſt individua, ſi tamen delata ſit, quia heres ſcriptus non poteſt adire vel repudiare hereditatem nondum delatam; *l. nec is*, §. *ult.* ſupr. *h. tit. l.* 1. §. *ſcientiam*, *de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.*

§. *item ſi ſervus.*

SI ſervus heres inſtitutus ex parte pure, ex parte ſub conditione dato coherede, juſſu domini adierit ex pura inſtitutione, deinde eo manumiſſo conditio alterius portionis extiterit, non domino adquiritur illa portio, ſed ſervum comitatur, cum libertate ſc. omnia enim paria, id eſt in eodem ſtatu, permanere debent in id tempus, quo alterius portionis conditio exiſtat, ut adquiratur ei, id eſt domino, cui prior portio adquiſita eſt: in diſpoſitionibus enim conditionalibus ſpectatur tempus exiſtentis conditionis; *l. cum pater*, §. *hereditatem filius*, *de legat.* 2. *l. intercidit*, *l. eum qui poſt apertum*, *de condit. & demonſtrat.* Et ſi ſervus heres inſtitutus ex parte pure, ex parte ſub conditione, adhuc in poteſtate ſit, id eſt non ſit manumiſſus tempore exiſtentis conditionis, iterum adire debet portionem conditionalem juſſu domini, ad hoc ut illa portio æque adquiratur domino. Et quod dicitur, ſemel adeundam hereditatem, in ejusdem perſona locum habet, ubi liber homo inſtitutus partim pure, partim ſub conditione, qui ſi adeat ex inſtitutione pura, & poſtea conditio alterius portionis extiterit, conditionalis portio ei adquiritur ſine nova aditione, quia heres inſtitutus ex pluribus partibus adeundo unam, omnes ſibi adquirit, ſupr. † §. 1. *h. l.* non cum per alium adquirenda eſt hereditas, puta per filium

vel ſervum, qui in poteſtate eſt, hoc caſu ſervus inſtitutus ex parte pure, ex parte ſub conditione, qui adiit ex pura inſtitutione, exiſtente conditione debet iterum adire juſſu domini; ut ei adquirat partem conditionalem. Quia ubi heres exiſtit per alium ex parte pure, ex parte ſub conditione, diverſæ partes hereditatis habentur, pro diverſis hereditatibus, & in utriſque partibus ſua aditione opus eſt: ſed ubi liber homo inſtitutus eſt ex parte pure, ex parte ſub conditione, qui adit, adeundo ex parte, videtur adire in totum; *l. ſi ex aſſe*, ſupr. *h. tit.* Et ideo adita hereditate ex parte pura, exiſtente conditione portionis alterius non eſt opus nova aditione, quia una eſt hereditas, quæ ſemel adeunda eſt, una aditio ſufficit ad adquirendas ſingulas partes hereditatis.

L. 81.

Titius heres inſtitutus ex parte, idemque ſubſtitutus Seio coheredi, adiit hereditatem ex ſua inſtitutione, poſtea repudiante Seio, pars repudiantis ei adquiritur jure ſubſtitutionis, ſine alia aditione, quia adeundo unam portionem omnes adquirit; *l. ſi ſolus*, §. *idem puto*, ſupr. *h. tit.* & hoc eſt quod ait Ulpian. in *hac l.* totiens videri inſtitutum etiam in cauſa id eſt ex cauſa ſubſtitutionis adiiſſe, quoties adquirere ſibi poteſt, id eſt quoties adquirere potuit delatam ſibi hereditatem, quoties ei dum vivit hereditas delata fuit ex cauſa ſubſtitutionis, quia adeundo unam portionem, omnes adquiſivit; *d. l. ſi ſolus*, §. *idem puto*. Sed ſi adita ſua portione deceſſerit ante exiſtentem conditionem, ad heredem non transfert ſubſtitutionem, id eſt partem hereditatis, quæ ei obvenit ex ſubſtitutione, quia ſubſtitutio nondum delata non transmittitur ad heredem heredis; *l. ſi ex pluribus*, infr. *de ſuis & legitim. l. qui liberis*, §. *ult. de vulgar. & pupillar.* quod ſubſtitutio nondum delata non ſit in bonis; *l. ſubſtitutio*, *de adquir. rer. domin.* Si heres inſtitutus ex parte, adita parte ſua deceſſerit, poſtea repudiante coherede partem ſuam, pars repudiantis adcreſcit heredi coheredis. Jus adcreſcendi transmittitur ad heredem, quia jus adcreſcendi eſt reale, portio portioni adcreſcit; *d. l. ſi ex pluribus*, *l. hæc ſcriptura*, §. *ult. de condit. & demonſtrat.* Jus ſubſtitutionis, ſpes ſubſtitutionis nondum delatæ non transmittitur ad heredem, quia in bonis noſtris non eſt priusquam conditio exſtiterit, niſi ſit inter deſcendentes; *l. unic. C. de his qui ante apert. tabul. gloſſ. in l. is cui*, *de oblig. & act.* Igitur ſi heres inſtitutus ex parte, idemque ſubſtitutus coheredi adita hereditate ex parte ſua deceſſerit antequam coheres repudiaret portionem ſuam, ad heredem non transfert ſubſtitutionem, id eſt ſpem ſubſtitutionis, quatenus ſubſtitutio eſt, ſeu jure ſubſtitutionis, ſed transmittit jus adcreſcendi; *d. l. ſi ex pluribus*, *l. qui patri*, ſupr. *h. tit.*

L. 82.

Lege *Julia & Papia* cœlibes nihil ex teſtamento capere poſſunt, orbi ſolidum capere non poſſunt, id eſt non niſi partem ſeu dimidiam, cujus rei veſtigium exſtat in *l. edicto*, §. *ult.* infr. *de jur. fiſc. l. 6. de vulgar. & pupillar. l. in tempus*, *l. qui non militabat*, §. *ult. de hered. inſt.* Si ſervus ejus, qui per *l. Juliam & Papiam* capere non poteſt, ut ſignat inſcriptio legis, quæ eſt Terentii Clementis ad legem *Juliam Papiam*; ſi ſervus, inquam, ejus, qui per legem *Juliam & Papiam* capere non poteſt, heres inſtitutus, & antequam juſſu domini adiret hereditatem, manumiſſus alienatusve ſit, & nihil in fraudem legis factum ſit, id eſt ita ut non ſit manumiſſus, vel alienatus in fraudem *l. Juliæ & Papiæ*, & ipſe admittitur ad hereditatem, id eſt adeundo ſibi adquiret hereditatem, nec ea fit caduca ſeu fiſco vindicatur ex lege *Julia & Papia*, per quam ſi quid teſtamento relictum ſit ei, qui capere non

Digitized by Google

non poteſt, fit caducum & fiſco vindicatur, ex Ulpiano *lib. regul. tit.* † 17. Sic & ſi filiusf. heres inſtitutus ſit, & priusquam adiret hereditatem ſui juris factus ſit morte patris vel emancipatione, arbitrio ſuo ſibi adquiret hereditatem; *l. non eſt dubium*, *C. de jur. deliberand.* quia ſufficit ut heres ſit capax tempore aditionis. Capacitas ſpectatur maxime tempore aditæ hereditatis; *l. ſi alienum*, §. 1. ſupr. *de hered. inſtituend.* Sed ſi ſervus ejus, qui partem, puta dimidiam, capere non poteſt, heres inſtituatur, idem dicendum, nihil enim intereſt, an quæratur de univerſo, an de portione, quam capere non poſſit dominus ejus, cui relictum, quia utroque caſu ſi ſervus manumiſſus ſit antequam adiret non in fraudem legis *Juliæ & Papiæ*, id eſt non eo animo, ut fraus fieret legi *Juliæ & Papiæ*, ipſe admittetur ad hereditatem ſuo jure, nec hereditas fit caduca, id eſt fiſco non vindicatur in totum vel pro parte.

L. 83.

SI quis totam hereditatem, aut partem, ex qua inſtitutus eſt, tacite rogatus ſit reſtituere, incapaci ſc. nihil ei debet adcreſcere de parte repudiantis, quia rem non videtur habere, ut definitur in *hac l.* Qui tacitam fidem accommodavit teſtatori, ſe incapaci reſtituturum, velut indignus amittit jus adcreſcendi, quia pro non inſtituto habetur: ei, qui tacite rogatus eſt velut indigno, eripitur hereditas, & fiſco vindicatur; *l. in fraudem*, infr. *de his quæ ut indign.* l. 3. §. *cum ex cauſa*, *de jur. fiſc.* Secus heres inſtitutus ex parte & ſubſtitutus filio impuberi, ſi tacitam fidem accommodaverit teſtatori, ſe incapaci reſtituturum partem inſtitutionis, non deſinit heres eſſe, licet fiſcus ei velut indigno auferat portionem hereditatis. Hic igitur non amittit ſubſtitutionem pupillarem pro ea parte, ex qua inſtitutus eſt, ſatis enim punitus eſt in eo, in quo deliquit contra leges; *l. ex facto*, §. *ult.* ſupr. *de vulgar. & pupillar.* Qui tacite rogatus eſt, facilius amittit jus adcreſcendi, quam ſubſtitutionem, quia jus adcreſcendi eſt reale, portio repudiantis adcreſcit rei, non perſonæ; atque ita non adcreſcit ei, cui velut indigno erepta eſt heredtas & fiſco vindicata. At ſubſtitutio ſequitur perſonam, nec tollitur ei, qui amiſit commodum inſtitutionis, ob fidem tacite adcommodatam teſtatori, ſatis enim punitus eſt in eo, in quo commiſit contra leges caducarias.

L. 84.

SI filius emancipatus vel extraneus heres inſtitutus ſit ventre præterito, id eſt poſthumo præterito, quamdiu teſtamentum rumpi poteſt, ſi naſcatur poſthumus, per querelam inofficioſi, quæ datur poſthumo præterito; *l. poſthumus*, ſupr. *de inoffic. teſtam.* vel petita bonorum poſſeſſione contra tabulas, quæ datur liberis præteritis etiam poſthumis; *l.* 1. §. *idem & in poſthumo*, infr. *de bonor. poſſeſſ. contr. tabul.* non poteſt adire hereditatem ex teſtamento, & hoc ſi mulier fuerit prægnans; *l.* 4. §. *ult. & ſeq. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* Sed ſi mulier non fuerit prægnans, & interim dum id incertum eſt ſuus deceſſerit, patri ipſi heres fuiſſe intelligitur: emancipatus aut extraneus non aliter poteſt adire hereditatem, quam ſciens certusque mulierem non eſſe prægnantem: ſed ſi mulier fuerit prægnans, & interim ſuus vel emancipatus deceſſerit, iniquum videtur, nihil eos tranſmittere ad heredes ſuos, & ideo decreto eis ſuccurritur, id eſt a prætore eis datur bonorum poſſeſſio, quia alterutro caſu, id eſt utroque caſu ſive poſthumus naſcatur, ſive poſthumus non naſcatur, omnimodo rem habituri ſunt, ut diſputatur in *hac l.* Filius emancipatus vel extraneus heres inſtitutus poſthumo præterito, interim dum poſthumus eſt in utero non poteſt adire hereditatem ex teſtamento, quia in eo eſt, ut rumpatur teſtamen-

tum ſi naſcatur poſthumus: at qui adit hereditatem certus eſſe debet, quo jure ſibi deferatur hereditas; *l. ſi is, ad quem*, ſupr. *h. tit.* neque idem adire poteſt hereditatem ab inteſtato, quia nondum ei delata eſt hereditas ab inteſtato quamdiu pendet cauſa teſtamenti, quod poteſt valere non nato poſthumo. Hereditas non defertur ab inteſtato quamdiu ex teſtamento adiri poteſt; *l. quamdiu, de R. J. l. antequam, C. commun. de ſucceſſ.* Idem nondum nato poſthumo præterito non poteſt petere bonorum poſſeſſionem ſecundum vel contra tabulas; *l. cum quidam*, §. *quod dicitur*, & §. *ſuum*, ſupr. *h. tit.* Pugnat *l. ſi filius*, ſupr. *de liber. & poſth.* ubi ſi filius heres inſtitutus, nullo coherede vel ſubſtituto dato, poſthumo præterito, interim moriatur non nato poſthumo, tunc, quia eo tempore, quo is moritur, ex eventu certum eſt, neminem ex eo teſtamento heredem fore patri, heres exiſtit ab inteſtato: ergo non indiget beneficio prætoris, cum jure civili heres exiſtat: ſed jure prætorio, ad quod ſpectat *hæc lex*, in ſuo vel emancipato maxime neceſſarium eſt decretum, ut ei a prætore detur bonorum poſſeſſio contra tabulas, interim non nato poſthumo præterito; Cujac. 3. *obſ.* 21.

L. 85.

SI heres ſcriptus, metus cauſa, ſive per metum adeat hereditatem, quia invitus heres exiſtit, datur ei abſtinendi facultas, ex *hac l.* Qui metu coactus adiit hereditatem heres efficitur, quia quamvis ſi liberum eſſet nollet, tamen coactus voluit: coacta voluntas voluntas eſt; *l. ſi patre cogente*, ſupr. *de rit. nuptiar.* ſed poteſt abſtinere beneficio prætoris, per reſtitutionem in integrum adverſus aditionem; *l. ſi mulier*, §. *ſi metu* 5. ſupr. *quod met. cauſ.* Sed ſi metu coactus fallens id eſt ſimulans adierit hereditatem, ſive liber ſit, heres non fit; ſive ſervus, dominum heredem non facit; *l. qui in aliena*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* quia aditio non valet abſque voluntate: ſimulata voluntas voluntas non eſt. Invitus nemo compellitur adire hereditatem; *l. nec emere*, *C. de jur. deliberand.*

L. 86.

PAnnonius Avitus, id nomen gentilitium ſenatoriæ familiæ Romanæ, ex qua prognatus fertur Avitus Auguſtus, quem unum e ſenatoribus lectum ait Gregor. Tur. *libr.* 2. *cap.* 11. memoratur Didius Avitus legatus Cæſaris in Germania, tum in Britannia ſub Nerone; Tacit. *annal.* 13. (*cap.* 40.) & 14. (*cap.* 29.) idem ni fallor, qui Vibius Avitus præſes Aquitaniæ, cujus meminit Plin. *libr.* 34. *cap.* 7. Avitus, inquam, cum in Cilicia procuraret, id eſt procuratoris Cæſaris officio fungeretur, atque ita abeſſet reipub. cauſa, heres inſtitutus, prius vita deceſſit, quam ſe inſtitutum cognoſceret, quia procurator ejus, eo abſente reipublicæ cauſa & ignorante, nomine ejus petierat bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, & priuſquam Avitus bonorum poſſeſſionem ratam haberet vita deceſſit, & quia bonorum poſſeſſionem, quam procurator abſentis nomine ſine mandato petierat, heredes ejus ratam habere non poterant, quia bonorum poſſeſſio quidem peti poteſt per procuratorem, quod ſi ſine mandato meo bonorum poſſeſſio mihi petita fuerit, mihi non adquiritur priuſquam ratum habuero quod actum eſt, & ſi ante ratihabitionem deceſſero, nec mihi proderit agnita bonorum poſſeſſio, quia ego ratam non habui, neque heredi meo, quia ratam habere non poteſt, cum in heredem non tranſeat jus petendæ bonorum poſſeſſionis; *l.* 3. §. *adquirere*, infr. *de bonor. poſſeſſ. l. ſi is, cui*, infr. *rat. rem. haber. l. emancipata*, *C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* ob eam cauſam, inquam, heredes Aviti petebant reſtitutionem in integrum, quam ſtricto jure ex perſona defuncti competere negat Papinianus *hic*, quia deceſſit intra diem aditionis, id eſt intra diem petendæ bonorum

poſſeſ-

poſſeſſionis, quæ dies petitionis dicitur ; *l. inter omnes*, ſupr. *qui ſatisd. cog.* nimirum quia deceſſit antequam cognoſceret ſe heredem eſſe, & dies petendæ bonorum poſſeſſionis, non cedit niſi ſcienti, id eſt a die quo ſcivit & potuit petere bonorum poſſeſſionem ; *l.* 2. infr. *quis ord. in bonor. poſſeſſ. ſervet.* Igitur cum deceſſerit Avitus ante diem aditionis, nondum ulla in re captus aut læſus fuit, nullamque habuit cauſam petendæ reſtitutionis in integrum, nulla ergo competere poteſt heredi reſtitutio in integrum ex perſona defuncti, qui ante diem aditionis deceſſit : tamen Papinianus exiſtimavit, heredem humanitatis gratia in integrum reſtituendum, ut adeat, motus conſtitutione divi Pii, qua fertur, cum quidam legationis cauſa Romæ eſſet, & deceſſit priusquam ſciret filio delatam matris hereditatem vel bonorum poſſeſſionem, ſine reſpectu ſuperioris deſtinationis, id eſt ſive intra ſive poſt diem aditionis filius deceſſerit, ei reſtitutionem in integrum competere ex perſona defuncti. Et hoc ex æquo & bono humanitatis gratia introductum eſt, ut ait Papinianus † *init. h. l. in fin.* In ſimili enim ſpecie, ſi miles ante diem aditionis deceſſerit, heredi ejus non competit reſtitutio, ut adeat hereditatem, ex conſtitutione Severi & Antonini ; *l.* 1. *C. de reſtitut. milit.*

§. *rei.*

FIlius emancipatus rei perduellionis, cui liquet de innocentia patris, ſuspenſa cognitione, id eſt ante damnationem, hereditatem quærere, id eſt immiſcendo ſe, hereditatem ſibi adquirere poteſt, ex *h.* §. quia nihil de novo adquirit, ſed jure ſuo hereditatem quærere videtur : reus capitis interim ante ſententiam priſtinos honores non amittit ; novos honores petere prohibetur ; *l. reus, de muner. & bonor. l. unic. C. de reis poſtulat. libr.* 10.

L. 87.

HOc diſtat ſuus heres ab extraneo, quod ſuus heres ſtatim ipſo jure heres exiſtit, ſine actu aditionis, vel pro herede geſtionis : extraneus fit heres aditione, vel pro herede geſtione : & ſuus heres non dicitur adire, ſed ſe immiſcere bonis, non repudiare, ſed ſe abſtinere : & ſuus heres eo pacto ſine actu videtur ſe immiſcere, quo extraneus adire, vel pro herede gerere : & quod in extraneo eſt aditio vel pro herede geſtio, in ſuo eſt immixtio vel agnitio ; *l. & ſi quis*, §. *plerique, de religioſ. & ſumpt. funer.* Et hoc eſt quod ait Papinianus in *hac l.* eum bonis patris ſe immiſcere, qui remoto familiæ vinculo, (id eſt ſublata patria poteſtate, morte patris vel emancipatione, quæ poteſtas dicitur familiæ vinculum, quia liberi vinculo patriæ poteſtatis inter ſe cohærent, & pro una eademque perſona habentur ; *l. frater, de condict. indebit.* & vinculo patriæ poteſtatis liberi in familia tenentur ; *l. ult.* ſupr. *de cap. minut. l. pronuntiatio*, §. 1 infr. *de V. S.*) qui, inquam, remoto familiæ vinculo pro herede gerere videtur, id eſt quibus modis ſuus heres videtur ſe immiſcere, extraneus, puta emancipatus, videtur pro herede gerere, & ideo filius, qui fundum paternum poſſidet ignorans, non videtur ſe miſcere bonis patris, non videtur mutaſſe conſilium abſtinendi ſe bonis paternis, nihil nocet error exiſtimanti maternum eſſe, quod erat paternum ; *l. cum falſa*, *C. de jur. & fact. ignorant.* Aliquando tamen filius videtur ſe immiſcuiſſe bonis paternis, eo facto, quo extraneus non videtur ſe pro herede geſſiſſe. Ut ſi filius ſervum paternum manumiſerit, videtur ſe miſcuiſſe paternæ hereditati ; *l. Julianus*, §. *ſi ſervum*, ſupr. *h. tit.* Si vero extraneus nondum adita hereditate ſervum hereditarium manumiſerit, non videtur ſe pro herede geſſiſſe, quia nondum heres ſervum nullo jure manumiſit ; *l.* † 1. *C. de jur. deliberand.*

§. *pupillis*.

SI pupillus damnoſam hereditatem adierit, poteſt abſtinere citra reſtitutionem in integrum; *l. impuberibus*, *l. neceſſariis*, ſupr. *h. tit.* & abſtinendo liberatur oneribus hereditariis, ex *hac l. d. l. impuberibus*, *l. neceſſariis*, ſupr. *h. tit.* Sed ſi pupillus poſt aditionem ſemel abſtinuerit, actiones, quas habebat, & quæ aditione hereditatis confuſæ ſunt, reſtituuntur, ex *hac l.* quia effectus abſtentionis, quæ fit ipſo jure, hic eſt, ut res in ea cauſa ſit, ac ſi non adita fuiſſet hereditas. Sic reſtituta hereditate ex Trebelliano, actiones, jura, & ſervitutes, quæ aditione confuſæ erant, reſtituuntur & redintegrantur; *l. debitor*, *in princ. l. ſi heres* 73. infr. *ad Trebell.*

L. 88.

DUo ſunt modi adquirendæ hereditatis in extraneis heredibus, aditio, & pro herede geſtio ſive geritio. Aditio hereditatis fit nuda voluntate, ſine facto aliquo, ſolo animo; §. *ult. inſt. de hered. qualit. & differ. l. ſi avia*, *C. de jur deliber.* id eſt quibuſcumque verbis declaret, ſe velle eſſe heredem. Pro herede geſtio requirit factum & animum. Pro herede gerere videtur, qui aliquid facit quaſi heres id eſt animo heredis; *l. pro herede*, ſupr. *h. tit.* §. *ult. de hered. qual. & different.* Et quod Paulus ait in *hac l.* gerere pro herede eum, qui animo agnoſcit ſucceſſionem, licet nihil attingat hereditarium, id eſt de hereditate, de corporibus hereditariis, non ſemper locum habet, ſed eſt limitandum, ex *l. ſi quis extraneus*, §. *interdum*, ſupr. *h. tit.* quæ eſt etiam Pauli. Interdum ſolum animum heredem obſtringere hereditati, ſi re non hereditaria quaſi heres uſus ſit. Interdum pro herede geſtio hoc commune habet cum aditione, quod fiat ſolo animo nuda voluntate, ſine ulla prehenſione rerum hereditatis, quod oſtenditur duobus exemplis. Prius eſt, ſi heres domum pignori datam retineat, id eſt poſſideat quaſi hereditariam, cujus poſſeſſio qualis qualis eſt in hereditate. Pro herede gerere videtur, qui pignus transfert, id eſt pignoris poſſeſſionem in creditorem; *l. cum & ſortis*, §. 1. *de pigner. act. l. per ſervum*, *de adquir. rer. domin.* Sed quæ penes creditorem eſt poſſeſſio pignoris non eſt civilis, ſed naturalis, ſeu corporalis tantum; *l.* 3. §. *ult. ad exhibend. l. debitor*, §. *ult. de pigner. act.* Ideo poſſeſſio pignoris inventi in hereditate qualis qualis dicitur, quia eſt fragilior; quam poſſeſſio corporalis, facile amittitur, ſtatim atque res abiit a poteſtate noſtra: poſſeſſio civilis facilius retinetur, quia retinetur ſolo animo. Tamen poſſeſſio pignoris qualis qualis ſit, id eſt etiam ſi non habeat eandem vim ac civilis, prodeſt ad hoc, ut heres, ſi rem pignori datam ſicut hereditariam retineat, pro herede geſſiſſe videatur. Secundum eſt, ſi heres rem alienam, rem non hereditariam, per errorem ut hereditariam poſſideat, pro herede geſſiſſe videtur: pro herede gerere videtur, qui rem non hereditariam per errorem ut hereditariam poſſidet, quia pro herede geſtio interdum fit ſolo animo & opinione magis, quam re & veritate; *l. ſi quis extraneus*, §. *interdum*, ſupr. *h. tit.*

L. 89.

SI pupillus ſine tutoris auctoritate adierit hereditatem poteſt ſe abſtinere citra reſtitutionem in integrum, quia nulla eſt aditio, & tali aditione non obligatur hereditati; *l. impuberibus*, *l. neceſſariis*, *l.* † *eum bonis*, §. *pupillis*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi pupillus damnoſam hereditatem adierit tutore auctore, poteſt ſe abſtinere, nimirum per reſtitutionem in integrum beneficio prætoris, & ſi

& ſi ſe abſtineat, ſuccurrendum eſt non modo pupillo, ſed & fidejuſſoribus ab eo datis, ſi ex hereditario contractu conveniantur, ſi dati ſint propter æs alienum defuncti. Si minor abſtentus ſit per reſtitutionem in integrum, reſtitutio, quæ prodeſt minori, prodeſt fidejuſſori. Exceptio doli, quæ prodeſt minori circumvento, prodeſt fidejuſſori; *l.* *) *exceptiones*, infr. *de except. l. minor*, *de procurat.* quia creditor, qui fidejuſſorem accepit a pupillo, ſcivit pupillum & fidejuſſores ab eo datos obligari ob æs alienum defuncti. Alias reſtitutio minoris non prodeſt fidejuſſori, ubi creditor, qui contraxit cum minore, elegit fidem fidejuſſoris, non alias contracturus cum minore; *l. in cauſa*, *de minorib. l. 1. C. de fidejuſſor. minor.*

L. 90.

HEreditas per procuratorem adiri non poteſt, & hoc eſt quod ſcribit Paulus *init. h. l.* cum ſcribit, per curatorem hereditatem adquiri non poſſe: procurator enim privati etiam curator dicitur, ut procurator fiſci, vel Cæſaris; *l.* 3. ſupr. *de offic. procur. Cæſar. l. cotem*, §. 1. infr. *de publican.* & curatorem *hic* non alium intelligi, quam procuratorem, argumento eſt, quod variat lectio, & pro quo pandectæ Florentinæ habent per curatorem, vulgati codices legunt per procuratorem. Hereditas per procuratorem adiri non poteſt, quia hereditatis aditio eſt actus legitimus, qui per procuratorem expediri non poteſt; *l. actus legitimi*, *de R. J.* bonorum poſſeſſio per procuratorem peti poteſt; *l. ſi quis alicui*, ſupr. *h. tit. l.* † *per tutorem*, *l. ſervo invito*, §. *ſi pupillo*, infr. *ad Trebell. l.* 3. §. *adquirere*, *de bonor. poſſeſſ. l. ſi maritus*, *C. mandat. l. bonorum* 5. *C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ. l.* *) *ſi curatorem*, *C. de integr. reſtit. minor.* quia bonorum poſſeſſio non eſt actus legitimus, id eſt juris civilis, ſed prætorii, eſt actus minus ſolemnis, qui per ſe, vel per alium expediri poteſt. Hereditas, inquam, per procuratorem adiri non poteſt: ſpeciale eſt in procuratore fiſci vel Cæſaris, ut adeat hereditatem fiſco delatam; *l.* 1. §. *ult.* ſupr. *de offic. procurat. Cæſar. l. aufertur*, §. *pen.* infr. *de jur. fiſc.* Per tutorem etiam hereditas adiri non poteſt, niſi pupillus infans ſit; *d. l. ſervo invito*, §. *ſi pupillo*, *l. potuit*, *C. de jur. deliber.* certe tutore auctore pupillus recte ſibi hereditatem adquirit; *l. pupillus*, ſupr. *h. tit.* Ideoque tutorem habenti ſi provocet, ſpecialis tutor datur ad adeundam hereditatem; *l. impuberi*, infr. *de tutor. dat. l. cum in una cauſa*, §. *tutor*, infr. *de appellat.* Aliud eſt tutore auctore, aliud per tutorem adiri hereditatem: cum enim pupillus adit tutore auctore, ipſe pupillus adit, & aditionis ſolemnia peragit, adhibita tantum auctoritate tutoris: at cum aditio fit per tutorem, ipſe tutor adit, & ſolemnia aditionis explicat nomine pupilli. Idem eſt in curatore, quod in tutore, ut facile probatur ex *hac l.* ſi malis accipere de curatore minoris; Cujac. 1. *obſ.* 34.

† *Hæc l.* deſideratur. Adde *l.* 86. *h. tit. l.* 7. *rat. rem. haber.*

§. 1.

SI nepos ex filio juſſu avi, patris, qui de caſtrenſi peculio teſtatus eſt, (quod ei licuit, quia filiusf. in caſtrenſi peculio pro patref. habetur; *l.* 2. ſupr. *ad Maced. l.* 1. *&* 2. *de caſtrenſ. pecul. l.* † *filiusf. ad l. falcid.*) adeat hereditatem, ei id eſt avo adquirit ea, de quibus pater teſtari potuerit, id eſt ea, quæ erant caſtrenſis peculii, quia peculium caſtrenſe deſiit eſſe caſtrenſe mutatione perſonæ, ut reſpondet Paulus in *hoc* §. Ratio dubitandi erat, quod peculium caſtrenſe eſt proprium patrimonium filiif. ergo patre præmortuo videbatur jure peculii caſtrenſis adquiri nepoti ex filio non avo: ſed Paulus recte reſpondit, nepotem ex filio avo adquirere hereditatem paternam, quæ conſiſtebat in peculio caſtrenſi, quia mutata perſona, mutata eſt cauſa bonorum, ut *hic*, *&* *l.* 1. §. 1. *ſi ex nox. cauſ. agat.* & peculium caſtrenſe morte filiif. deſiit eſſe peculium,

& nepos ex filio juſſu avi adiit non tamquam peculium caſtrenſe, ſed tanquam hereditatem patris, & adeundo adquiſivit avo, in cujus poteſtate erat. Eadem ratione querela inofficioſi non habet locum in teſtamento filiif. de peculio caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi, quamdiu in poteſtate patris remanet, ſed bene locus eſt ſi ſui juris factus ſit morte patris vel emancipatione, quia peculium eſſe deſinit, & aliis rebus confunditur, id eſt non eſt amplius peculium, ſed hereditas patrisfamilias; *l. ult. C. de inoffic. teſtam.*

L. 91.

SI filius bonis paternis ſe abſtinuerit, & bona venierint ſub haſta poſtulantibus creditoribus, & per ſuppoſitam perſonam bona paterna emerit, a creditoribus paternis, perinde conveniri poteſt, atque ſi ſe immiſcuiſſet bonis paternis, quia fraus præſumitur ex eo, quod bona emit per interpoſitam perſonam. Similiter ſi tutor per interpoſitam perſonam rem pupilli emerit, emptio nullius eſt momenti, quia non bona fide videtur rem geſſiſſe; *l.* 5. §. *ſed ſi per interpoſitam, de auctor. tutor.* Et ſi creditor quoque per interpoſitam perſonam pignus emerit, emptio nulla eſt, & creditori oblata pecunia cum uſuris, licet debitori pignus repetere; *l.* 10. *C. de diſtract. pignor. l. ult.* §. *quatuor, de legat.* 2. *l. Lucius*, §. *Titia, ad Trebell. l.* 1. *C. de dol.* Et ſi debitor permittente creditore pigneratitio pignus emerit per ſuppoſitam perſonam, creditori integra eſt actio pigneratitia, quaſi manente jure pignoris; *l. ſicut*, §. *ſupervacuum, quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.* Quod ſi filius, qui ſe abſtinuit bonis paternis, palam & bona fide prædia paterna emerit a prioribus creditoribus, non poteſt conveniri a poſterioribus creditoribus, qui ſub iiſdem obligationibus, id eſt ſub iiſdem pignoribus, pecuniam patris crediderint; *l.* 2. *C. de repudiand.* † *vel abſtin. hereditat.* quia prædia hujusmodi non poſſidet ut heres, ſed ut extraneus quilibet, & in extranei locum ſucceſſit; *l. an vitium*, §. *ex facto*, infr. *de diverſ. temporal. præſcript.*

L. 92.

FIlius heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem ſibi delatam ſine juſſu patris, ne invitum vel ignorantem obliget æri alieno hereditatis; *l. qui in aliena*, ſupr. *h. tit.* Si nepos ex filio, qui eſt in poteſtate avi, adeat maternam hereditatem, juſſu patris, non avi, nihil agit, id eſt non adquirit ſibi hereditatem, vel patri aut avo, ex *hac l.* Hodie filiusf. poteſt adire adventitiam hereditatem ſine juſſu patris, quia bona adventitia per filium adquiruntur patri, quoad uſumfructum tantum: immo & ſi filius adeat invito & contradicente patre, is amittit uſumfructum; *l. ult.* † *in princ. C. de bon. quæ liber.* Et ita ſi nepos ex filio, qui eſt in poteſtate avi, mutuam pecuniam acceperit juſſu patris, non avi, locus eſt SC. Macedoniano; *l. filium, ad Macedon.*

L. 93.

QUi adit hereditatem certus eſſe debet de jure ſuo; *l. qui hereditatem, l. in repudianda*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi partem ex qua inſtitutus eſt ignoret, nihil nocet quominus pro herede gerere poſſit; *l. ſi quis extraneus*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* Sed ſi filiusf. heres inſtitutus ſit, quia non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris, juſſus non valet, niſi certus ſit, an ex aſſe, an ex parte, an ex inſtitutione, an ex ſubſtitutione, an ex teſtamento, an ab inteſtato filius heres exiſtat, ex *hac l.* & *l. ſi quis mihi bona*, §. *ſed ſi mandavit*, ſupr. *h. tit.* Multum intereſt, an per ſe, an per alium adquiratur hereditas,

tas: ſi quis ſibi adeat hereditatem, ſufficit ut certus ſit ſe inſtitutum, nihil nocet ſi ignoret ex qua parte inſtitutus ſit: ſed ſi adeat hereditatem, ut adquiratur alii, puta patri, patris juſſus non valet, niſi certus ſit, an ex aſſe, an ex parte heres inſtitutus ſit. Cum pater filio mandat adire hereditatem, curioſior & diligentior eſſe debet, ut ſciat qua ex parte filius inſtitutus ſit, quia filius non ſibi, ſed patri adquirit hereditatem, ita ut ne momento quidem adquiſita moretur in perſona filii; *l. placet*, ſupr. *h. tit.* Sed ſi liber homo heres inſtitutus ſit, poteſt adire hereditatem, etiam ſi ignoret qua ex parte inſtitutus ſit, & ſi inſtitutus ſit ex aſſe, agnoſcendo hereditatem de parte, videtur pro herede gerere in aſſem; *l. ſi ex aſſe*, ſupr. *h. tit.*

§. *mutus*.

Filiusf. vel ſervus heres inſtitutus, non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris vel domini; *l. ſi quis mihi bona*, §. *juſſum*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi pater vel dominus ſit mutus, ſi intellectu non careat, nutu jubere poteſt adiri hereditatem, ut ei per filium vel ſervum adquiratur hereditas. Juſſus adeundi poteſt interponi vel voce, vel ſcripto, ut per epiſtolam; *l. ſi per epiſtolam*, ſupr. *h. tit.* vel ſi mutus pater vel dominus ſit peritus litterarum, juſſus poteſt præſtari per litteras. Et hoc eſt quod ait Paulus *hic*, hoc facilius explicari poſſe ſcientia litterarum, id eſt ſi pater ſit ſciens litterarum.

§. *mutus ſervus*.

Si ſervus mutus ſit heres inſtitutus, juſſu domini pro herede gerendo obligat dominum hereditati. Mutus vel ſurdus heres inſtitutus pro herede gerendo obligatur hereditati; *l.* 5 ſupr. *h. tit.* Et ſi ſervus mutus heres inſtitutus ſit, pro herede gerendo juſſu domini eum obligat hereditati.

L. 94.

Qui viventis bona repudiat, poſt mortem ejus hereditatem adire & bonorum poſſeſſionem petere non prohibetur, ex *hac l.* Hereditas nondum delata non poteſt repudiari, & qui viventis hereditatem repudiat nihil agit. Subſtitutus quoque ſi hereditatem repudiat priuſquam heres ſcriptus decernat de hereditate, repudiatio non valet; *l. is qui heres*, §. *ſubſtitutus*, ſupr. *h. tit.* Et ſi hereditas venierit ejus qui vivit, nihil actum eſt, quia viventis nulla eſt hereditas; *l.* 1. ſupr. *de hered. vel act. vendit.* Eadem ratione legatum ſub conditione vel in diem relictum, antequam dies vel conditio exiſtat repudiari non poteſt, quod nec ante debetur; *l. ſi ita* † *ſit ſcriptum*, §. *ſi ſub conditione*, *de legat.* 2. Similiter non valet pactum, quod dotalibus tabulis continetur, ut filia dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, ita ut nihilominus conferendo dotem ex æquo cum fratribus ſuccedat; *l.* † *ult.* infr. *de ſuis & legitim.* *l.* 3. *C. de collat.* Et ſi pater quidpiam donaverit filio inter vivos ea lege, ne agat querela inofficioſi, hujuſmodi pactum non ſubmovet filium a querela inofficioſi, quia ex reſponſo Papiniani, meritis magis filii ad paterna obſequia ſunt provocandi, quam pactionibus adſtringendi; *l. ſi quando*, §. 1. *C. de inoff. teſtam.* Non valet etiam pactum dotali inſtrumento comprehenſum, ut filia poſt mortem patris ex æquo cum fratre ſuccedat, quia hujuſmodi pactum adimit libertatem teſtandi; *l. pactum*, *C. de pact.* Et ſocietas ita coiri non poteſt, ut tranſeat in heredem deſignando Titium vel Seium, ne libertatem de ſupremis judiciis hoc pacto quis conſtringat; *l. cum duobus*, §. *idem reſpondit* 9. ſupr. *pro ſoc.* Opponitur, quod conditiona-

Digitized by Google

le fideicommiſſum pendente conditione pacto remitti poteſt ; *l.* 1. *l. cum pro-ponas*, C. *de pact. l. de fideicommiſſo*, C. *de tranſact.* Ergo videtur fideicommiſſum conditionale poſſe repudiari ante conditionis eventum, vel hereditatem priusquam delata ſit. Sed hæc longe diverſa ſunt. Fideicommiſſum pendente conditione pacto remitti poteſt, non repudiari. Hereditas non poteſt repudiari priusquam delata ſit : jus nondum delatum pacto remitti poteſt, puta de legato ſub conditione relicto paciſci licet ; *l. & heredi*, §. † *item filiafamilias*, ſupr. *de pact.* Repudiatio eſt juris, remiſſio facti, repudiatio fit in jure ſine pacto, remiſſio fit pacto.

L. 95.

SIcut hereditas poteſt agnoſci nuda voluntate ſeu deſtinatione animi ; § *ult. inſt. de hered. qualit. & diff. l. ſi ex aſſe*, ſupr. *h. tit. l. ſi avia*, C. *de jur. delib.* ita hereditas poteſt repudiari nuda contraria voluntate & deſtinatione ; *d.* §. *ult.* Hereditas recuſari poteſt, non tantum verbis, qualia ſunt, *repudio*, *abſtineo*, verum etiam re, id eſt aliquo facto abdicando a ſe hereditatem, & alio quovis judicio voluntatis, ut *hic*, *& l. recuſare*, infr. *ad Trebell.* Tamen repudiatio hereditatis ſolet fieri in jure pro tribunali ; *l.* 3. C. *de repudiand. vel abſtinend. heredit.*

L. 96.

QUi per errorem ſe pupillum exiſtimans, cum non eſſet, pro herede geſſit, ſine tutoris auctoritate ſc. nihil ei nocet talis error, quominus heres exiſtat, quia error in ætate eſt facti, non juris, non vitiat aditionem vel pro herede geſtionem : plus eſt in re, id eſt in veritate, quam in exiſtimatione ; *l.* 4. §. 1. *de manumiſſ. vindict.* Contra error in his, quæ ſunt juris magis, quam facti, vitiat aditionem. Puta qui putat ſe neceſſarium heredem, cum ſit voluntarius, id eſt extraneus, non poteſt repudiare, id eſt repudiando nihil agit ; nam plus eſt in opinione, quam in veritate ; *l. is*, *qui putat*, ſup. *h. tit.*

L. 97.

HUjus *l.* ſpecies hæc eſt. Clodius condidit duo teſtamenta, utroque eundem Titium heredem inſtituit : Titius, cum putaret poſterius teſtamentum valere, ex eo hereditatem adire maluit : ſed poſtea comperto errore, idem denuo adire voluit hereditatem ex priore teſtamento. Hac de re lire in cognitionem deducta in conſiſtorio Principis, res agitata variis ſententiis jurisperitorum, qui adſidebant Principi extra ordinem judicanti, ut oſtenditur ex *hac l.* & apertius ex *l. lecta*, ſupr. *de reb. credit. & l. ult. de jur. fiſc. l. Æmilius*, *de minorib.* Papinianus putabat, non poſſe hereditatem repetere ex priore teſtamento, quia adita ſemel hereditate ex poſteriore, videtur repudiaſſe hereditatem ex priore teſtamento, quia nemo poteſt adire hereditatem ex duobus teſtamentis, cum prius teſtamentum ruptum ſit poſteriori jure perfecto ; § *poſteriore*, *inſt. quib. mod. teſtam. infirm. l. ſi quis priore*, infr. *ad Trebell.* etiam ſi idem ſit inſtitutus utroque teſtamento. Contra Paulus ſentiebat, non videri repudiare hereditatem ex priore teſtamento, eum qui putaret poſterius valere, nec haberet animum repudiandi ; non repudiat enim hereditatem, qui non habet animum repudiandi ; *l. is*, *qui putat*, *l. in repudianda*, *l. recuſari*, *h. tit.* errantis nulla eſt voluntas ; *l.* 8. C. *de jur. & fact. ignor.* Imperator, Papiniani ſententiam ſecutus, pronuntiavit, Clodium inteſtatum deceſſiſſe, ut refert Paulus ipſe in *hac l.* Papiniani ſententia obtinuit apud Principem, magis propter nomen auctoris, quam rationis momentum. Pauli enim ſententia nitebatur optima ratione, quod non videtur repudiare here-

hereditatem ex priore teſtamento, qui putaret poſterius valere. Et ita qui condidit duo teſtamenta, & utroque eundem heredem inſtituit, non videtur velle recedi a priore teſtamento, niſi poſterius valeat, etiam ſi utroque teſtamento idem heres inſtitutus ſit; *l. ſi jure*, inſr. *de legat.* 3. & nemo jus ſuum, etiam quod ſcit ſibi competere, amittit, eligens id quod putat ſibi competere; *l. mater*, ſupr. *de inoffic. teſtam.* Sicut electa inepta actione, non videtur perempta idonea & rei conveniens actio; *l. cum indebitum*, *in fin.* ſupr. *de condict. indebit. cap. examinata*, *de judic.* Et ſi miles, qui deſtinavit jure communi teſtari, teſtamentum imperfectum reliquerit, teſtamentum, quod non poteſt valere jure communi tamquam teſtamentum pagani, ſuſtinetur jure militari tamquam teſtamentum militis: neque enim qui voluit jure communi teſtari, ſtatim privilegio militari renunciavit: nec credendus eſt quiſquam genus teſtandi eligere ad impugnanda ſua judicia, id eſt judicium voluntatis; *l.* 3. ſupr. *de teſtam. milit.*

L. 98.

QUi ſemel adiit hereditatem pro parte ſua, ſi coheres poſtmodum ab hereditate ſe abſtinuerit per reſtitutionem in integrum, non cogitur ſuſcipere partem deficientis; *l. cum hereditate*, *l. ſi minor*, ſupr. *h. tit.* portio coheredis abſtinentis ſe per reſtitutionem in integrum, ei adcreſcit, volenti, non invito. Quod ſi ultro agnoverit portionem abſtinentis ſe per reſtitutionem in integrum, obligatur univerſis oneribus hereditariis. Finge, mulier, quæ habebat neptem ex Seia filia, & pro ea Sempronio dotis nomine centum ſpopondit, & quoad ſolveret certas uſuras, deceſſit teſtamento Seia filia & aliis heredibus inſtitutis, qui omnes conventi a Sempronio actione de dote, & damnati, ut ſolverent pro hereditariis portionibus. Heredes ſi conveniantur a creditoribus perſonali actione, tenentur tantum pro portionibus hereditariis; *l.* 1. *C. de heredítar. act.* Poſtea datis fidejuſſoribus ii caverunt Sempronio de ſolvenda dote pro portionibus, quibus quiſque condemnatus erat, iiſdem uſuris, quas defuncta præſtare ſolebat: poſtea, præter filiam, ceteri heredes abſtinuerunt ſe hereditate beneficio Principis per reſtitutionem in integrum. Interdum beneficium reſtitutionis adverſus aditionem hereditatis datur a Principe; *l. minor autem*, ſupr. *de minorib.* Et abſtentione ceterorum coheredum tota hereditas pervenit ad Seiam jure adcreſcendi: quæſitum eſt, an utiles actiones darentur in filiam pro portionibus coheredum? Reſpondit Scævola, actiones utiles dari in filiam etiam pro partibus eorum, qui ſe abſtinuerunt, quia quæ erat inſtituta ex parte, agnoſcendo partem deficientium coheredum per reſtitutionem in integrum, maluit, id eſt maluiſſe videtur, integra hereditaria onera ſubire: idem eſt caſus *l. ſeq.*

L. 99. *& ult.*

PAter habebat duas filias, quæ cum patri neceſſariæ heredes exiſterent, altera paterna hereditate abſtinuit, altera bona paterna id eſt univerſa bona paterna vindicavit, & in jure profeſſa eſt, ſe paratam univerſa onera hereditaria ſuſcipere: quærebatur cuinam darentur actiones hereditariæ? Caſſius prætor aditus cognita cauſa decrevit, actiones utiles hereditarias dandas ei, quæ hereditatem paternam ex aſſe agnoviſſet, & denegandas ei, quæ ſe abſtinuerat: quod refertur ex Ariſtone in decretis Frontonianis, id eſt in libro decretorum imperialium, quæ collegit Fronto J. C. Qui partem hereditatis adiit, coherede repudiante partem ſuam per reſtitutionem in integrum, non cogitur invitus eam ſuſcipere jure adcreſcendi, quia beneficium reſtitutionis, quod datur a prætore, non debet eſſe damnoſum alteri: ſed ſi ultro amplectatur, compel-

Digitized by Google

litur omnia onera hereditaria ſuſcipere ; *l. prox. l. cum hereditate*, *l. ſi minor*, ſupr. *h. tit.*

AD TITULUM

De jur. delib. & de adquir. heredit.

COD.

L. 1.

FIlius, qui eſt in poteſtate tempore mortis patris, eſt ſuus & neceſſarius heres, id eſt ipſo jure heres exiſtit ſine aditione & bonorum poſſeſſione, ſine aditione ſolemni, vel non petita poſſeſſione ſecundum tabulas vel ab inteſtato unde liberi ; *l. ſuum heredem*, infr. *h. tit. l.* 7. *ff. de inoffic. teſtam.* Extraneus, puta filius emancipatus, non efficitur heres, niſi aditione vel bonorum poſſeſſione. Hinc ſi filius emancipatus bonorum poſſeſſionem non petierit vel non adierit hereditatem, non obligatur hereditati, id eſt æri alieno & creditoribus hereditariis, ex eo quod ſervum hereditarium nullo jure manumiſit, vel res & mancipia quædam diſtraxit in funeris ſumptum, ex *hac l.* Non videtur pro herede gerere vel adire hereditatem, qui patrem funeravit, quia magis id pietatis gratia feciſſe præſumitur ; *l. & ſi quis*, §. *plerique*, *ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* Major erat ratio dubitandi in manumiſſione, quia filius non alio quam heredis animo videtur manumittere ſervum hereditarium. Manumiſſio eſt alienatio, quæ non poteſt fieri, niſi ab herede jure dominii : ſed verius eſt filium emancipatum, qui manumiſit ſervum hereditarium, non obligari hereditati, ſi non adierit hereditatem vel bonorum poſſeſſionem petierit, quia nullo jure manumiſit, nihil egiſſe videtur manumittendo ante aditionem vel bonorum poſſeſſionem, atque ita manumittendo non obligatur hereditati. Quia extraneus, qualis eſt emancipatus, non efficitur heres ſine aditione vel bonorum poſſeſſione, Et manumiſſio non habet vim tacitæ aditionis, vel pro herede geſtionis. Neque obſtat, quod filius, qui eſt ſuus heres, ſi ſervum hereditarium manumiſerit, ſine dubio videtur ſe miſcuiſſe hereditati ; *l. Julianus*, §. *ſi ſervum*, *ff. h. tit.* hoc eſt verum in ſuo herede, quia ſuus heres ipſo jure heres exiſtit ſine aditione, atque cum ſervum manumittit, videtur omnino ſe immiſcere.

L. 2.

FIlius ſolvens æs alienum patris, pro portione hereditaria agnoviſſe hereditatem non ambigitur, ex *hac l.* quia filius ſolvendo debitum paternum, pro portione hereditaria agnoſcit judicium defuncti ; *l. parentibus*, §. 1. *C. de inoffic. teſtam.* ut qui petit tempus ad ſolvendum, ſententiæ acquieſcere videtur ; *l. ad ſolutionem*, *C. de re judicat.*

L. 3.

JUre civili hereditas non adita non tranſmittitur ad heredem ; *l. quoniam ſororem* ; infr. *h. tit. l. unic.* §. *in noviſſimo*, *C. de caduc. tollend.* Auguſtin. de doctr. Chriſtian. lib. † 2. cap. 21. *Neque jure ullo ad heredem trajiceret, quod numquam vivo poſſederat, aut poſſidendum petiverat.* Filius, qui eſt in poteſtate patris tempore mortis, ſive ex aſſe, ſive ex parte heres inſtitutus, ſi

ſi ante agnitam hereditatem deceſſerit, eam transmittit ad quoscumque heredes, quia eſt ſuus & neceſſarius heres, ſtatim a morte patris ipſo jure heres exiſtit, etiam clauſis tabulis, id eſt ante apertas tabulas, ex *hac l.* Et ita in ſuis heredibus hereditas non agnita transmittitur quaſi jam adquiſita, non adquirenda; *l. ſuum heredem*, infr. *h. tit. l. apud hoſtes*, *C. de ſuis & legitim.* Suus heres ex aſſe inſtitutus, ipſo jure heres exiſtit etiam ante apertas tabulas; *l.* 1. §. *ult. ff. de jur. & fact. ignor.* Conſtit. Theodoſii hereditas non adita transmittitur ab aſcendentibus in deſcendentes; *l. unic. C. de his qui ante apert. tab.* Quod ſi filius ſit emancipatus & non ſuus, & ante aditam hereditatem deceſſerit, hereditatem non transmittit ad heredem, ex *hac l.* Jure civili ſuus heres inſtitutus ex aſſe fiebat heres etiam clauſis tabulis, quia lex *Julia de caducis* non pertinebat ad heredes ex aſſe inſtitutos; *d. l.* 1. §. *ult. de jur. & fact. ignor.* quam *gloſſ.* adducit *hic*, & apud Ulpian. *libr. regular. tit.* 17. *in princ.* Sive ex parte inſtitutus, quia lex *Julia* erubuit jugum ſuum imponere liberis usque ad tertium gradum; *l. unic.* §. *cum igitur*, *C. de caduc. tollend.* iisque ſervavit jus antiquum, ut colligitur ex *hac l.* & Ulpiano *loco præfato*.

L. 4.

Filiusf. heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris, ne invitum vel ignorantem obliget æri alieno; *l. qui in aliena*, *ff. h. tit.* & ſi filiof. delata ſit hereditas, pater non poteſt adire hereditatem ſine filio, & adeundo ſine filio ei non nocet, id eſt eum non obligat hereditati; *l. is qui*, §. *ult. eod.* Quod ſi filiofamilias delata ſit hereditas, & pater pro herede geſſerit voluntate filii, ſolemnitati juris ſatisfactum videtur, id eſt hereditas ſolemniter adita videtur, ad hoc ut adquiratur patri per filium, perinde ac ſi filius adiiſſet juſſu patris, ex *hac l.* Et ſi filiusf. delatam ſibi hereditatem longo tempore detinuerit, eo ipſo, utpote agnita hereditate, patri commodum ejus adquirit; *l. ſi filiusf. C. de petit. heredit.* quia ex longi temporis poſſeſſione præſumitur adiiſſe hereditatem ſciente & jubente patre: in antiquis omnia præſumuntur ſolemniter acta; *l.* 6. §. † *ſed & ſi non*, *ff. de adquirend. heredit. l. ſciendum*, *ff. de V. O.* Hodie filiusf. heres inſtitutus poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris, & ſi adierit contradicente patre, pater uſumfructum amittit; *l. ult.* † *in princ. C. de bon. quæ liber.*

L. 5.

Pupillus non poteſt adire hereditatem ſine tutoris auctoritate, ut *hic*, & *l.* † *ſi infanti*, *in fin.* infr. *h. tit. l. obligari*, §. † *hereditatem*, *l. ſi ad pupillum*, *ff. de auctorit. tutor.* Et auctoritas tutoris in adeunda hereditate pupillo delata non valet, niſi ipſius actus & voluntas intercedat, ex *hac l.* Hæc duo requiruntur, actus, & voluntas, præſentia ſeu interventio, & voluntas, quia auctoritas tutoris in re præſenti in ipſo negotio interponi debet; *d. l. obligari*, §. *tutor ſtatim.* Sed & ſi ex cauſa fideicommiſſi pupillo reſtituenda ſit hereditas, non poteſt reſtitui pupillo ſine tutoris auctoritate, quia reſtitutio hereditatis non eſt ſolutio tantum, quaſi æris alieni, quæ eſt meri facti, non juris, ſed ſucceſſio, id eſt adquiſitio hereditatis, quæ fit per reſtitutionem, ex qua is, cui reſtituta eſt hereditas, obligatur hereditati, ſed nec ipſi tutori indiſtincte reſtitui poteſt, id eſt ſine pupillo, niſi ſit infans; *l. reſtituta*, §. *ult. & dd. ll. ſeqq. ff. ad Trebell.* Bonorum poſſeſſionem quoque pupillus petere non poteſt ſine tutoris auctoritate, niſi ſolus a prætore ſine auctoritate tutoris cauſa cognita bonorum poſſeſſionem obtinuerit, quia prætoris auctoritas & ſcientia ſupplet auctoritatem tutoris: tutor vero pupilli nomine bonorum poſſeſſionem agnoſce-

Digitized by Google

re poteſt; *l. bonorum 7. C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ. l.* † *ſervus*, §. *impubes*, *ff. de bonor. poſſeſſ.* Pupillus tamen etiam ſine tutoris auctoritate poſſeſſionem rei ſingularis adquirere poteſt; *l. quamvis 32. de adquir. poſſeſſ.* Tutor ſolus ſine pupillo non poteſt adire hereditatem delatam pupillo, niſi infans ſit; *l. ſi infanti*, §. 2. infr. *h. tit. l. 2. C. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul.* Tutor ſolus bonorum poſſeſſionem pupillo petere poteſt, repudiare non poteſt; *l. tutor*; *l. ſi pupillo tutor*, *ff. de bonor. poſſeſſ.*

L. 6.

HEreditas adquiritur duobus modis, aut pro herede gerendo, aut nuda voluntate ſuſcipiendæ hereditatis; §. *ult. inſt. de hered. qualit. & different.* Aditio hereditatis fit ſola voluntate, ſine corporali prehenſione rerum hereditariarum. Et hoc eſt quod dicitur in *hac l.* heredem ſcriptum etiam ex parte heredem fieri ſola animi deſtinatione, id eſt nudo propoſito animi amplectendæ hereditatis. Alia eſt aditio ſolemnis, ſeu expreſſa, alia tacita. Aditio expreſſa eſt, quæ fit his verbis, *adeo cernoque hereditatem*. Alia eſt tacita, quæ fit non ſpeciali, ſed tacita voluntate, puta ſi heres ſcriptus de rebus relictis teſtamento vel inter vivos diſponat. Diſpoſitio de rebus relictis hereditariis præſupponit adquiſitionem hereditatis, quo caſu hereditatem transmittit ad heredem, ut *hic*. Alias hereditas non adita non tranſmittitur ad heredem; *l. prox.* infr.

L. 7.

HEreditas collateralium non adita non tranſmittitur ad ſuos heredes. Puta ſi ſoror deceſſerit ante aditam fratris hereditatem, non tranſmittit hereditatem ad ſuos heredes, ex *hac l.* Aliud eſt in ſuis heredibus, hereditas aſcendentium tranſmittitur ad ſuos heredes, id eſt liberos; *l. unic. C. de his qui ante apert. tab. l. unic.* §. *in noviſſimo*, *C. de caduc. toll.* Emancipati vero non tranſmittunt hereditatem ad ſuos heredes; *l. emancipata*, *C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* quia extraneorum loco habentur; *l. quinetiam*, *in fin. de rit. nupt.*

L. 8.

JUs adeundæ hereditatis eſt perpetuum, id eſt non excluditur præſcriptione longi temporis. Si ſuus heres in continenti ſe non immiſcuerit bonis paternis, ignorans delatam ſibi eſſe hereditatem, non excluditur præſcriptione longi temporis, ex *hac l.* puta præſcriptione decem vel 20. annorum, vel præſcriptione centum dierum, quod erat tempus cretionis; *l. 1.* infr. *de ſuis & legitim.* Ita etiam petitio hereditatis eſt perpetua, non tollitur præſcriptione longi temporis; *l. hereditatis*, *C. de petit. heredit.* ſed tollitur præſcriptione 30. annorum; *d. l. hereditatis*, quia omnes actiones reales vel perſonales tolluntur eo tempore; *l. ſicut*, *l. omnes*, *C. de præſcript. 30. annor.*

L. 9.

JUs adeundæ hereditatis eſt perpetuum; *l. prox.* ſupr. *h. tit.* & hoc eſt quod intelligitur his verbis *hujusce l.* ei, qui non repudiavit hereditatem, eam adire licet, id eſt perpetuo, non intra annum tantum, ut malunt Pileus *in loco*: ſed hoc verum eſt, ſi nulli creditores vel legatarii poſtulent heredem adire hereditatem. Quod ſi creditores defuncti, puta pupillus vel adultus, † quibus defunctus tutor vel curator extitit, heredem convenire parati ſint actione tutelæ vel negotiorum geſtorum, ut tutelæ vel curationis rationes reddantur, ſi heres moram faciat in adeunda heredi-

reditate, is an heres ſit interrogari debet, & poſtulanti datur moderatum tempus ad deliberandum de adeunda hereditate, ut *hic*, *& l. qui interrogatur*, *ff. de interrogator. act.* Jus adeundæ hereditatis eſt perpetuum, niſi inſtantibus creditoribus vel legatariis vel ſubſtituto, a judice tempus adeundi præfixum fuerit; *l. quamdiu 69. ff. de adquir. heredit.* Ita ut ne anguſtius tempus detur, quam centum dierum, quod eſt legitimum tempus cretionis; *l. 2. ff. h. tit.* Quod ſi poſt tempus deliberandi heres moram faciat in adeunda hereditate, creditores mittuntur in poſſeſſionem bonorum rei ſervandæ cauſa, vel ſi res urgeat, curator datur bonis, per quem publice veneant ſub haſta; *l. ſi diu*, infr. *quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eatur*. Hodie ex conſtitutione Juſtiniani tempus ad deliberandum datur arbitrio judicis; *l. ult.* §. † *ſed quia*, infr. *h. tit.*

† Corrige §. *& hæc quidem*, *verſ. ſed quia*, & v. omnino notam, ſupr. *pag.* 126.

L. 10.

QUi ſemel adiit hereditatem tenetur creditoribus in ſolidum etiam ultra vires hereditatis, non etiam legatariis; *l. 1. §. ſi is qui quadringenta*, *ff. ad Trebell.* Heres ſcriptus adeundo hereditatem obligatur hereditati; *l. prox.* ſupr. *hoc tit. l. qui in aliena*, *ff. de adquir. heredit.* id eſt æri alieno, obligatur creditoribus & legatariis aditione quaſi ex contractu, adeundo contraxiſſe videtur cum creditoribus & legatariis; *l. ſi quis abſentis*, §. *heres quoque*, *ff. de oblig. & act. l. 3. §. ult. & l. ſeq. ff. ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eat.* Si major 25. annis ſemel ſe immiſcuerit bonis paternis, obligatur in ſolidum æri alieno, neque inopia patris eum excuſat, id eſt non reſtituitur adverſus immixtionem, ſi alleget hereditatem non eſſe ſolvendo, neque † vis fratris, portionem hereditariam vel teſtamentum id eſt totum aſſem eripientis, arcet id eſt liberat eum de exactione creditorum, id eſt non eſt audiendus ut reſtituatur, ſi alleget ſe ſpoliatum portione hereditaria vel teſtamento, id eſt toto aſſe hereditatis, a fratre ſuo, quominus conveniri poſſit a creditoribus, quia habet actionem adverſus coheredem: non videtur res abeſſe, quæ per actionem ſalva fieri poteſt. Sic conductor non poteſt petere remiſſionem mercedis conductionis, quod fructus collecti & in horreo depoſiti erepti ſint a latronibus effractura horrei; *l. cum in plures*, §. *ult. ff. locat. l. 1. C. eod.* quia habet actionem ad rem perſequendam, vel licet injuriam paſſus ſit, non habet evictionem adverſus locatorem.

L. 11.

FIlius non poteſt adire delatam ſibi hereditatem ſine juſſu patris, neque pater ſine conſenſu filii; *l. qui in aliena*, *l. is qui heres*, §. *ult. ff. de adquir. heredit.* Ideo pater renitente id eſt contradicente filio non poteſt repudiare hereditatem delatam filio, ex *hac l. & l. filio*, † ſupr. *de repud. bonor. poſſeſſ. l. ult.* §. 1. *C. de bon. quæ liber.* neque ſervos hereditatis manumittere, ut additur *in fin. h. leg. l. 1.* infr. *de his qui a non domin. manumiſſ. ſunt*.

L. 12.

JUre civili hereditas adquiritur per aditionem, jure prætorio petita a prætore bonorum poſſeſſione. Olim bonorum poſſeſſio ſolebat decerni a prætore, nec poterat dari a magiſtratu municipali, quia bonorum poſſeſſio eſt mixti imperii, quod non cadit in magiſtratum municipalem; *l. imperium*, *de juriſdict. l. ea quæ*, *ad municipal. l. 1. C. commun. de ſucceſſ.* Hodie bonorum poſſeſſio citra petitionem agnoſci poteſt, quolibet judicio, & teſtatione voluntatis amplectendæ hereditatis, apud quemlibet judicem, id eſt etiam apud

Digitized by Google

magiſtratum municipalem ſeu duumvirum *; l. pen. & ult. C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* Cujac. 17. *obſ.* 19. Inde bonorum poſſeſſio non dicitur peti, ſed agnoſci, quia petitio non eſt neceſſaria, ſed ſufficit nuda agnitio & teſtatio voluntatis amplectendæ hereditatis facta apud quemlibet judicem. Ideo pubes agnoſcendo bonorum poſſeſſionem, poſtquam ei hereditas delata eſt, pro herede gerere non ambigitur, ex *hac l.* Immo & ſi præmature bonorum poſſeſſio agnita ſit, intra alienam vicem id eſt prioris gradus, intra tempus quo licebat proximiori agnato petere bonorum poſſeſſionem, eo poſtea repudiante, vel omittente poſſeſſionem, valet ac ſi ſuis uſa eſſet curriculis, id eſt ac ſi poſt tempus delatæ bonorum poſſeſſionis agnita eſſet *; d. l. ult.*

L. 13.

JUre civili ſuus heres ſtatim heres exiſtit ipſo jure ſine aditione, vel bonorum poſſeſſione, id eſt omiſſa aditione vel bonorum poſſeſſione. Suus heres poteſt hereditatem paternam amplecti omiſſa bonorum poſſeſſione, id eſt ſuus heres, qui ſuccedit jure civili, non eget beneficio prætoris, id eſt ei neceſſaria non eſt bonorum poſſeſſio, ut obtineat paternam hereditatem: ſecus emancipatus non adquirit hereditatem, niſi adeundo vel petendo bonorum poſſeſſionem *; l.* 1. ſupr. *hoc tit.*

L. 14.

ADitione vel bonorum poſſeſſione hereditas adquiritur, etiam ſi nondum quis nactus ſit corporalem poſſeſſionem rerum hereditariarum *; l.* 3. §. † *hereditatis*, §. *bonorum*, *ff. de bonor. poſſeſſ.* Cum quæritur, an quis heres ſit, non quæritur, an apprehendit res hereditarias, ſed an admiſerit hereditatem, vel bonorum poſſeſſionem *; l. non hoc*, C. *unde legitim.* Et adita hereditate, vel agnita bonorum poſſeſſione, heres poteſt agere actione in rem ſeu vindicatione adverſus poſſeſſores rerum hereditariarum, licet nondum nactus ſit poſſeſſionem rerum hereditariarum, ex *hac l. & l. ſi ager*, *ff. de rei vindicat.* Aditio hereditatis eſt actus ſolemnis, quo adquiritur dominium rerum hereditariarum, non poſſeſſio. Aditio hereditatis & bonorum poſſeſſio eſt magis juris, quam facti ſeu corporis *; d.* §. † *hereditatis*. Sic reſtituta hereditate ex cauſa fideicommiſſi, res in bonis ejus fiunt, cui reſtituta eſt hereditas, etſi nondum earum nactus ſit poſſeſſionem *; l. facta*, *ff. ad Trebell.*

L. 15.

FIliusf. heres inſtitutus non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris, ne invitum vel inſcientem obliget æri alieno *; l. qui in aliena*, *ff. de adquir. heredit.* Sed ſi filius priusquam juſſu patris adiret hereditatem, ſui juris factus fuerit, morte patris ſc. vel emancipatione, arbitrio ſuo hereditatem ſibi quærere poteſt, ex *hac l.* quia in adeunda hereditate jus heredis ſpectatur maxime tempore aditæ hereditatis *; l. ſi alienum*, §. *in extraneis*, *ff. de hered. inſtituend.* puta ſi filiusf. heres inſtitutus ſit ſub conditione, & ante aditam hereditatem emancipatus, & poſtea conditio extiterit, arbitrio ſuo poteſt ſibi adire hereditatem. Idem in legato conditionali *; l. quæ legata*, *de R. J.* quia in legatis conditionalibus ſpectatur tempus evenientis conditionis *; l. cum pater*, §. *hereditatem filius*, *de legat.* 2. Si filiusf. centum dari ſub conditione ſtipulatus ſit, & ante eventum conditionis emancipatus ſit, poſtea conditio extiterit, actio ex ſtipulatu patri adquiritur, non filio, quia in ſtipulationibus ſpectatur tempus contractus *; l. ſi filiusf. de V. O.*

L. 16.

Digitized by Google

L. 16.

NEmo invitus compellitur rem vendere vel emere, etiam juſto pretio, ex *hac l.* quæ ſumpta eſt ex *l.* 149. *C. Th. de decur. l. invitum*, ſupr. *de contrah. empt. l. nec quaſi*, *ff. de rei vindicat. l. non enim*, *ff. rer. amot.* niſi ob piam cauſam, puta ædis ſacræ ædificandæ cauſa, vel monaſterii vel ſepulcri cauſa. Ut ſi quis ſepulcrum habeat, iter autem ad ſepulcrum non habeat, & a vicino ire prohibeatur, extra ordinem compellitur officio judicis juſto pretio iter ei præſtare ; *l. ſi quis ſepulcrum*, *ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* Invitus etiam non compellitur donationem accipere, ex *hac l.* quoniam invito non fit beneficium ; *l. invito*, *ff. de R. J. l. hoc jure*, §. *non poteſt*, *de donat.* Invitus etiam non compellitur damnoſam hereditatem adire, ex *hac l.* vel admittere bonorum poſſeſſionem ; *l.* 3. §. *invito*, *ff. de bonor. poſſeſſ. l. ult. C. und. legit.* niſi ſervus heres ſit inſtitutus, quia eſt neceſſarius heres ; §. 1. *inſtit. de hered. qualit. & diff. l. cum aliquis*, infr. *h. tit. l. ult.* ſupr. *de neceſſar. ſerv. hered. inſtit.* Vel heres inſtitutus rogatus ſit reſtituere hereditatem, hoc caſu ſi ſuſpectam dicat hereditatem, invitus cogitur adire & reſtituere hereditatem periculo fideicommiſſarii ; *l. quia poterat*, *l. ille a quo*, §. *tempeſtivum*, *ff. ad Trebell.*

L. 17.

JUre civili hereditas non potuit adquiri, niſi per cretionem : cretio eſt ſolemnis aditio hereditatis, quæ fiebat in jure pro tribunali, coram prætore his verbis ſolemnibus & conceptis: *adeo hereditatem cernoque* ; Ulpian. *libr. regul. tit.* 22. §. 28. cretionis tempus erat centum dierum, ut liquet ex formula cretionis : *in diebus centum proximis, quibus ſcieris, poteriſque*, Ulpian. *eod. loc.* §. 27. inde tempus deliberandi, quod datur heredi adeundæ hereditatis cauſa, non potuit eſſe minus centum dierum ; *l.* 2. *ff. de jur. deliber.* Conſtitut. Theodoſii ſublata eſt ſolemnitas cretionis, ex *hac l. l.* 1. *C. Th. de cret. & bonor. poſſeſſ.* & ſublata ſolemnitate cretionis, hereditas adquiri poteſt ſola voluntate, nuda deſtinatione animi amplectendæ hereditatis ; *l. ſi avia*, ſupr. *h. tit.* §. *ult. inſtit. de hered. qualit. & diff.*

L. 18.

FIliusf. non poteſt adire vel repudiare hereditatem ſine patre, neque pater ſine filio ; *l. is qui heres*, §. *ult. ff. de adquir. heredit.* niſi filius ſit infans id eſt minor ſeptem annis : ſi filius heres inſtitutus ſit infans & in poteſtate patris, pater poteſt adire hereditatem, vel petere bonorum poſſeſſionem nomine filii, ex *init. h. leg. & l. ult.* §. *ubi autem* 6. *C. de bon. quæ liber. l.* 1. *C. Th. de cretion. & bon. poſſeſſ.* Et ſi infans, cui hereditas delata eſt ex teſtamento, vel ab inteſtato, a matre vel avo materno vel quocumque extraneo, in pupillari ætate deceſſerit, antequam pater adiret hereditatem, tunc pater ſuperſtes capit hereditatem jam delatam filio jure patrio, id eſt jure patriæ poteſtatis, quaſi jam infanti quæſitam, ut pater, non ut heres, hereditas devolvitur ad patrem non jure hereditatis, ſed jure patriæ poteſtatis, quaſi jam infanti quæſita, non quaſi adquirenda : nec patri nocet mora ſemel commiſſa in adeunda hereditate nomine filii, quia bona ex quacumque ſucceſſione delata filio pater occupat, non jure hereditatis, ſed jure peculii, ſeu jure devolutionis, ideo non tenetur ultra vires hereditatis. Hodie tamen pater ſuccedit filio ut heres ; *nov. Juſtin.* 118. *cap.* 2. Quod ſi patre jam morte ſublato, infanti tutor datus ſit, poteſt ejus nomine adire, & ei adquirere hereditatem

Digitized by Google

vel bonorum poſſeſſionem, ſive patre ſuperſtite, ſive jam mortuo ei delata ſit: in curatore idem dicendum *; l. cum quædam*, ſupr. *de adminiſtr. tutur.* Tutori ſoli reſtitutio fideicommiſſi fieri poteſt pupilli nomine *; l. ſancimus*, infr. *ad Trebell. l. ſervo invito*, §. *ſi pupillo*, *ff. eod.* Si vero infans tutorem non habebat, vel tutor neglexerit infantis nomine adire hereditatem, & infans deceſſerit in pupillari ætate ante aditam hereditatem, hereditas non agnita pervenit ad eos, quos perveniret ſi numquam infanti fuiſſet delata, id eſt non transmittitur ad heredes infantis, ſed ad heredes teſtatoris, perinde ac ſi numquam infanti delata fuiſſet, ſalva heredibus infantis actione ſeu recurſu contra tutorem *; l. quicquid*, *C. arbitr. tutel.* Quod ſi infans ſit major ſeptem annis, conſenſu patris, in cujus poteſtate eſt, vel auctoritate tutoris, ſi ſui juris ſit, poteſt adire hereditatem, vel petere bonorum poſſeſſionem, quia judicium infantis ſuppletur auctoritate tutoris *; l. quamvis*, §. *ult. de adquir. poſſeſſ.* vel ſi tutorem non habeat poteſt adire hereditatem decreto prætoris, ut *hic in fin. l. bonorum 7. C. qui admitt. ad bonorum poſſeſſ.* Quod ſi infans major ſeptem annis patre mortuo in pupillari ætate deceſſerit, leges veteres locum habent, ex *hac l.* Hereditas non agnita tranſmittitur ad ſuos heredes, non ad extraneos *; l. unic. C. de his qui ante apert. tabul.*

L. 19.

JUre civili hereditas non adita non tranſmittitur ad heredes *; l. unic.* §. *in noviſſimo*, *C. de caduc. tollend.* tamen ex conſtitutione Juſtiniani jus deliberandi de adeunda hereditate, & una jus adeundi, tranſmittitur ad quoscumque heredes ſive ſuos ſive extraneos. Quod Juſtinianus ſtatuit ſecutus ſententiam Pauli, ex quo filiusf. paternam hereditatem deliberans tranſmittit ad poſteros, id eſt ſi deceſſerit dum deliberaret, jus deliberandi tranſmittit ad poſteros. Ideo ſi heres deceſſerit intra tempus datum ad deliberandum, vel ſi deceſſerit non adita neque repudiata hereditate intra anni ſpatium, quod datur ad deliberandum, jus deliberandi tranſmittit ad heredem, ita ut beneficium tranſmiſſionis unius anni ſpatio concludatur, ut *hic*, & *l. ſcimus*, §. & *hac quidem*, infr. *h. tit.* Et ſi quis ſciens hereditatem ſibi delatam ex teſtamento vel ab inteſtato, non petita deliberatione, id eſt beneficium deliberandi, intra annale tempus deceſſerit, jus deliberandi intra annum tranſmittit ad heredem: quod ſi poſt annum deceſſerit non adita vel repudiata hereditate, beneficium deliberandi non tranſmittit. Quod ſi inſtante annali tempore deceſſerit, reliquum tempus deliberandi tranſmittit ad ſuos heredes, quo expleto, heredibus non datur regreſſus ad adeundam hereditatem, ex *hac l.* Heredi, qui non repudiavit, jus adeundæ hereditatis eſt perpetuum, niſi poſtulantibus creditoribus detur ei a judice tempus ad deliberandum de adeunda hereditate *; l. ſi curatoris*, ſupr. *h. tit.* quo elapſo heredi non datur regreſſus.

L. 20.

TEſtator prima & ſecunda & tertia parte teſtamenti Titium ex diverſis partibus heredem inſtituit: quærebatur, an cum heres ex una parte hereditatem adiiſſet, aliam partem repudiare poſſet? Præterea pater filium impuberem ex parte heredem inſtituit: extraneum ex alia parte, eundemque filio impuberi pupillariter ſubſtituit, extraneus ex ſua parte hereditatem adiit, mortuo filio intra pubertatem, quærebatur an extraneus, qui partem hereditatis ex teſtamento adiit, ſubſtitutionem pupillarem repudiare poſſit? Quoad priorem quæſtionem quidam putabant, licere Titio eodem teſtamento, diverſis ejusdem partibus ex pluribus partibus inſtituto, partem agnoſcere, partem repudiare,

quaſi

quaſi eſſent diverſæ inſtitutiones, cum eſſent diverſis partibus teſtamenti factæ, quia nemo compellitur invitus adire hereditatem; *l. nec emere*, *C. h. tit.* Heres quidem ſolus inſtitutus ex pluribus partibus, non poteſt partem adire, partem repudiare; *l. ſi ſolus*, *ff. de adquir. hered.* ne defunctum pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum faciat. Alii contra negabant, heredem inſtitutum ex pluribus partibus, aliam partem agnoſcere, aliam repudiare poſſe; *l. 2. l. qui ex duabus*, *l. ſi ſolus*, *§. 1. ff. de adquir. heredit.* Ratio, quæ adfertur in *d. l. ſi ſolus*, eſt, quod heres adeundo unam portionem omnes adquirat: abſurdum enim videtur licere eidem judicium defuncti partim comprobare, partim evertere; *l. 7. ff. de bon. libert. l. unic. §. his ita*, *C. de caduc. tollend.* Major vero controverſia fuit circa ſecundam quæſtionem, an heres ex parte inſtitutus, & ſubſtitutus filio impuberi, qui partem ex inſtitutione adiit, pupillarem ſubſtitutionem repudiare poſſit? Sane qui hereditatem ex inſtitutione repudiavit, poteſt ex ſubſtitutione vulgari hereditatem agnoſcere; *l. ſi † tu*, *§. 1. ff. de adquir. heredit.* & qui inſtitutionem repudiavit, poteſt pupillarem ſubſtitutionem agnoſcere; *l. quæſitum*, *l. Julianus*, *eod. l. ſi filius*, *de vulgar. & pupillar.* Sed quæſtio erat, an heres, qui ex parte hereditatem adiit, ſubſtitutionem pupillarem repudiare poſſit? Quibusdam placebat, heredem, qui hereditatem adiit ex parte, ſubſtitutionem pupillarem repudiare poſſe, hac ratione, quod pupillare, & paternum teſtamentum duo eſſent teſtamenta, duæ hereditates; *§. igitur*, *inſt. de pupillar. ſubſtitut.* Quod eſſet duplex teſtamentum patris & filii; *l. in duplicibus*, *ff. ad l. falcid.* Nihil vetabat igitur paternam hereditatem adiri, pupillarem repudiari, quaſi diverſam hereditatem. Alii contra affirmabant, heredem ex parte, qui adiit partem ex inſtitutione, non poſſe ſubſtitutionem pupillarem repudiare; *l. qui patri*, *l. Julianus*, *de adquir. heredit.* quod effectum eſſet unum teſtamentum patris & filii; *l. 2. §. † 4. l. patris & filii*, *de vulgar. & pupillar. l. 2. §. illud*, *de heredit. vel act. vendit. l. paterfamilias*, *de reb. auctorit. judic. poſſid.* Juſtinianus utramque quæſtionem ita diſſolvit in *hac l.* quæ eſt una ex 50. *deciſ.* ut heres inſtitutus ex diverſis partibus, eodem elogio ſeu teſtamento, qui partem hereditatis adiit, aliam repudiare non poſſit, & qui hereditatem adiit ex inſtitutione, non poſſit repudiare ſubſtitutionem pupillarem, quia abſurdum eſt partem ejusdem hereditatis agnoſci, partem repudiari; *d. l. unic. §. his ita*.

L. † 21.

SErvus heres inſtitutus non poteſt ſine juſſu domini hereditatem adire vel repudiare: & ſi juſſus adire hereditatem domini dicto audiens non fuerit, compellendus eſt adito prætore adire hereditatem; *l. 1. §. quid ergo*, *ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Quid ſi heres inſtitutus ſit is, cui ſtatus controverſia movebatur a Titio, qui ſe dicebat dominum, & ſervi dominium vindicabat? Servi vindicantur actione in rem, velut quælibet aliæ res mobiles vel immobiles; *l. 1. l. 6. ff. de rei vindicat.* Et hoc eſt quod dicit Accurſius in *hac l.* ſervum vindicari tamquam immobilem rem. Actio, quæ datur domino vindicandi ſervi cauſa, dicitur præjudicialis in rem. Quæſtio ſtatus eſt præjudicialis, quia prius decerni debet, & præjudicium facit petitioni hereditatis; *l. ult. C. de ordin. cognition.* Finge Titius teſtamento heredem inſtituit eum, qui ſe liberum dicebat, cui tamen controverſia ſtatus movebatur a Seio: quærebatur, an interim pendente lite ſuper liberali cauſa, compellendus eſſet juſſu Seii adire hereditatem, quaſi juſſu domini, an impune poſſet non parere? Veteres hac de re in multas ſcindebantur ſententias. Quidam negabant, Stichum compellendum adire hereditatem pendente liberali judicio, quaſi juſſu domini, ne præjudicium fieret libertati. Quæſtio ſtatus eſt præjudicialis, ſi de hereditate, &

Digitized by Google

libertate quæratur, prius diſceptanda eſt cauſa libertatis; *l. 2. C. de ordin. cognit.* immo ordinato liberali judicio, is, qui de ſtatu litigat, pro libero habetur; *l. ordinata, l. ſi cui, §. licet,* † *ff. de liber. cauſ. l. lite ordinata,* † *C. eod.* nimirum grave & invidioſum eſt, ut qui eſt in poſſeſſione libertatis, pendente liberali cauſa, quaſi ſervus compellatur adire hereditatem quaſi juſſu domini. Et hæc eſt ratio, quam inſinuat Juſtinianus his verbis, *indignatus eſt quaſi domino ei parere*. Juſta eſt cauſa indignandi, ſi homo, qui ſe dicit liberum, pendente liberali judicio habeatur pro ſervo, & ut ſervus compellatur adire hereditatem juſſu quaſi domini: ubi lis incepta eſt, pendente lite nihil innovandum, quin ſuſtinendum eſt, ut lis ſuo marte decurrat; *l. properandum, §. illo proculdubio, C. de judic.* id eſt expectandus eſt eventus ſententiæ: & hoc eſt quod ait Juſtinianus his verbis, *hereditatem* (id eſt litem de hereditate) *per ſuum jus decurrere, & liberale judicium ſuam expectare ſententiam*. Juſtinianus, ut veterum diſcordiam tolleret, hac diſtinctione uſus eſt, ut ſi Titius Stichum heredem inſtituerit facta mentione domini, puta ſi dixerit, *illum ſervum illius heredem inſtituo*, a judice compellendus ſit adire hereditatem, & adeundo adquirat illi, qui ſe dicit dominum, quia ex verbis teſtatoris apertiſſimum eſt, illum eſſe heredem inſtitutum contemplatione domini, cujus mentio ſpecialis facta eſt, quod ſufficit, ut hereditas adquiratur illi, cujus contemplatione relicta eſt; *l. ſed ſi plures, §. in adrogato, ff. de vulgar. & pupillar.* Ita tamen, ut ſi poſtea Stichus liber pronuntietur, nullum gravamen, nullum onus vel periculum ſubeat ex adita hereditate, ſed omne commodum & periculum pertineat ad illum, qui juſſit adiri; *l. liber homo, ff. de adquir. rer. domin. l. quia poterat, ad Trebell.* Quod ſi Stichus quaſi liber inſtitutus ſit, nulla ſervi aut domini habita mentione, Juſtinianus voluit non compelli interim adire hereditatem, nec denegari ei liberale judicium. Servo licet conſiſtere adverſus dominum pro libertate; *l. vix certis, ff. de judic.* & hereditatem per ſuum jus decurrere, & liberale judicium ſuam expectare ſententiam, ſive agente eo, ſive pulſato, id eſt ſive ipſe proclamet ad libertatem, ſive pulſetur ſeu conveniatur, & ex poſſeſſione libertatis a domino vindicetur in ſervitutem. Ut ſi per ſententiam ſervus pronuncietur, tunc domino hereditatem adquirat: ſi autem liber pronuntiatus fuerit, tunc eam ſibi adquirat ſi adire maluerit: nec enim compellitur quiſquam damnoſam hereditatem adire; *l. nec emere, h. tit.*

L. 22. & ult.

HEres ſcriptus, qui adiit hereditatem pure & ſimpliciter omiſſo inventario, tenetur creditoribus hereditariis in ſolidum, etiam ultra vires hereditatis, ut oſtenditur † in §. 1. *h. l. l. quæ dotis, ff. ſolut. matrim.* quia adeundo hereditatem videtur contraxiſſe cum creditoribus; *l. 3. §. ult. ff.* † *quib. ex cauſ. in poſſ. eat. l. ſi quis abſentis, §. heres quoque, de oblig. & act.* Idem tenetur & legatariis † in ſolidum, etſi fines hereditarios excedant, & amittit detractionem quartæ falcidiæ; *nov. 1. cap. 2. §. 2. auth. ſed cum teſtator, C. ad l. falcid.* Sed primum ex reſcripto divi Hadriani ſuccurſum eſt ei, qui hereditatem adiit, ſi poſt aditam hereditatem grande æs alienum, quod latebat, emerſerit; *§. ſciendum, inſtit. de hered. qualit. & different.* Tum conſtitutione Gordiani, quæ memoratur in *hac l. & in d. §. ſciendum*, nec exſtat. Hoc juris conceſſum eſt militibus dumtaxat, qui temere damnoſam hereditatem adierint, ne teneantur ultra vires hereditatis, hac ratione, quod conſulendum ſit militibus, quos arma magis quam leges ſcire par eſt: quod comprobatum eſt quadam conſtitutione Juſtiniani, quæ etiam deſideratur. Sed ex alia conſtit. Juſtiniani, ſi heres ex teſtamento, vel ab inteſtato, ex aſſe, vel ex parte adeat hereditatem confecto inventario, non tenetur creditoribus

vel

vel legatariis ultra vires hereditatis. Cum vero fiſcus ſuccedit in bonis vacantibus, etiam omiſſo inventario, non tenetur creditoribus ultra vires bonorum; *l.* 1. §. *an bona*, *ff. de jur. fiſci*, quia non ſuccedit ut heres, ſed ut fiſcus. Et cum pater ſuccedit in bonis adventitiis filiif. non tenetur ultra vires bonorum, quia pater ea occupat non jure hereditatis, ſed jure peculii; *l. ſi infanti*, & *ibi gloſſ. C. h. tit.* Etiam filius, qui non confecit inventarium, non amittit legitimam, neque Trebellianicam, quia utramque habet a lege, non judicio teſtatoris, ut optime animadvertit *gloſſ. in* §. *in computatione*, *h. leg.* Aditio hereditatis perpetua eſt, non præſcribitur, niſi ſpatio 30. annorum, niſi certum tempus heredi ſcripto præfixum fuerit ad adeundam hereditatem poſtulantibus creditoribus, vel ſubſtitutis; *l. quamdiu* 69. *ff. de adquir. heredit.* Et quidem heredi ſcripto, ſi dubitet de adeunda hereditate, a prætore datur ei tempus ad deliberandum, an adeat hereditatem, nec ne, quod tempus olim poſitum erat in arbitrio prætoris, ita ut non eſſet minus quam centum dierum; *l.* 1. & 2. *ff. h. tit.* Conſtit. Juſtiniani datur annus ad deliberandum; *l. cum in antiquioribus*, ſupr. *h. tit.* Sed ſi heres omiſſo jure deliberandi, malit adire hereditatem confecto inventario, tunc heredi datur tempus trium menſium ad conficiendum inventarium, computandum a die, quo ſcivit ſibi delatam hereditatem ex teſtamento vel ab inteſtato. Et hoc ſi heres præſens ſit: quod ſi abſit a loco, in quo res hereditariæ vel maxima pars earum poſitæ ſunt, tunc datur ei annus, numerandus a morte teſtatoris, ut exponitur † *in* §. 2. & 3. *h. l.* In conficiendo inventario hæc potiſſimum requiruntur. I. ut inventarium conficiatur intra tres menſes, ſi heres adſit eo loco, ubi res hereditariæ ſitæ ſunt, vel intra annum ſi heres abſit, & priori caſu ut inventarium inchoetur intra 30. dies, id eſt intra menſem, & perficiatur intra ſexaginta dies, id eſt intra duos menſes. Quod intra tempus incipiendum ſit inventarium ſecundo caſu, non expoſuit Juſtinianus, ſed ſimpliciter dixit conſummandum intra annum: verum proportione ſervata inventarium intra quatuor menſes inchoandum eſſe recte ſupplet *gloſſ. hic*, ut perficiatur intra annum. Ut enim inventarium, quod perfici debet intra tres menſes, inchoari debet intra menſem, ita par eſt, inventarium, quod conficiendum eſt intra annum, inchoari intra quartum menſem, ut ſemper conficiendo inventario integræ ſint duæ partes temporis, quod datur a *lege*. Tempus conficiendi inventarii currit ab apertis tabulis, vel delata hereditate, ſed quod ſupplendum eſt ſententiæ *h. leg.* id tempus non currit, niſi a die delatæ & aditæ hereditatis, niſi ſit in mora adeundi, ut optime advertit *gloſſ. hic*, *ex l. ſtatuliberos* 3. §. *ſi quis heredi*, *ff. de ſtatulib.* Heredi datur tempus ad ineundum inventarium. Tutores & curatores ſtatim atque dati ſunt inventarium facere debent; *l. tutores* 24. *C. de adminiſtr. tut. l. tutor qui repertorium*, *ff. eod. l. ult.* §. 1. *C. arbitr. tutel.* ut conſulatur pupillis, ne tutores vel curatores impune graſſentur in rebus pupilli vel minoris antequam inventarium conficiatur. II. Inventarium debet confici rerum omnium, quas defunctus reliquit mortis tempore, vocatis quorum intereſt, id eſt creditoribus, vel legatariis, vel ſubſtitutis, alioquin inventarium fidem non facit, niſi inter quos confectum eſt; *auth. ſi omnes*, *C. ſi minor ab heredit. ſe abſtineat.* Inventarium confici debet præſentibus tabulariis, & adhibita ſubſcriptione heredis, vel ſi ſit imperitus litterarum, vel ſcribere præpediatur, adhibita ſubſcriptione ſpecialis tabularii, qui pro eo ſubſcribat, ſigno crucis antea manu heredis præpoſito vice ſubſcriptionis. Porro in conficiendo inventario non ſufficit nuda ſubſcriptio nominis heredis, ſed ſubſcriptio, quæ ſignificet quantitatem rerum hereditariarum, & teſtationem ſeu adſeverationem propriam heredis, quod res apud eum tutæ remaneant, ut exponitur † *in* §. 2. *h. l.* inventarium debet continere ſpecificam deſcriptionem rerum hereditariarum; *d. l. tutores*, *l. ſi quis intra*, *inſt. de bonis proſcriptor.*

Signum crucis vice ſubſcriptionis inſtrumentis apponi ſolitum; Ingulf. *in chron. Croyland.*

l. 3. *C. de bon. vacantib.* Præterea heres debet ſubſcribendo ſignificare qualitatem rerum, qua fateatur res inventario comprehenſas eſſe apud ſe, ſeque inventarium rerum bona fide confeciſſe, easdemque bona fide ſervaturum. Qui ſubſcribebant inſtrumentis tamquam partes ſeu contrahentes, præter ſignum nominis, apponebant brevem ſummam contractus, ut aperte colligitur, ex *hoc loco*, nec aliter intelligitur quod dicitur in *l. contractus*, ſupr. *de fid. inſtrument.* ſi convenerit, ut contractus vel aliud inſtrumentum in ſcriptis fieret, non prius valere, quam e ſcheda in mundum redactum ſit, & ſubſcriptione partium munitum. Hinc ſubſcribens inſtrumento mutui, quod alius accepit, citra ſolemnitatem verborum, id eſt † ſubſcribens ut teſtis, non obligatur; *l. mutuæ*, ſupr. *ſi cert. petat.* Inventarium confici debet coram tabulario ſeu tabellione, adhibita ſubſcriptione heredis, vel ſi imperitus ſit litterarum, qui pro eo ſubſcribat, & adhibitis teſtibus qui heredem norint. In inventario conficiendo requiruntur teſtes idonei & fide digni, qui heredem norint, ſi propter imperitiam litterarum vel aliud impedimentum is inventario ſubſcribere nequeat. In contractibus etiam requiruntur teſtes, qui contrahentes norint; *nov. Juſtin.* † 73. *cap.* 8. ne quid falſi fiat. In conficiendo inventario requiritur non modo ſcriptio heredis, quod conſtitutum eſt *hac l.* ſed etiam jusjurandum heredis, nihil ſe dolo feciſſe, & jusjurandum teſtium, quod adfuerint iis quæ geſta ſunt, & in nullo conſcii ſint factæ ab herede malignitatis, quod additum eſt *nov. Juſtin.* 1. *de hered. & falcid. cap.* 1.

§. *etſi præfatam*, *ejusd. leg.*

EX conſtit. Juſtiniani quadruplex eſt beneficium inventarii. I. eſt, quod heres, qui adiit hereditatem, rite & ſolemniter confecto inventario, non tenetur creditoribus ultra vires hereditatis. II. eſt, quod heres præſtat legata deducto ære alieno, legata non ſolvuntur, niſi deducto ære alieno; *l. Papinianus*, §. † *quarta*, *ff. de inoff. teſtam. l.* 2. §. 1. † *ff. de collat. bonor.* Et deducto ſemel ære alieno, ſi legata excedant dodrantem, legis falcidiæ beneficio utitur adverſus legatarios. Omiſſo autem inventario heres tenetur in ſolidum, non modo creditoribus, ſed & legatariis non deducto ære alieno nec falcidia, ut proponitur *in* † §. *ſi vero* 12. *h. l. ex nov.* 1. *de hered. & falcid. cap.* 2. §. 2. Et heres, qui fecit inventarium, liberatur ſolvendo creditoribus etiam poſterioribus, ſalva prioribus actione hypothecaria, vel condictione indebiti adverſus poſteriores, qui ſolutionem receperunt, ut ſubjungitur in *h.* §. † *& quatuor ſeqq.* quia nihil eſt quod imputetur heredi, qui prius ſolvit creditoribus, qui ſibi vigilarunt; *l. quod autem*, §. *ſciendum*, *l. pupillus*, *ff. quæ in fraud. creditor.* id eſt creditoribus, a quibus prius conventus fuit, niſi dolo malo id eſt ſciens ultrove ſolverit poſterioribus creditoribus omiſſis prioribus; *l. cum poſt mortem*, §. 1. *ff. de adminiſtr. tutor.* Eadem eſt cauſa legatariorum, ac creditorum. Poteſt heres ſatisfacere legatariis, qui eum convenerint, non expectatis creditoribus, & hoc ex rebus hereditariis, vel ex pretio venditionis rerum ipſarum, ita ut nulla creditoribus ſit actio in heredem, vel emptores rerum hereditariarum, quorum pecunia ſoluta ſunt legata, ſed datur creditoribus actio hypothecaria, vel condictio indebiti adverſus legatarios pecuniæ recuperandæ cauſa, ut additur in *hoc* §. † *& quatuor ſeqq.*

§. *in computatione*.

III. BEneficium inventarii eſt, quod heres, qui adiit hereditatem facto inventario, ſi damnoſam invenerit, poteſt eam dimittere quandocumque etiam poſt triginta annos, quia beneficium legis eſt perpetuum, qua ratione

ne & legis falcidiæ beneficio heres etiam poſt longum tempus mortis teſtatoris uti non prohibetur ; *l. legis falcidiæ* , *ff. ad leg. ſalcid.* Et ſi renunciet hereditati, poteſt deducere quod impendit in ſumptus funeris, quia impenſa funeris eſt æs alienum defuncti ; *l.* 1. *ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* Item quod impendit in teſtamenti inſinuationem apud acta , & inventarii confectionem , vel alias cauſas neceſſarias hereditaris , vel ſumptus litis pro tuendis rebus hereditariis . Inventarium confici debet ſumptu hereditaris , quia intereſt omnium, ad quos ſpectat heredítas : qua ratione & ſumptus electionis debet fieri de menſa eccleſiæ ; *cap. ut præterita* , *de elect.* IV. Inventarii beneficium eſt , quod adita hereditate ex inventario , non confunduntur actiones , quæ heredi competebant adverſus defunctum , ut ei ſalvæ ſint perinde atque aliis creditoribus hereditariis, ſervato inter eos privilegio temporis : alias aditio ipſo jure confundit actiones , ſi creditor debitoris vel debitor creditoris heres extiterit ; *l. debitori* , *ff. de fidejuſſ. l. Stichum* , §. *aditio* , *de ſolut.*

§. *licentia* .

HEres , qui ex inventario adit hereditatem , bona fide inventarium facere debet , & inventario ſubſcribere , eaque ſubſcriptione ſignificare quantitatem rerum omnium , & affirmare , ſe inventarium bona fide feciſſe , ut oſtenſum eſt *init. h. leg.* Sed ſi heres in conficiendo inventario , res quaſdam omiſiſſe vel celaſſe feratur a creditoribus & legatariis , integra eſt actio in heredem, ut omiſſa vel ſubducta ſuppleantur , & iiſdem datur copia probandi quæ omiſſa vel amota ſunt quæſtione habita de ſervis hereditariis , vel ſacramento heredis , vel aliis probationibus , puta teſtibus , vel inſtrumentis . De ſervis hereditariis quæſtio haberi poteſt , ut ſciatur veritas rerum , quæ ſunt in hereditate ; *l.* 1. §. 1. ſupr. *de jurejurand. propt. calumn. dand. l. lex quæ* , ſupr. *de adminiſtrat. tutor.* Heres , qui in conficiendo inventario ſciens & dolo quid omiſit vel celavit , hac de re , ſi convictus fuerit , tenetur in duplum , ut additur *in fin. h.* §. Ex hac conſtitutione heres , qui quidpiam omiſit vel celavit in conficiendo inventario , non amplius præſtat , quam duplum , punitur dumtaxat in quo peccavit , ut heres , qui amovit res hereditarias , in his amittit falcidiam & Trebellianicam ; *l. falcidiæ* 24. *l.* *) *beneficio legis* , *l. hereditatum* , *al. l.* 68. §. *ult. ff. ad l. falcid. l. reſcriptis* , *de his quæ ut indign. l. Paulus reſpondit* 48. *ad Trebell.* Sed jure forenſi heres , qui dolo omiſit vel ſubduxit res hereditarias , amittit beneficium inventarii , & creditoribus legatariiſque tenetur in ſolidum , quod legis beneficio indignus ſit , qui committit in legem ; *l. auxilium* , *in fin. ff. de minorib.* Nec hoc prorſus alienum eſt a jure civili , quo etiam ſuus heres , qui aliquid ex hereditate amovit , abſtinendi beneficium non habet ; *l. ei qui ſe* , *l. ſi ſervum* , §. *ſi quis ſuus* , *ff. de adquir. hered.*

§. *donec* .

HEres, licet adierit hereditatem , intra tempus conficiendi inventarii non poteſt conveniri a creditoribus hereditariis vel legatariis actione in perſonam , vel in rem , vel hypothecaria , non ſecus ac heres intra tempus delatum ad deliberandum de adeunda hereditate , ex *hoc* §. quia nondum conſtat pro qua parte heres conveniri poſſit , vel an conveniri poſſit , quia tempus , quod datur heredi conficiendi inventarii cauſa , liberum & tutum eſt a creditoribus & legatariis , quod detur heredi quaſi ad deliberandum de adeunda hereditate : interim tamen ipſe poteſt convenire debitores hereditarios , ex Bartolo in *hac l.* Aliud in tutore vel curatore , qui omnino non poteſt attingere res

pupilli vel minoris, niſi prius confecto inventario; *l. ult. in fin. C. arbitr. tutel.* Et interim idem cœptas adverſus defunctum lites excipere compellitur, nullum enim privilegium heres habere poteſt in lite conteſtata cum defuncto; *l. ſi is qui Romæ, ff. de judic.* Nec creditoribus vel legatariis iniquo animo ferenda eſt brevis mora, quia interim præſcriptio non currit adverſus eos, ut ſubditur *in fin. h.* §. Non valenti agere non currit præſcriptio; *l. cum notiſſimi, §. illud autem, C. de præſcript. 30. ann. l. 1. §. ult. C. de annal. except. l. in rebus, verſ. omnes autem, C. de jur. dot.*

§. *ſin vero* 12.

HEres, qui non confecto inventario adiit hereditatem intra tempus datum a lege, tenetur creditoribus hereditariis & legatariis in ſolidum, ex *hoc* §. nec non legatariis, ita ut amittat falcidiam; *nov. 1. de hered. & falcid. cap. 2. §. 2.* Ratio eſt, quod beneficio legis indignus eſt, qui eam contemnendam cenſuit, ut mox ſubjicitur *in fin. h.* §. Fruſtra legis auxilium implorat, qui committit in legem; *l. auxilium, in fin. ff. de minorib.*

§. *& hac quidem.*

COnſtitutione iſta dato beneficio inventarii, heredi non tollitur jus deliberandi de adeunda hereditate, ſed ſuperfluum ac inane efficitur, cum tutum ſit heredi omiſſa deliberatione adire hereditatem confecto inventario beneficio *hujus leg.* Igitur etiam poſt hanc conſtitutionem volenti & petenti datur tempus ad deliberandum, nimirum anni a Principe, novem menſium a judice, ita ut ſemel non iterum concedendum ſit, ne quidem a Principe. Olim tempus deliberandi erat poſitum in arbitrio prætoris; *l. 1. 3. & 4. ff. h. tit.* ſed ex hac conſtitutione tempus deliberandi limitatur, & datur a Principe, non a judice, ita ut ſemel conceſſum non iteretur: contra res bis judicatas reſtitutio datur a Principe; *l. minor 18. §. ſed & Percennio, ff. de minorib.* Sed in hoc caſu Princeps ipſe ſibi legem imponit, ne tempus deliberandi datum a lege inſtauretur, ut occurratur dolis & machinis heredum, qui fruſtrandi & morandi creditores cauſa tempus deliberandi diutius trahebant. Et ita reſtitutionis auxilium in una eademque cauſa iterum non conceditur; *l. 2. & 3. C. ſi ſæpius in integr. reſtitut. poſtuletur.* Et adverſus ſententiam præfecti prætorio non licet iterum ſupplicare; *l. ſi quis adverſus, C. de precib. Imper. offerend.* ne lites in infinitum producantur. Tempus deliberandi prolixius datur a Principe, quam a judice, propter prærogativam dignitatis, ut oſtendatur Princeps major magiſtratu; Tiberius ad ſenatum apud Tacit. 3. annal. (cap. 53.) *non ædilis, aut prætoris, aut conſulis partes ſuſtineo: majus aliquid & excelſius a Principe poſtulatur.* Ex hac conſtit. tempus deliberandi, quod datur a Principe, eſt anni, quod a judice, novem menſium, quo derogatur *l. cum in antiquioribus*, ſupr. *h. tit.* ex qua tempus deliberandi indiſtincte eſt anni.

§. *ſin autem* 14.

QUi petiit tempus ad deliberandum, intra tempus ad hoc datum inventarium conficere debet, ne interim dum deliberat res hereditariæ amoveantur, ut oſtenditur *init. hujus* §. Immo donec inventarium fiat, ab eo qui deliberat res obſignari debent cuſtodiæ cauſa, quod e more in jus tranſiit; *l. cum pater, §. pater 21. ff. de legat. 2. l. ult. C. Th. de adminiſtr. tutor.* Tacit. 14. annal. (cap. 6.) *teſtamentum Acerroniæ requiri, bonaque obſignari jubet.* Et ſi heres poſt deliberationem adeat hereditatem, vel non recuſet hereditatem, quod

quod perinde eſt , quia tacite adire videtur , non utitur beneficio *hujus l.* & tenetur in ſolidum creditoribus ac legatariis , ita ut amittat beneficium legis falcidiæ , quia beneficio legis indignus videtur, qui legem contempſit, id eſt qui petiit tempus ad deliberandum ſpreto beneficio *h. leg.* ex qua tuto potuit adire hereditatem facto inventario. Quod ſi heres intra tempus deliberandi inventarium non fecerit, & recuſet hereditatem, compellitur res hereditarias reſtituere heredibus legitimis, vel creditoribus , quanti actor in litem juraverit intra modum a judice ſtatuendum , ne in immenſum juretur , ut definitur in *hoc* §. In actionibus in rem, puta in rei vindicatione , & petitione hereditatis, in litem juratur usque ad certam ſummam arbitrio judicis , ne in infinitum jurare liceat ; *l.* 4. §. *jurare* , *l.* 5. *ff. de in lit. jurand. l. qui reſtituere* , *de rei vindicat. l. ſi quando* , *C. unde vi* .

§. *ult.*

SUmma *hujus conſtitutionis* eſt , quod heres rite & ſolemniter confecto inventario intra tempus non tenetur creditoribus & legatariis ultra vires hereditatis , & ſi heres omiſſo inventario malit petere tempus ad deliberandum , poſtulanti datur annus a Principe, novem menſes a judice. Et *hac conſtitutione* ait Juſtinianus derogari duabus e ſuis conſtitutionibus . Quarum una continetur *l. cum in antiquioribus* , ſupr. *h. tit.* ex qua annus indiſtincte datur ad deliberandum : altera eſt conſtitutio quædam, quæ non extat, &memoratur *init. h. leg.* quæ ſuccurrebat heredi propter improviſum æs alienum , & continebat ſententiam conſtitutionis Gordianæ, quæ etiam deſideratur , quæve juvabat milites propter inſcitiam militarem : vel, ut ſanius loquamur , Juſtinianus ampliavit hæc omnia jura, & quod ante conſtitutum erat in cauſa improviſi æris alieni , vel propter milites , id produxit ad quoſcumque heredes , ne teneantur ultra vires hereditatis , ſive æs alienum improviſum emerſerit , ſive ab initio apparuerit , dummodo rite factum ſit inventarium intra tempus præſtitutum *hac lege*. Et hæc eſt ſumma *hujus conſtitutionis* , qua expoſita πάρεργον , non erit quærere, an heredi remitti poſſit confectio inventarii : & Cujac. *in nov.* 1. *de hered. & falcid. in fin.* exiſtimavit , remitti poſſe exemplo tutoris ; *l. ult. C. arbitr. tutel.* ſed verius eſt heredi minime remitti poſſe , ſaltem in fraudem creditorum . Et ita fructuario remitti non poteſt cautio fructuaria , quam præſtat fructuarius ſe uſurum fruiturum boni viri arbitratu ; *l.* 1. *C. de uſufruct. l. ſcire debetis* , *C. ut in poſſeſſ. legat.* Et promptius eſt tutori remitti confectionem inventarii, quod præſumendum ſit patrem ita caviſſe magis in gratiam pupilli, ne ſecreta patrimonii pandantur ; *l.* 2. *C. de aliment. pupill. præſtand.* quam in fraudem & injuriam creditorum . Ad hæc quæritur , an teſtator heredi prohibere poſſit confectionem inventarii , id eſt vetare ne inventarium faciat, ne poſſit uti beneficio inventarii? Cujac. etiam in *hanc legem* credidit poſſe, eodem argumento tutoris : ſed verius ſaniusque eſt heredi nequaquam prohiberi poſſe confectionem inventarii , quæ eſt remedium juris , quia jus publicum privatorum voluntate tolli non poteſt ; *l. nemo* 55. *ff. de legat.* 1. & ita judicatur. Heres ex teſtamento vel ab inteſtato , & cujuscumque conditionis ſit, miles, clericus, vel privatus ſeu paganus , minor vel major 25. annis , mulier , vel ruſticus, tenetur conficere inventarium, alioquin amittit beneficium inventarii, ex *nov.* 1. *de hered. & falcid. cap.* 4. *in fin.* ſed minor reſtituitur ob omiſſionem inventarii, ſi captus ſit ; *l. nam poſtquam* , §. *ſi minor* , *ff.* † *de jurejur.* Juris ignorantia excuſatur in minoribus ; *l.* 2. *C. de jur. & fact. ignor.* Etiam fiſcus heres ſcriptus tenetur conficere inventarium, quia ſuccedit ut privatus quilibet : ſuccedens ex delicto , vel in bona vacantia deficiente herede , non tenetur ultra vires bonorum ; *l.* 1. §. *an bona*,

Digitized by Google

ff. de jur. fiſc. quia non ſuccedit ut heres, ſed jure fiſci. Etiam mulier vel ruſticus tenetur conficere inventarium, nec reſtituitur ob omiſſum inventarium: tamen mulier ſi ignorantia juris lapſa non fecerit inventarium, non amittit dotem, ſed lucra nuptialia. Juris ignorantia excuſatur in muliere in damno rei ſuæ, non in lucro; *l. error, ff. de juris & fact. ignor. l. ult. C. eod. l. juris, C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* Et hac diſtinctione modus impoſitus eſt *nov. Leonis* 110. ex qua mulier, quæ poſt mortem mariti non fecit inventarium rerum mariti, ſubmovetur a petitione dotis & lucri nuptialis, quod juris reſtitui e republica eſſe placuit Cujac. 14. *obſ.* 38. ut occurratur rapinæ mulierum.

AD TITULUM

De repudianda vel abſtinend. heredit.

L. 1.

FILIUS, qui eſt in poteſtate patris tempore mortis, ſuus & neceſſarius heres exiſtit ipſo jure ſine immixtione: ſed ſi bonis paternis ſe non immiſceat, non obligatur hereditati, nec poteſt conveniri a creditoribus hereditariis; *l.* 1. ſupr. *prox. tit.* Filius autem præſumitur ſe immiſcuiſſe bonis paternis, vel pro herede geſſiſſe, ſi aliquid geſſit quaſi heres, id eſt animo heredis: puta ſi patrem †† ſepelivit, vel juſta ei fecit, ſervum hereditarium manumiſit, vel mancipia diſtraxit in ſumptum funeris; *l. pro herede*, in princ. *l. Julianus al. l. ſi pupillus*, §. † *ſi ſervum, ff. de adquir. heredit.* vel ſi habitet in domo paterna vel poſſideat res hereditarias, niſi liquido id eſt manifeſtis argumentis probet ſe abſtinuiſſe hereditate paterna, nec habitaſſe in domo paterna ut heredem, ſed ut inquilinum id eſt conductorem vel cuſtodem. Qua de cauſa liberi, qui ſunt ſui & neceſſarii heredes, ita ut ipſo jure heredes exiſtant ſine immixtione, ut ſibi conſulant ſolent teſtari, id eſt teſtatum facere per libellum, ſe non animo heredis gerere quæ gerunt, ſed pietatis aut cuſtodiæ cauſa vel pro ſuo; *d. l. pro herede*. Alias qui ſemel paterna hereditate ſe abſtinuit, id eſt abſtinuiſſe probatur, & liquido probat, ſe non ut heredem in domo paterna habitaſſe, ſed ut inquilinum vel cuſtodem, vel ex alia juſta cauſa, non poteſt conveniri a creditoribus hereditariis, puta a fiſco vel aliis, ex *hac l.* Aditio vel immixtio hereditatis non inducitur ex ſola poſſeſſione rerum hereditariarum, niſi fit animo adquirendæ hereditatis. Ideo cum quæritur, an quis ſit heres, non quæritur, an poſſideat res hereditarias, nec ne, ſed an admiſerit id eſt agnoverit hereditatem vel bonorum poſſeſſionem; *l. non hoc, C. unde legitim.*

†† V. omnino *l.* 49. *in fin. famil. erciſc.*

L. 2.

In hanc *leg.* dictum eſt ſupra ad *l.* 91. *ff. de adquir. heredit.*

L. 3.

FIlius, qui eſt in poteſtate patris tempore mortis, eſt ſuus, & neceſſarius heres exiſtit, ſed antequam ſe immiſceat bonis habet beneficium abſtinendi a prætore; §. *ſui autem, inſt. de hered. qualit. & diff. l. ei qui ſe, ff. de adquir. heredit.* Et ſuus heres, qui ſemel ſe immiſcuit bonis paternis, quæſitam hereditatem reſpuere non poteſt; *l. prox.* infr. *h. tit.* ſuus heres, qui teſta-

Digitized by Google

teſtamentum injuſtum dixit, puta filius præteritus, vel exheredatus, qui teſtamentum impugnavit per querelam inofficioſi vel viam nullitatis, & agit petitione hereditatis adverſus heredem ſcriptum, & poſtea in jure profeſſus eſt, nihil ſe de paterna ſucceſſione petiturum, non ex cauſa donationis, id eſt donandi animo, ſed transigendi animo, quo genere videtur repudiaſſe hereditatem, quia repudiatio hereditatis fit in jure pro tribunali, ex *hac l. & l. prox. infr. h. tit. l.* 1. ſupr. *de repudiand. bonor. poſſeſſ. l. non ſolum*, §. *ult. ff. de rit. nuptiar.* non ſubmovetur exceptione pacti ſeu transactionis a petitione hereditatis, non ſubmovetur ſc. vi repudiationis, quia repudiatio nullius eſt momenti, hereditas ſemel adita repudiari non poteſt; ex *hac l. & l. prox. l. ait prætor*, alias *l. etſi ſine*, §. *ſed quod Papinianus*, *ff. de minorib. l.* 1. §. *decretalis*, *de ſucceſſ. edicto*: non quaſi ex donatione, quia non habuit animum donandi: non vi transactionis, quia transactio, quæ fit nullo dato, vel retento, vel promiſſo, nullius eſt momenti, ut *hic*, *& l. transactio*, *C. de transact.* nec vi pacti gratuiti ſeu remiſſionis, quia non habuit animum remittendi jus ſuum, ſed transigendi, ut a lite diſcedatur.

L. 4.

SIcut major 25. annis, qui ſemel repudiavit delatam ſucceſſionem priusquam eam adiret, eam repetere non poteſt, ex *hac l. & l.* † 1. *de repudiand. bonor. poſſeſſ. l. nam quod*, §. †† *ſed & qui*, *ff. ad Trebell.* ita qui ſemel adiit hereditatem, poſtea repudiando nihil agit, ſed jus ſemel quæſitum retinet: qui ſemel eſt heres non poteſt deſinere eſſe heres: & ſi heres ſcriptus, qui ſemel adiit hereditatem, forte lite mota, puta conventus a creditoribus hereditariis, in jure id eſt apud prætorem profeſſus ſit, ſe non eſſe heredem, non ideo hereditatem ſemel quæſitam amittit. Non obſtat quod dicitur, in jure confeſſos pro judicatis haberi, quia hæc regula non pertinet ad repudiationem hereditatis, id eſt ad eum, qui repudiandi cauſa in jure confitetur ſe heredem non eſſe, ſed ad eum, qui in jure confitetur ſe debere certam quantitatem, ex *hac l. & l.* 1. *ff. de confeſſ.* Filius patri eſt ſuus & neceſſarius heres, ipſo jure heres exiſtit, tamen ſi ſe abſtinuerit, poſt abſtentionem non deſinit eſſe heres: qui ſemel eſt heres, etiam ſi abſtineat manet heres, ſed eſt heres nomine ſine re; *l.* 6. §. *ſi filius*, *ff. de bon. libertor. l. cum quaſi*, §. *ſed & ſi ſuus*, *de fideicommiſſar. libertatib. l.* 2. §. *ſed ſi ſunt ſui*, *ff. ad Tertyll.* Tamen eum, qui ſe abſtinuit, prætor non habet heredis loco: ideo ſi is, qui ſe abſtinuit, interrogatus apud prætorem, an ſit heres, tacuerit, non tenetur quaſi heres, quia abſtinentem ſe prætor non habet heredis loco; *l. ſi filius* 12. *ff. de interrogat. act.* Sed ſi filius, qui abſtinuit paterna hereditate, in jure interrogatus, an ſit heres, reſponderit ſe heredem eſſe, tenetur quaſi heres, nam ita reſpondendo, pro herede geſſiſſe videtur, & hereditatem repetiiſſe; *d. l. ſi filius*.

†† V. ſi facit, & adde *l.* 13. *ff. de adqu. her. l.* 1. §. 3. *ff. und. liber. l.* 1. §. 6. *ff. de ſucc. edict. l.* 4. *ff. quis ord. in bon. poſſeſſ.* §. 5. *inſt. de bonor. poſſ.*

L. 5.

De *hac l.* dictum eſt ſupr. *l.* 8. *ff. de adquir. heredit.*

L. 6.

JUre veteri ſuus heres, qui ſemel abſtinuit bonis paternis, indiſtincte id eſt omnino poteſt redire ad ea etiam poſt longum tempus, donec res paternæ in eodem ſtatu permanent, id eſt ſi bona patris nondum venierint inſtantibus creditoribus, ut refert Juſtinian. *init. h. leg.* quod probatur *l. ſi qui ſuus*, *ff. de jur. deliberand.* In bonis maternis filius, qui dixit ſe nolle adire heredi-

tatem matris, poteſt pœnitere, & mutata voluntate admittitur ad adeundam hereditatem intra annum rebus integris, id eſt ſi nondum agnatus eo repudiante adeat; *l. filii, ff. ad SC. Tertyll.* & ſi habeat ſubſtitutum, admittitur etiam rebus integris, id eſt rebus non dum diſtractis. Etſi minor 25. annis repudiaverit hereditatem, ſi res in integro ſit, omnimodo reſtituitur adverſus aditionem hereditatis: ſi vero jam diſtracta hereditate & finitis negotiis veniat ad paratam pecuniam, id eſt diſtractam hereditatem laboribus ſubſtituti, non auditur; *l. quod ſi minor*, §. *Scævola*, *ff. de minorib.* Ex conſtit. Juſtiniani, quæ antiquum jus correxit ea parte, ſi ſuus heres repudiaverit hereditatem, ſi res venditæ ſint, nullus aditus id eſt regreſſus ei datur ad hereditatem, quod & antiquis placuit: quod ſi ſuus heres ſit major 25. annis, & tempora reſtitutionis nulla ei ſuperſint, id eſt elapſum ſit quadriennium, quod poſt impletum 25. annum datur ad petendam reſtitutionem in integrum, nondum res ſint alienatæ, intra triennium poteſt redire ad bona repudiata: quod ſi ſit minor 25. annis, vel intra utile tempus conſtitutus, id eſt intra quadriennium, quod datur poſt 25. annum, tunc impleto quadriennio, intra triennium ad eadem bona redire poteſt, ex *hac l.* Suus heres, qui ſemel repudiavit hereditatem, rebus integris, id eſt bonis nondum diſtractis, facile reſtituitur adverſus repudiationem, quia ſuus heres jure civili, etiam qui ſe abſtinet, manet heres, licet nudo nomine, & ſine re, non plane heres eſſe deſiit abſtentione.

AD TITULUM

De conditionibus & demonſtrationibus.

LUBENS mihi propoſui ſingulas leges hujus tituli explanare, quia valde utilis eſt, & latius patet per omnes fere partes juris, cum pertineat ad omnes contractus, & teſtamenta. Hic titulus concipitur *de condit. & demonſtrat. & cauſ. & mod. eor. quæ in teſtament. ſcribuntur*. Conditio, ut definit *gloſſa & Odofredus in rubr. h. tit.* eſt ſuſpenſio actus, cui inſeritur, collata in futurum & incertum eventum. Conditio eſt ſuſpenſio, quia conditionis propria vis & poteſtas eſt, ut ſuſpendat actum; *l. cum ad præſens*, *ff. de reb. credit.* ex quo ſi legatum ſub conditione relictum ſit, non debetur priuſquam conditio extiterit; *l. ſi ita ſit ſcriptum*, §. *ſi ſub conditione*, *de legat.* 2. *l. is, cui*, *de obligat. & act. l. cedere diem*, *de V.S. l. in fraudem* 27. *l. generaliter*, *qui & a quib. manumiſſ.* Et ſi quis ſub conditione heres inſtitutus ſit, idemque rogatus reſtituere hereditatem, non poteſt adire, nec reſtituere hereditatem priuſquam conditio impleta ſit; *l. facta*, §. *ſi ſub conditione*, infr. *ad Trebell.* & conditio deficiens facit deficere diſpoſitionem: puta ſi ſub conditione res venierit, deficiente conditione nulla eſt emptio; *l. neceſſario*, † ſupr. *de peric. & commod. rei vendit.* & ſi ſub conditione debiti nomine obligata ſit hypotheca, interim nihil debetur pendente conditione; *l. grege pignori*, §. *ſi ſub conditione*, ſupr. *de pignorib.* & ſi ſub conditione ſervus legatus ſit, pendente conditione non deſinit eſſe heredis; *l.* 1. §. † *ſervi*, *ad Silan. d. l. generaliter*, §. 1. infr. *qui & a quib. manumiſſ.* Hoc adeo verum eſt, ut etiam tacita conditio ſuſpendat actum, ut ſi quis ſtipuletur domum ædificari, vel opus fieri, non ante incipit actio, quam res per rerum naturam præſtari poſſit; *l. interdum*, infr. *de V.O.* propterea conditio reſolutoria, conditionis appellatione proprie non continetur, quia non ſuſpendit actum, ſed perfectum reſolvit: puta ſi fundus commiſſoria lege venierit, venditio pura eſt, ſed ſub conditione reſolvitur; *l.* † 2. *de leg. commiſſ.* Conditio proprie dicitur cum confertur in futu-

futurum, cum vero confertur ad præſens, vel præteritum, non habet vim & poteſtatem conditionis, id eſt non ſuſpendit actum: ſtipulatio non ſuſpenditur, id eſt pro pura habetur, ſi quis ſtipuletur ſub conditione de præſenti, *ſi Rex Parthorum vivit*, vel de præterito, *ſi Titius eum heredem ſcripſit*, licet contrahentes rei veritatem ignorent, quia ſpectatur tantum quid in rerum natura ſit; *d. l. cum ad præſens, & dd. ſeqq. l. ſi ita ſtipulatus* 120. infr. *de V. O. l. cum in ſecundo, de injuſt. rupt. l.* 3. §. *ſi patronus, de bon. libert.* Conditio proprie dicitur, cum in futurum & incertum eventum confertur; quæ omnino exſtitura eſt, pro conditione non habetur: puta ſi centum Titio legata ſint, *cum morietur*, purum eſt legatum, quia non conditione, ſed mora ſuſpenditur; *l. heres meus*, infr. *h. tit.* & qui ſtipulatur ſub conditione, quæ omnino exſtitura eſt, pure ſtipulatus videtur; *l. ſi pupillus*, §. 1. infr. *de novat.* & quod debetur ſub conditione, quæ omnino exſtitura eſt, interim ſolutum repeti non poteſt condictione indebiti, quia non poteſt dici indebitum; *l. quod ſi*, ſupr. *de condict. indebit.* Alias conditio accipitur pro pacto & lege contractus, ut *in l. Paulus reſpondit*, infr. *de liberal. cauſ. l. ea conditione, C. de reſcind. vendit. l. pen. C. ſi mancip. ita fuer. alien. cap. cum Joannes, de fide inſtrum.* Donat. in illud Andriæ: *accepit conditionem. Conditio eſt pactio certam legem in ſe continens.* Auguſtin. in Joann. cap. † 1. tract. 8. num. 12. in fin. in illud *nondum venit hora mea. Venit hora non neceſſitatis, ſed voluntatis, non conditionis, ſed poteſtatis.* Et hac analogia dicitur, propter ſævitiam dominum cogi ſervos vendere bonis conditionibus; §. *ult. inſt. de his, qui ſui vel alien. jur. ſunt.* & eodem ſenſu conditio accipitur pro pactione nuptiarum, quia nuptiæ fiunt certis pactis & legibus, ut in *l. qui liberos, al. l.* 19. ſupr. *de rit. nupt.* a nuptiis liberos prohibere videtur, qui eis conditionem non quærit: & in *l.* 1. *C. de ſponſalib.* alii deſponſata renunciare conditioni, & nubere alteri non prohibetur: & in ſponſalibus diſſolvendis ſolemnis fuit hæc formula, *conditione tua non utor*; *l.* 2. ſupr. *de divort.* & in ſponſalibus contrahendis plerumque conditiones per interpoſitas perſonas expediri ſcriptum eſt *l. ult.* ſupr. *de ſponſalib.* M. Tull. Philippic. 2. *Sororem tum ejeciſti falſa conditione quæſita.* Senec. 7. controverſ. 6. *Qui enim aliter conditionem matris noſtræ habere potuiſſet, ſi tantum ingenuus fuiſſet.* Auguſtin. de civit. Dei libr. 6. cap. 10. **) *Quoſdam tamen cœlibes relinquimus, quaſi conditio defecerit*, ut & conditio accipitur pro pactione pacis; Vellejus libr. 2. *Finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris ſui fecit.* Demonſtratio eſt deſignatio rei, quæ vice nominis fungitur; *l.* 6. ſupr. *de reb. credit. l.* 6. *de legat.* 1. *l. nominatim, h. tit.* Hoc diſtat a conditione, quod demonſtratio non facit conditionem, ſed rem qualis quantaque ſit oſtendit, *ut Stichum, qui meus eſt, do lego*; *d. l.* 6. *de legat.* 1. *l. nuper, de legat.* 3. conditio rem futuram, demonſtratio rem exiſtentem, oſtendit; *d. l. nuper, l.* 1. *de donat.* Demonſtratio in præſens, conditio in futurum tempus confertur. Conditio omnino exiſtat neceſſe eſt priusquam legatum debeatur: demonſtratio, etiam ſi falſa ſit, non vitiat legatum. Cauſa eſt, quæ confertur in præteritum, puta *quia Titio donavi fundum, quia negotia mea curaſti*: hoc diſtat a conditione, quod cauſa refertur in præteritum, conditio in futurum, ut *ſi negotia mea curaveris*: cauſæ hoc commune eſt cum demonſtratione, quod falſa cauſa, perinde ac demonſtratio, non vitiat diſpoſitionem; *l. demonſtratio*, §. *quod autem*, †. *h. tit. l. in ſumma*, §. *id quoque*, † ſupr. *de condict. indebit.* Hoc differt cauſa a conditione, quod conditio deficiens facit deficere diſpoſitionem. Alia eſt cauſa finalis, alia impulſiva: finalis propter quam quid fit, ut donationis cauſa finalis eſt mera liberalitas & munificentia; *d. l.* 1. *de donat.* impulſiva eſt, quæ donantem impulit ad donandum, alias donaturum, ut Titio fundum donavi, quia negotia mea curavit, alias donaturus; *d. l. demonſtratio*, §. *quod autem.*

Hoc diſcrepat cauſa finalis ab impulſiva, quod defectus cauſæ finalis ſemper locum facit conditioni in contractibus, etiam ſi non accipientis culpa, ſed ex caſu fortuito, contingat, quia removet conſenſum: defectus autem cauſæ impulſivæ tunc tantum nocet, cum per eum ſtat, qui implere debet, quominus impleatur, non item ſi caſu fortuito id fiat; *l. pen. C. de condict. ob cauſ.* Cauſa hoc differt a conditione, quod cauſa in præteritum concipitur, ut, *quia ille negotia mea curavit*: conditio concipitur in futurum, *ſi negotia mea curaverit*.

Modus eſt deſtinatio animi, per quam teſtator fundum vel quantitatem legat Titio, ut ex legato quid faciat, puta, ut monumentum faciat teſtatori, vel epulum paret municipibus; *l. demonſtratio*, §. *ult. h. tit.* Hoc differt modus a conditione, quod modus non ſuſpendit actum, ex contractu vel legato ſub modo ſtatim oritur actio, oblata cautione de modo implendo; *d. l. demonſtratio*, §. *ult. l. eas cauſas*, *l. quibus diebus*, §. *ult.* infr. *h. tit. l. ſi tibi* 19. *de leg.* 3. Bened. de Plumbino in *l. cauſam*, §. *ult.* infr. *de manumiſſ. l. ſi cui*, *l. cum in teſtamento*, infr. *de fideicommiſſ. libert.* licet actus reſolvatur modo non impleto; *l. cum ab eo*, ſupr. *de contrah. empt.* ut probatur exemplo *l.* 1. *C. de donat. quæ ſub modo*, ex qua donatio facta ſub modo alimentorum revocatur, ſi alimenta non præſtentur. Et hoc eſt quod innuit *l.* 1. *C. de his quæ ſub modo*, in legatis & fideicommiſſis modum pro conditione obſervari, quia licet purum ſit legatum, modus implendus eſt. Item conditio concipitur per particulam ſi, ut ſi Titius conſul erit, ſi navis ex Aſia venerit, modus per particulam ut, puta, ut monumentum faciat teſtatori; *l. qui promiſit*, ſupr. *de condict. indebit. l. hujuſmodi* 64. infr. *de V. O. l. cauſam*, §. *ult. & ibi gloſſ.* infr. *de manumiſſ.* §. *longe*, *inſt. de legat. gloſſ. in l.* 2. *C. de his quæ ſub modo*. Et quod dicitur in *d. l.* 1. in legatis & fideicommiſſis modum adjectum pro conditione obſervari, non aliter intelligendum eſt, quam modum implendum eſſe quemadmodum & conditionem, & ſi modus non impleatur actum reſolvi, vel ut impleatur adhiberi officium judicis; *l. libertas* 17. §. *hæc ſcriptura*, *l. Mævia*, *de manumiſſ. teſtament.*

L. 1.

Legatum aut pure relinquitur, aut ſub conditione, in diem certum, aut incertum: legatum pure & ſimpliciter relictum ſine die vel conditione eſt præſens, ut dicitur *init. h. l. & in l. ſi dies*, infr. *quand. dies legat. ced.* id eſt debetur ſtatim a morte teſtatoris; *l. omnia*, ſupr. *de legat.* 2. *l. unic.* §. *cum igitur*, *C. de caduc. tollend.* & peti poteſt dum hereditas ſit adita, omnia enim, quæ teſtamento relinquuntur ſine die & conditione, peti poſſunt a die aditæ hereditatis; *l. omnia*, *de legat.* 2. Ubi legatum ſub conditione relinquitur, dies legati non cedit priuſquam conditio extiterit; *d. l. ſi dies*, *l. cedere diem*, *de V. S.* & ſi legatarius interim moriatur pendente conditione, legatum non tranſmittitur ad heredem legatarii; *d. l. unic.* §. *ſin autem*. Ubi vero legatum relictum eſt in diem certum, legatum pro puro habetur, & dies legati cedit a morte teſtatoris, ac ſi pure relictum eſſet; *d. l. unic.* §. *cum igitur*, ſed peti non poteſt ante diem; *d. l. ſi dies*, dies ceſſit, ſed nondum venit; *d. l. cedere diem*, ubi legatum relictum eſt in diem certum, heres non tenetur id ſolvere ante diem; *l. unic. in fin.* ſupr. *quand. dies uſuſfr. legat. ced.* ſed ante diem illud ſolvi poteſt, ut dicitur in §. 1. *h. l.* nimirum ſi heres ultro ſolvat; ita ut non ſit locus condictioni indebiti ſoluti, quia quod debetur in diem certum non poteſt dici indebitum ſolutum, cum certum ſit debitum iri; *l. in diem*, *l. ſufficit*, ſupr. *de condict. indebit.*

Ubi legatum relinquitur in diem incertum, puta *cum heres morietur*, hu-

Digitized by Google

hujuſmodi legatum eſt conditionale, quia dies incertus conditionem facit; *l. dies incertus*, infr. *h. tit.* ac licet mors ſit certa, tempus mortis eſt incertum, ut ſcriptum eſt in §. *dies autem h. l. & l. nam ſi cum moriar*, ſupr. *de condict. indebit.* Legatum in diem incertum habetur pro conditionali, propterea ſi legatarius ante diem deceſſerit, legatum non tranſmittitur ad heredem ejus; §. *dies autem h. l. l. ſi pecunia*, §. 1. *de legat.* 2. *l. ſi cum heres*, *l. cum illud*, infr. *quand. dies legat. ced. l. Statius Florus*, §. *Cornelio*, *de jur. fiſc. d. l. unic.* §. *ſin autem*, *C. de caduc. tollend. l. ult. in fin. C. de contrah. & committ. ſtipulat.* & ſi ante diem conditionale legatum ſolvatur, ſolutum repeti poteſt; *l. qui promiſit*, ſupr. *de condict. indebit.* Dies incertus facit conditionem, niſi cum differendæ ſolutionis cauſa potius, quam animo conſtituendi incertum diem fideicommiſſi, collata eſt diſpoſitio in alterius mortem; *l. Seius Saturninus*, infr. *ad Trebell. l. ex his verbis*, *C. quand. dies legat. ced.* aut dies adjecta eſt favore legatarii potius, quam heredis; *l. ſi ita relictum*, §. *Pegaſus*, ſupr. *de legat.* 2. *l. eum qui*, al. *l. Javolenus*, *de ann. legat.* Cujac. 18. *obſ.* 1.

L. 2.

ALiæ ſunt conditiones, quæ quandoque, id eſt quandocumque, vivo vel mortuo teſtatore impleri poſſunt, ut hæ, *ſi navis ex Aſia venerit*, *ſi Titius Conſul factus fuerit*, ut proditum eſt in *hac l. l. hæc conditio* 10. *l. multum*, infr. *h. tit. l. ſi quis heredem*, *C. de inſtit. & ſubſtit.* Aliæ ſunt, quæ non poſſunt impleri, niſi poſt mortem teſtatoris, ut hæ, *ſi † decem dederit*, vel *ſi Capitolium aſcenderit*, ita ut implendæ ſint a ſciente, non ſufficit eas impleri ab ignorante: & ut paruiſſe quis conditioni videatur, debet ſcire eam aſcriptam; nam ſi † fato id eſt caſu fecerit, puta ſi caſu ignorans conditionem appoſitam decem dederit, vel Capitolium aſcenderit, non videtur impleſſe conditionem, ut ſubjungitur in *hac l. & d. l. multum*, *l. Julianus* 86. infr. *h. tit. l. quæſitum*, §. 1. ſupr. *de legat.* 1. Conditiones caſuales poſſunt impleri quandocumque, etiam vivo teſtatore: conditiones poteſtativæ, quæ conſiſtunt in dando vel faciendo, non poſſunt impleri, niſi poſt mortem teſtatoris, & a ſciente. Ita & nemo poteſt adire hereditatem vel petere bonorum poſſeſſionem, niſi ſciens hereditatem ſibi eſſe datam; *l. heres inſtitutus*, ſupr. *de adquir. hered. l.* 1. §. *ſcientiam*, infr. *de bonor. poſſeſſ. ſecund. tab.* Conditiones, quæ conſiſtunt in facto, impleri debent poſt mortem teſtatoris: hoc verum eſt ſi conſiſtant in facto, quod facile impleri poteſt: quod ſi conſiſtant in facto, quod non facile impletur, veluti, *ſi nupſerit illi vel illi*, quandocumque etiam vivo teſtatore impleri ſufficit; *d. l. hæc conditio*, *l. conditionum*, infr. *h. tit. d. l. ſi quis heredem*.

L. 3.

IN contractibus impoſſibilis conditio vitiat contractum, quia contrahentes nihil videntur agere appoſita conditione, quam ſciunt eſſe impoſſibilem; *l. non ſolum*, infr. *de oblig. & act. l. impoſſibilis*, *de V. O.* §. *ſi impoſſibilis*, *inſt. de inutilib. ſtipulat.* In teſtamentis impoſſibilis conditio non vitiat, ſed vitiatur, id eſt pro nulla ſeu pro non ſcripta habetur, ut oſtenditur in *hac l. & l.* 1. † ſupr. *de condit. inſtitut. l. ab omnibus*, §. 1. *de legat.* 1. §. *impoſſibilis*, *inſtit. de hered. inſtit.* Impoſſibiles conditiones dicuntur, quæ exiſtere non poſſunt, aut natura, ut hæc, *ſi digito cælum attigeris*, aut jure, quæ ſunt contra leges vel bonos mores, nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, ac denique contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt; *l. conditiones* 9. & 14. *l. filius qui*, ſupr. *de condit. inſtit.* vel facto, quæ impoſſibiles ſunt, non natura, ſed difficultate præſtationis, veluti, *Sti-*

ibus manumiſſus ſit, *ſi Titio mille nummos dederit*; *l.* 4. §. 1. inſr. *de ſtatuliber. l. continuus*, §. *illud*, §. *ſi ab eo*, inſr. *de V. O.* & hujusmodi conditio non vitiat ſtipulationem, quia difficultas præſtationis non eſt impedimentum naturale; *d. l. continuus*.

L. 4.

PAtrono liberisve ejus præteritis teſtamento liberti, extraneo herede inſtituto, datur bonorum poſſeſſio contra tabulas, quæ olim erat ſemis honorum, hodie tertia ex conſtitutione Juſtiniani; §. † 3. *inſt. de ſucceſſ. libertor. l. ult. C. de bon. libert. & jur. patron.* & patronus, reſciſſo teſtamento per bonorum poſſeſſionem contra tabulas, præſtat legata relicta exceptis perſonis, id eſt parentibus & liberis pro portione ſua, id eſt pro tertia; *l.* 6. §. *ſi patronus*, ſupr. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. l. ex aſſe*, *ad l. falcid. l.* *) *ita tamen*, §. *ſi patronus*, *ad Trebellian. l.* 1. *C. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul.* proinde ſi libertus teſtamento patrono præterito extraneos heredes inſtituerit, & liberis vel parentibus centum legaverit ſub conditione, ſi heredibus decem darent, reſciſſo teſtamento ob præteritionem patroni, petita bonorum poſſeſſione contra tabulas, legata præſtantur liberis & parentibus a patrono pro tertia, & quod conditionis implendæ cauſa dandum erat heredibus ſcriptis pro portione cujusque, ut docetur *init. h. l.* Ratio dubitandi erat, quod reſciſſo teſtamento, quod conditionis implendæ cauſa dandum erat heredi, videbatur non eſſe communicandum patrono præterito, quoniam quod conditionis implendæ cauſa datur heredi, non proficiſcitur ex bonis defuncti, nec jure hereditario, ſed mortis cauſa capitur; *l. mortis cauſa* 31. §. *ſine donatione*, *l. quod conditionis*, inſr. *de mort. cauſ. donat.* ob idque non imputatur in falcidiam; *l. in ratione* 30. §. *tametſi*, *l. id autem*, *l. in quartam*, inſr. *ad l. falcid.* tamen quia patronus reſciſſo teſtamento liberti per bonorum poſſeſſionem contra tabulas præſtat legata teſtamento relicta exceptis perſonis, id eſt parentibus & liberis pro portione ſua, eadem ratione & pro portione capit quod conditionis implendæ cauſa dandum erat heredi, quia pro ea parte eſt heres: & hoc eſt quod ait Pompon. in *hac l.* ita a prætore temperandam eſſe conditionem, id eſt ita dividendum eſſe quod conditionis implendæ cauſa dari juſſum erat heredi, ut detur patrono & heredibus ſcriptis pro portione, id eſt patrono pro tertia, quæ ei debetur, ut commoda & onera hereditaria dividantur inter patronum & heredes ſcriptos, quaſi inter coheredes.

§. *ſi ita*, *ejusd. leg.*

SI ita legatum relictum ſit: *ſi in quinquennio proximo Titio filius natus non erit*, *tum decem Seia heres dato*: ſi Titius deceſſerit ante quinquennium, non ſtatim Seiæ decem debentur, ſed expectandus eſt lapſus quinquennii, quia hic articulus *tum* extremi quinquennii tempus ſignificat, ut definitur in *hoc* §. Ita ſi ſtipulatus fuero, *ſi intra biennium Capitolium non aſcenderis*, *decem dari*, nonniſi præterito biennio decem peti poſſunt; *l. veluti*, §. *ult. l. quidquid adſtringendæ*, §. *ult.* inſr. *de V. O.* Ratio dubitandi erat, quod videbatur mortuo Titio ante quinquennium ſtatim legatum deberi, quia conditio exſtitiſſe videtur, ex quo certum eſt eam exſtituram, & legatum debitum iri; *l.* 1. §. 1. *l. heres meus*, inſr. *h. tit.* id eſt ex quo certum eſt Titio filium intra quinquennium naſci non poſſe: ſed legatum non debetur priusquam elapſum ſit quinquennium, propter articulum *tum*, quod refertur ad extremum quinquennii. In legatis & fideicommiſſis non cœptus annus, ſed impletus expectatur, annus inceptus non habetur pro completo, id eſt ſi legatum filiæ relictum ſit in diem certum, puta eum ad legitimum ſtatum pervenerit, & filia deceſſerit die lega-

legati cedente, id eſt poſt mortem teſtatoris, antequam impleſſet viceſimum quintum annum, legati actio transmittitur ad heredem, ſed non datur actio priusquam elapſum ſit tempus, quo puella ſi viveret impleſſet viceſimum quintum annum; *l. ex his verbis*, *C. quand. dies legat. ced.*

L. 5.

SI pupillus inſtitutus ſit ſub conditione, poteſt parere conditioni etiam ſine auctoritate tutoris, ut oſtenditur *hic & l. ſi pupillus*, ſupr. *de condit. inſtitut.* Nec movet, quod pupillus ſine tutoris auctoritate non obligatur hereditati; *l. obligari, in pr. & §. hereditatem*, ſupr. *de auctor. tutor.* vel quod expleta conditione neceſſarius heres aliquando eſſe poteſt, puta ſi ſit ſuus heres, nam hoc nimirum impleta conditione quod ſit neceſſarius heres, jure poteſtatis ſit, id eſt jure patriæ poteſtatis ſuitatis, non conditionis expletæ, ut additur in *hac l.* Hoc diſtant ſui heredes ab extraneis, quod ſui inſtituti ſub conditione poteſtativa, ſi pareant, beneficium abſtinendi amplius non habent, ut voluntarii, non ut neceſſarii heredes; *l. jam dubitari*, §. *ult. de hered. inſtituend.* ſi extraneus ſub conditione heres inſtitutus ſit, impleta conditione non ſtatim ſequitur quod fiat heres; *l.* 1. §. *ſi parendi*, *de condict. cauſ. dat. l. Antiſtius*, *de adquir. hered.* ſed impleta conditione res in eo eſt, ac ſi pure inſtitutus eſſet; *d. l. ſi pupillus*: ita ut adhuc ei integrum ſit adire vel repudiare hereditatem, & impleta conditione non ideo fiat heres, niſi hereditatem adeat vel pro herede gerat; *l. ei, qui*, ſupr. *de condit. inſtit.* Cujac. 2. *obſ.* 16. Filiusf. vel ſervus heres inſtitutus hereditatem adire non poteſt injuſſu patris vel domini, ne invitum vel inſcium obliget oneribus hereditariis; *l. eum, qui*, §. 1. ſupr. *de adquir. hered. l.* 3. *C. de hered. inſtit.* uterque vero inſtitutus ſub conditione, conditionem implere poteſt, etiam injuſſu patris vel domini, quia eo facto nemo fraudatur, ut additur *in fin. h. l.* id eſt implendo conditionem non adquiritur hereditas, nec pater vel dominus, nec filius vel ſervus obligatur æri alieno, impleta enim conditione in eo tantum res ponitur, ut pura ſit inſtitutio, & ideo in *l. ſub conditione*, ſupr. *de condit. inſtit.* expungendam eſſe negationem recte obſervavit Cujac. 2. *obſ.* 16. Si qui ſub conditione heres inſtitutus palam dicat, ſe non aditurum hereditatem, repudiare videtur, ſi tum id dicat, cum poteſt conditioni parere, etiam ſi poſtea conditio extiterit, adire non poteſt, ſed bona veneunt a creditoribus nomine defuncti; *l.* 1. *de curator. bon. dand. l.* 1. §. *qui ſub conditione*, *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.*

L. 6.

SI heres vel legatarius juſſus ſit teſtatori monumentum facere arbitratu Titii, & ſi non faceret, decem Titio dare multæ id eſt pœnæ nomine, multa non committitur ab herede vel legatario, ſi is, cujus arbitrium eſt, id eſt in cujus arbitrium collata eſt ratio & ſumptus faciendi monumenti, deceſſerit vel peregre abſit, vel arbitrari nolit, quia per eum non ſtat quin pareat voluntati defuncti, ut ſcriptum eſt *init. h. l.* conditio pro impleta habetur, quoties per eum ſtat, in cujus perſona implenda eſt, quominus impleatur; *l. Titius* 14. infr. *h. tit. l.* 3. ſupr. *de condit. inſtit. l. in illa ſtipulatione* 50. *de V. O. l. in jure civili*, *de R. J. l.* 1. *C. de inſtit. & ſubſtitut. l. cum quidam*, *C. de condit. inſert. rap.**) *ex litteris*, *de ſponſalib.* Et ſi is, qui arbitrari debuit, moram fecerit, a perſona ejus non eſt recedendum, cujus arbitrium inſertum eſt, id eſt non recurritur ad arbitrium alterius; *l. ſi quis arbitratu*, infr. *de V. O.* Heredi vel legatario juſſo monumentum extruere, potuit multa id eſt pœna pecuniaria a teſtatore indici ſi non faceret, ut oſtenditur *hic*, *& in l. in teſta-*

Digitized by Google

mento 27. infr. *h. tit. l. paterf.* ſupr. *de hered. inſtit. l. uxorem*, §. *ejus heres*, *de legat.* 3. *l. unic. C. de his quæ pæn. nomine relinq.* M. Tull. Verr. 4. *In cujus teſtamento quodam loco, ſi commiſſum quid eſſet, multa erat Veneri*, quem in locum Aſcon. *commiſſa*, inquit, *dicuntur, quæ contra teſtatoris voluntatem facta, aut non facta ab herede, multa aliqua pœnaque plectuntur*: unde multa id eſt pœna committi dicitur, quæ incurritur ex teſtamento, ſi non pareatur voluntati defuncti, ut obſervare eſt ex *hac l.* & eadem analogia lues commiſſa dicitur Virgil. 4. georgic. (454.) *Magna lues commiſſa*, id eſt hæc eſt ſceleris pœna, ut adnotat Servius.

§. *ſi ſervos*, *ejuſd. l.*

SI ſervus heres inſtitutus ſit ſub conditione, ſi nonnullos ſervos manumiſerit, duobus ex his mortuis ante teſtamentum, an defectus eſſet conditione, diſcrepantes fuere ſententiæ juriſconſultorum. Neratius exiſtimabat, eum conditione defici, nec æſtimabat parere poſſet conditioni, nec ne, id eſt non ſpectabat, an conditio impleri poſſet in ſervis ſuperſtitibus. Alia erat ſententia Servii, non in eadem, ſed in ſimili ſpecie, ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione, ſi filia & mater mea vivet, altera mortua, non defici conditione, quia conditio non deficit, quæ caſu extinguitur, ſi non ſtet per eum qui implere debuit: ſed obeſt caſus *l. quæ ſub conditione*, §. *mortuo*, *l. ſi quis teſtamento*, ſupr. *de condit. inſtit. l. cum quidam*, *C. de condit. inſert.* Eadem fuit ſententia Labeonis, Sabini, & Caſſii, quam probat Pomponius *hic* alia ratione, quod hujuſmodi conditiones quaſi impoſſibiles pro non ſcriptis habentur, ut ſubjicitur in fine *h.* §. & *l. ab omnibus*, §. *in teſtamento*, ſupr. *de legat.* 1.

L. 7.

SI legatum relictum ſit ſub conditione, quæ in non faciendo conſiſtit, puta, ſi Capitolium non aſcenderit, ſtatim datur actio legati, præſtita cautione Mutiana de non faciendo, quæ cautio a Mutio Scævola introducta eſt remedii cauſa, & ſententia prudentum, tum conſtitutione D. Pii comprobata. Conditiones negativæ implentur remedio cautionis Mutianæ, quia præſtatio cautionis pro implemento conditionis habetur, ut probatur in *hac l.* & *l. is*, † *cui*, *l. cum ſub hac*, *l. Titio fundus*, infr. *h. tit.* Cautio Mutiana locum habet in conditionibus, quæ morte legatarii finiuntur, id eſt quæ vivo legatario impleri non poſſunt, puta ſi in Aſiam non venerit; *d. l. Titio fundus*, *l. heres meus*, §. *qui poſt*, infr. *h. tit.* Cautio Mutiana locum non habet in conditione non faciendi, ſi per aliam conditionem actio legati differri poſſit; *l. avia*, §. *Mutiana*, infr. *h. tit.* puta ſi legatum relictum ſit ſub duplici conditione, una quæ conſiſtit in non faciendo, alia in faciendo, quæ ſuſpendit actionem legati donec impleatur, nec recipit remedium cautionis Mutianæ. Cautioni Mutianæ locus eſt non modo in legatis, ſed & in hereditatibus, id eſt inſtitutionibus, puta, ſi maritus ab uxore inſtitutus ſit ex parte ſub conditione, ſi dotem promiſſam non petierit, ſtatim poteſt adire hereditatem præſtita cautione de non petendo, vel denuntiatione facta coheredi, ſe paratum dotem accepto facere: quod ſi ex aſſe inſtitutus ſit ſub eadem conditione, ſtatim poteſt adire hereditatem omiſſo remedio cautionis, quia non eſt cui caveatur, cum coheredem non habeat, & conditio pro impleta habetur, quæ impleri non poteſt, ex quo adita hereditate non eſt quem poſſit de dote convenire, ut additur *in fin. h. l.* & *l. mulier*, ſupr. *de condit. inſtitut.* nimirum quia aditione confuſa eſt actio in perſona heredis, cum idem exiſtat debitor & creditor; *l. Stichum* §. *aditio*, infr. *de ſolut. l. debitori*, *C. de pact. l. ut debitum*, *l. ſi adulta*,

14, *C. de heredit. act.* Cautio Mutiana locum habet in ultimis voluntatibus, non in contractibus, nam ſi centum ſtipulatus fuero ſub ea conditione, ſi in Capitolium non aſcenderis, ſtipulatio non committitur ſtatim, ſed cum certum eſſe cœperit te Capitolium aſcendere non poſſe, id eſt cum morieris, quaſi ſtipulatio collata ſit in tempus mortis; *l. hoc jure*, *l.* † *ita ſtipulatus* §. 1. infr. *de V. O.* §. † 4. *verſ. ſi quis ita*, *inſt. eod.* Et ſi dedi tibi decem quaſi transactionis cauſa, ne ad judicem iretur, non datur mihi condictio ob cauſam, ſi forte non caveatur ad judicem non iri, ſed tunc demum erit locus condictioni, ſi ad judicem eatur; *l. 3. ff. de condict. cauſ. dat.* Item cautio Mutiana locum non habet in libertatibus, puta ſi Sticho libertas data ſit ſub conditione, ſi Capitolium non aſcenderit, cautioni Mutianæ locus non eſt, id eſt libertas non repræſentatur præſtita cautione Mutiana de non faciendo; *l.* † *libertas*, §. 1. *l. ult.* infr. *de manumiſſ. teſt.* In donationibus cauſa mortis, ſicut in legatis, cautioni Mutianæ locus eſt; *nov. 22. cap. 44.* Qui vero cautionem Mutianam interponit, ſi contra cautionem fecerit, tenetur reſtituere rem legatam cum fructibus, & de hoc ab initio cavere debet; *d. l. heres meus*, §. *qui poſt*, *l. cum filius*, §. † *qui Mucianam*, *de legat.* 2. Cujac. 5. *obſ.* 2. idem 14. *obſ.* 32.

L. 8.

SI vir uxori dum cum filio erit annua centum legaverit, ſi ea ob cauſam abſit, puta latitans patronum, id eſt ut ſe occultet a patrono, forte propter æs alienum vel aliam cauſam, (Latitare dicitur, qui de medio recedit id eſt de publico, de conſpectu, ut occurſum creditoris evitet; *l. Fulcinius*, §. 1. infr. *quib. ex cauſ. in poſſ. eat.*) non amittit legatum, ſi maneat animus & propoſitum non dimittendi liberos, quia non omne momentum exigendum eſt, ut ſit cum liberis, id eſt conditio, ut ſit cum liberis, civiliter accipienda eſt, nec requirit perpetuam & momentariam præſentiam, id eſt per ſingula momenta, ne libertas infringatur; *l. Titio centum*, §. *Titio centum* 2. infr. *h. tit.* Idem dicendum eſt, ſi per eam non ſtet quominus cum filio habitet, ut additur in *h. l.* ut ſi filius ab ea migraverit ſine cauſa; *l. qui quatuor*, §. *uxori*, ſupr. *de legat.* 3. Et ita ſi libertis annui denarii duodecim legati ſint, ſi ab uxore non receſſerint, ſi mulier aſſidue vagetur, an teneantur eam ſequi, ne amittant legatum, æſtimandum eſt ex modo legati & excurſionum; *l. Mevia*, §. 1. ſupr. *de ann. legat.* Immo & ſi libertis alimenta legata ſint, ſi morarentur cum filio, etiam mortuo filio alimenta debentur libertis; *l.* † *annua*, *eod. tit. l.* 1. *C. de legat.* quia per eos non ſtat quominus habitent cum filio. Hoc ita demum locum habet, ſi legatum relictum ſit libertorum gratia: quod ſi filii gratia, ut ei liberti in obſequio & miniſterio eſſent, hoc caſu filio de medio ſublato extinguitur legatum, quod libertis relictum eſt contemplatione filii; *l. illis libertis*, infr. *h. tit.*

L. 9.

SI vir uxori centum legaverit in tempus liberorum, non videtur ſenſiſſe de liberis jam ſuſceptis tempore teſtamenti, ſed de ſuſcipiendis, ut traditur in *h. l.* quia conditio non confertur in præſens vel præteritum, ſed in futurum; *l. cum ad præſens*, & *dd. ſeqq. de reb. credit.* niſi pater ignorarit, cum teſtaretur, liberos jam natos; *l. ſi jam facta*, infr. *h. tit. l. ſi ita* 45. §. *ult.* ſupr. *de legat.* 2. Et ſi vir uxori legaverit certum fundum vel certam quantitatem quandoque liberos habebit, videtur ſenſiſſe de liberis communibus, non de liberis ab ea ſuſceptis ex alio matrimonio; *l. cum vir*, infr. *h. tit. l. ſi inter virum* 24. ſupr. *de pact. dotalib.* & de liberis naſcituris, ſive ſe vivo, ſi-

ve poſt mortem; *l. ſi vir uxori*, infr. *h. tit.* ut ita ſi legatum Titio relictum ſit in tempus liberorum, & is uxore prægnante deceſſerit, legatum transmittitur ad heredem: ſimiliter ſi vir uxorem heredem inſtituerit, & rogaverit hereditatem poſt mortem reſtituere liberis, videtur tantum cogitaſſe de communibus liberis; *gloſſ. in l. ex facto*, §. *ſi quis rogatus*, infr. *ad Trebell.* quia pater non præſumitur cogitaſſe de alienis, quia pietas paterni nominis ſemper conſilium capit pro liberis; *l. nec in ea lege*, §. *ult.* infr. *ad l. Jul. de adulter. cap. ſuper eo 22. de teſtib.*

L. 10.

SI a patre legatum filiæ relictum ſit, cum nupſerit, & ea vivo teſtatore nupſerit poſt teſtamentum, conditio impleta videtur, quia conditiones mixtæ, quæ conſiſtunt partim in facto alieno, partim in proprio, ut conditio cum nupſerit, quandocumque impleri poſſunt etiam vivo teſtatore, præſertim cum conditio talis eſt, ut ſemel impleri debeat, qualis eſt conditio cum nupſerit. Sed ſi nuptiæ non legitimæ contractæ ſint, puta ſi ante nubilem ætatem nupſerit, vel ei nupſerit, cum quo nuptiis interdictum eſt, veluti cum tutore, vel præſide illius provinciæ, conditio non eſt impleta, non videtur enim nupta, quæ non ex lege nupſit, ut *in l. ult. ff. de ſtatuliber. l. dotis promiſſio*, *de jur. dot.* ſi ſervus legatus ſit uxori, & cum ea nupſiſſet liber eſſe juſſus, & ea ex lege nupſerit, liber fiet: nec videtur nupta, quæ per ætatem virum pati non poteſt; *l. pen.* infr. *quand. dies legat. ced.* Sed ſi poſtea legitime nupſerit, an parere conditioni poſſit quaſi prius non nupſerit, dubitatum eſt, & quidem ſi teſtator ſenſit de primis nuptiis, ſtricto jure conditio defecta eſt, ut ait Ulpianus in *hac l.* hoc enim verbo, *cum nupta erit*, primæ nuptiæ intelliguntur; *l. boves*, §. *hoc ſermone*, infr. *de V. S. l. cum pater*, §. *pater* 9. infr. *de legat.* 2. primo actu quæque diſpoſitio contenta eſt; *l.* † *cum antiquitas*, *C. de uſufruct.* & conditio ſemel defecta non poteſt impleri, conditio ſemel defecta non reſumitur; *l. quidam*, *de fideic. libertatib.* benigne tamen, id eſt ex æquitate, idem dicendum ait, conditionem † nondum impletam, de facto ſc. non defectam, id eſt adhuc impleri poſſe. Si legetur puellæ in tempus nuptiarum, legatum eſt conditionale, & conditio non committitur priusquam nuptiarum accedat feſtivitas, ita ut non ſufficiat puellam ad nubilem ætatem perveniſſe; *l. ſancimus* 24. *C. de nupt.* Et ſi libertas Sticho relicta ſit tempore nuptiarum filii vel filiæ, libertas non debetur, niſi ſecutis nuptiis, quia non tempus dandæ libertati injectum eſt, ſed conditio; *l. cum teſtator*, *C. de teſtam. manumiſſ.* quia dies incertus efficit conditionem. Quod ſi legetur puellæ ſub conditione nuptiarum, legatum debetur ſi puella monaſterium ingrediatur; *nov.* 123. *cap.* 37. *auth. niſi rogati*, *C. ad Trebell.* quia ſpirituale conjugium eo præſtantius eſt carnali, quo anima præſtat corpori; *cap. inter corporalia*, *de translat. Epiſcop.*

† V. ſi probat, & an faciat potius *l. antiquitas eod. tit.*

§. *ſi ſic*, *ejusd. leg.*

SI cui legatum ſit ſub conditione, ſi navis ex Aſia venerit, & ignorante teſtatore navis venerit tempore teſtamenti, conditio pro impleta habetur. Idem dicendum eſt, ſi cui legatum ſit, cum pubes erit, ex *hoc* §. ut & ſi pater filiæ centum legaverit ubi ea nupſiſſet, ſi filia nupta ſit tempore conditi teſtamenti, ſed abſente patre & ignorante, nihilominus legatum debetur; *l. ſi ita ſcriptum* 45. §. *ſi pater*, *de legat.* 2. *l. ſi quis heredem*, *C. de inſtit. & ſubſtit.*

L. 11.

L. 11.

SI teſtator cui leget ſub conditione, quæ jam contigerat, puta ſub conditione, ſi navis ex Aſia venerit, & tempore teſtamenti navis venerit, & ſciat teſtator navem veniſſe, quæ iterum fieri poſſunt expectantur ut fiant, id eſt expectatur, ut iterum navis veniat ſecunda navigatione facta: quod ſi neſciat navem veniſſe, præſenti legatum debetur, id eſt purum eſt legatum, & præſenti die debetur ſtatim a morte teſtatoris, ut traditur *init. h. l.* Similiter, ſi pater filiæ centum legaverit ſub conditione, quæ iterari poteſt, puta ſub conditione, ſi nupſiſſet, ſi nupta ſit tempore teſtamenti patre non ignorante, videtur de aliis nuptiis ſenſiſſe; *l. ſi ità ſcriptum* 45. §. *ſi pater, de legat.* 2.

§. *item ſciendum, ejusd. l.*

ALiæ ſunt conditiones caſuales, quæ pendent ex caſu, ut ſi Titius conſul erit: aliæ poteſtativæ, quæ conſiſtunt in dando vel faciendo, ut ſi decem dederit, ſi Capitolium aſcenderit, & hæ promiſcuæ dicuntur in *hoc* §. vel quia facile implentur, vel iterantur, ut vult *gloſſa h. loco*, vel quod promiſcue ſolent apponi teſtamentis, & ſunt promiſcui uſus: promiſcua dicuntur, quorum uſus eſt communis; *l. ſi quis mancipiis*, §. *ſi impubes*, ſupr. *de inſtitor. act. l. ceterarum, de uſu & habitat. l. quamvis*, *C. de furt.* Conditiones promiſcuæ ſeu poteſtativæ implendæ ſunt poſt mortem teſtatoris, & a ſciente & habente animum adimplendi conditionem: & hoc eſt quod dicitur in *h.* † §. *ſi in hoc fiant, ut teſtamento pareatur.* Non promiſcuæ, ſeu caſuales, impleri poſſunt vivo teſtatore, & hæc eſt communis ſententia *h.* §. *& l.* 2. ſupr. *h. tit.*

L. 12.

SI pater Titium & Seium liberos heredes inſtituerit ex diſparibus partibus, & uni ex heredibus decem prælegaverit hoc modo, *quoniam filius meus major ex arca mea decem ſuſtulit, heres minor filius decem e medio ſumito*, minori debetur legatum, quia idcirco relictum eſt, ut conditio filiorum exæquaretur: diviſio ſic a patre facta inter liberos habet vim prælegati; *l. ex facto* 35. *de hered. inſtituend. l. quid ergo* 90. §. 1. *de legat.* 1. & hujusmodi legatum habetur pro relicto ſub cauſa, non pœnæ nomine, cauſa enim confertur in præteritum, pœna in futurum, ut traditur in *h. l.* ideoque licet cauſa non ſubſit, id eſt etiam ſi major filius de arca nihil ſuſtulit, legatum ſeu prælegatum debetur, quia falſa demonſtratio non vitiat legatum; *l. demonſtratio*, §. *quod autem*, infr. *h. tit.*

L. 13.

SI cui fundus legatus ſit ſub conditione, ſi pupillo vel furioſo pecuniam dederit, conditio impleta videtur tutori vel curatori dando, ut probatur ex *hac l.* Quod conditionis implendæ cauſa dandum eſt pupillo vel furioſo, tuto dari poteſt tutori vel curatori, ſi pecunia verſa ſit in rem pupilli vel furioſi; *l. ſervus decem*, *l. Stichum*, §. † *nam ſi furioſi*, infr. *de ſolut.* Debitor pupilli ſolvens tutori liberatur; *l. quod ſi forte*, §. 1. *l.* † *ſolutam, eod. l.* † *Lucius Titius* 46. §. *tutelæ*, & §. *ult. de adminiſtr. tut.* Sed ex conſtitutione Juſtinian. ita licet debitori pupillari ſolvere tutori vel curatori, ſi præcedat ſententia judicis; §. *ult. inſt. quib. alien. lic. l. ſancimus, C. de adm. tutor.*

Digitized by Google

§. *quod autem*, *ejuſd. l.*

ITem falſa cauſa non vitiat legatum: puta ſi ita legetur Titio, *quia negotia mea curavit*, *fundum do lego*, legatum debetur, licet falſa cauſa adjecta ſit legato, ut oſtenditur *hic*, *& in l. cum tale*, §. *falſam 6.* infr. *h. tit.* Ratio eſt, quia cauſa legandi non cohæret legato; *d.* §. *falſam*, id eſt legatum conſtat etiam ſine cauſa ſpeciali, quia legati cauſa eſt liberalitas & munificentia, ita &, *ſi tibi donavi*, *quia negotia mea curaſti*, licet hæc cauſa falſa ſit, non eſt locus condictioni; *l. damus*, *l. in ſumma*, §. *id quoque*, ſupr. *de condict. indebit. l. ult. de hered. inſtit.* falſa cauſa, inquam, non vitiat legatum vel donationem, niſi alias teſtator vel donator legaturus vel donaturus non fuit; *d. l. cum tale*, §. *falſam*, *& d. l. ult.*

§. *at ſi*, *ejuſd. l.*

CAuſa concepta conditionaliter, id eſt per modum conditionis, vitiat legatum: puta ſi ita legatur, *Titio*, *ſi negotia mea curaverit*, *fundum vel certam quantitatem do lego*, ſi cauſa adjecta falſa ſit, non debetur legatum ex *hoc* §. quia cauſa concepta conditionaliter habet vim & effectum conditionis, quæ deficiens facit deficere diſpoſitionem; *l. legata ſub conditione*, infr. *h. tit.*

§. *ult. ejuſd. l.*

SI cui legatum relictum ſit, ut aliquid faciat, puta ut monumentum faciat teſtatori, vel opus, aut epulum paret municipibus, ſub modo relictum videtur, ex *hoc* §. Hoc diſtat legatum relictum ſub modo a legato conditionali, quod legatum ſub conditione non debetur donec conditio extiterit; *l. legata ſub conditione*, infr. *h. tit.* at legatum ſub modo ſtatim capitur, oblata cautione de modo implendo; *l. ſi tibi legatum*, ſupr. *de legat. 3.*

L. 18.

SI cui legatum ſit ſub conditione non faciendi, legatum ſtatim capitur a morte teſtatoris, oblata cautione Mutiana de non faciendo, ex *h. l.* Ratio eſt, quia conditio non faciendi, quæ expleri quandiu vivit legatarius non potuit, pro impleta habetur remedio cautionis Mutianæ. Præſtatio cautionis Mutianæ pro implemento conditionis habetur, nec modo in legatis, verum & in hereditatibus ejuſdem cautionis remedium admiſſum eſt; *l. Mutiana*, ſupr. *h. tit.*

L. 19.

IN conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones, ut proponitur *init. h. l. & l.* 2. ſupr. *de his quæ pœn.* † *cauſ.* ubi pœnam a conditione ſeparat voluntas defuncti, conditionem voluntas facit, non ſermo. Ratio eſt, quia in teſtamentis voluntas defuncti totum facit; *l. ex facto* 35. §. *rerum*, *de her. inſt. l. ſi mihi* 12. *in fin. de legat.* 1. quia voluntas teſtatoris pro lege habetur; *l.* 1. *C. de SS. eccleſ.* ut in ſpecie *h. l.* ſi Titia heres inſtituta ſit ſub conditione, ſi Titio nupta erit, non ſemper mortis tempus obſervatur, id eſt non ſpectatur, an conditio impleta ſit tempore mortis, ſed voluntate patrocinante conditio ulterius producitur, id eſt ultra mortem teſtatoris, ita ut ſufficiat eam impleri etiam poſt mortem teſtatoris, quia voluntas teſtatoris patrocinatur, id eſt teſtator præſumitur ita voluiſſe, ut con-

L. 21.

ALiæ ſunt conditiones juris, aliæ facti: conditiones facti ſunt, quæ conſiſtunt in facto, puta ſi Titius conſul factus fuerit, ſi navis ex Aſia venerit: conditiones juris, quæ in jure conſiſtunt, puta ſi fuerit paterfamilias. Conditiones facti implendæ ſunt a ſciente: puta ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione facti, quamvis conditio impleta ſit, non poteſt adire hereditatem, niſi ſciat conditionem impletam eſſe: conditiones juris impleri poſſunt etiam ab ignorante: puta heres inſtitutus ſub conditione, ſi paterfamilias fuerit, poteſt adire hereditatem etiam ſi ignoret ſe patremfamilias: puta ſi erret in jure, ſi ignoret ſe morte patris, vel emancipatione, vel dignitate, puta patriciatu vel † ſacerdotio, ſui juris factum, ut diſtinguitur in *hac l.* Inſtitutioni filiifamilias plerumque apponebatur conditio, ſi paterfamilias factus eſſet, vel ſi emancipatus eſſet, præſertim a matribus, ne hereditas per filium patri adquireretur; *l. avia*, infr. *h. tit. l. quidam, de hered. inſtit. l. cum filiofamilias, de legat.* 3. *l. filiam, de aur. & arg. legat. l.* 3. §. *etſi heres, de minorib. l. ult. de petit. hered.* Conditio hujusmodi, ſi paterfamilias eſſet, dicitur juris, quia pendet magis ex jure, quam ex facto, & plerumque impletur ſine facto hominis: filiusfamilias enim efficitur ſui juris morte vel deportatione patris, vel dignitate, id eſt patriciatu vel ſacerdotio, quod totum eſt a lege, & ſi ſui juris fiat emancipatione: emancipatio eſt actus legitimus, qui non fit ſine prætore, in quo magis ſpectatur jus & poteſtas legis, & auctoritas judicis, quam beneficium & voluntas patris; *l.* 1. *& ult. C. de emancipat. liber.* idcirco conditio inſtitutionis, ſi paterfamilias fuerit, impletur etiam ab ignorante. Neque obſtat, quod in *l. ſi quis extraneus*, §. *ult.* ſupr. *de adquir. hered.* heres inſtitutus ſub conditione, qui ignorat conditionem inſtitutionis extitiſſe non videtur adire hereditatem, quia hæc lex eſt de herede, qui ignorat ſe inſtitutum ſub conditione.

L. 22.

SI mulieri legetur ſub conditione, ſi non nupſerit, & ejusdem fideicommiſſum ut Titio reſtituat ſi nupſerit, etſi nupſerit legatum petere poteſt, nec tenetur onere fideicommiſſi, ex *hac l.* Ratio eſt, quia lege *Julia* conditio viduitatis aſcripta inſtitutionibus vel legatis rejicitur, & pro non ſcripta habetur; *l. cum ita, & ſeq.* inf. *h. tit. l.* 2. *&* 3. *C. de indict. viduit. tollend.* Non valet conditio de non nubendo, quæ indicitur etiam mulieri, quæ ſemel experta eſt nuptias. Hodie conditio, ſi non nupſerit, remittitur in virgine, non in vidua, puta ſi uxori a marito legetur ſub conditione, ſi ſecundo non nupſerit, valet conditio, & ſi ſecundas ineat nuptias amittit legatum, interim vero capit legatum, non ſtatim, ſed præſtita cautione de re reſtituenda cum fructibus, ſi non pareat conditioni; *nov.* 22. *cap.* 43. *auth. cui relictum, C. de indict. viduit. tollend.* Etiam jure veteri conditio de non nubendo non improbatur, ſi non ſit perpetua, & indefinita, ſi limitata ſit ad certum tempus, vel ad certas perſonas: puta ſi legetur mulieri, ſi a liberis impuberibus non nupſerit, quia perpetua viduitas non inducitur, ſed ad tempus pubertatis liberorum, & magis cura, id eſt tutela liberorum, quam viduitas injungitur; *l. ſed ſi hoc*, §. *ult. l. cum tale*, §. *Mævia*, infr. *h. tit. l. pen.* infra, *qui & a quib. manumiſſ.* Idem dicendum eſt ſi legetur mulieri ſub conditione, ſi Titio non nupſerit, quia tali conditione non injungitur viduitas, non tollitur libertas nuptiarum, cum alii nubere non prohibeatur; *l. cum ita*, infr. *h. tit.* Huic *l.* 22. vulgo opponitur *l. non dubium*, † *in princ.* ſupr. *de legat.* 3. ex qua ſi uxori legatum ſit, ſi non nupſerit, idque alii reſtituere rogata ſit, cogenda eſt ſi nupſerit reſtituere: ſed

pleatur ; *l. Titia*, §. *ſi ea*, *de legat.* 2. Et ſi quis ſtipulanti decem promiſerit ſub conditione, ſi ſtipulator Capitolium aſcenderit, & promiſſor impediat quominus ſtipulator conditioni pareret, ſtipulatio committitur, ut ſubditur in fin. *h. l. & l. in executione*, §. *ult.* infr. *de V. O.* Conditio pro impleta habetur, ſi caſu deficiat: ut ſi Sticho ſervo libertas relicta ſit ſub conditione, ſi decem heredi dederit, & Stichus, cum properaret conditionis implendæ cauſa, latronum incurſu pecuniam amiſerit ; *l. cum quidam*, *C. de condit. inſert.* Quod ſi heres inſtitutus † ſim ſub conditione, ſi Stichum manumiſero, & Stichus occiſus ſit poſt mortem teſtatoris, & ejus morte conditio defecerit, hoc caſu conditio non habetur pro impleta, quia ſtat per alium, in cujus perſona non erat † implenda, ſed pretium me conſecuturum actione legis Aquiliæ, quæ æſtimationem etiam amiſſæ hereditatis continet ; *l. inde Neratius*, §. *idem Julianus*, *al.* §. 2. ſupr. *ad. leg. Aquil.* Conditio non habetur pro impleta, immo defecit, ſi per extraneum conditionis implementum impediatur : conditio pro impleta habetur, ſi ſtet per eum, cujus intereſt, conditionem non impleri, puta per debitorem, qui promiſit ſub conditione ; *l. in executione*, §. *ult. de V. O. l. in jure civili*, *de R. J. l.* 1. §. *ſi reus*, *de eo*, *per quem fact. erit quomin. quis in judic. ſiſt.*

L. † 25.

Dictum eſt ſupr. *in l. 9. h. tit.*

L. 26. in princ.

SI legatum relictum ſit ſub duabus conditionibus disjunctivis, puta, ſi viginti dederit, vel juraverit ſe aliquid facturum, Julianus in *hac l.* ait, unam conditionem eſſe, quæ habet duas partes. Ratio eſt, ut recte ſubnotat *gloſſa*, quod quamvis in rei veritate duæ ſint conditiones, pro una habentur quantum ad hoc, quia unam impleri ſufficit : in conditionibus conjunctim adſcriptis omnes implendæ ſunt, quia unius loco habentur : in conditionibus disjunctivis unam impleri ſufficit ; *l. cum pupillus*, §. 1. infr. *h. tit. l. ſi quis ita ſtipuletur*, *l. ſi quis ita* † *ſtipulatus*, infr. *de V. O.* Et ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione, ſi juraverit ſe decem daturum, aut opus facturum, quamvis verbis edicti, id eſt edicto prætoris, admittatur ad hereditatem, etiam ſi non juret, tamen tenetur opus facere, ſolo jurejurando remiſſo, ut ſubjungitur *hic*: conditio enim jurisjurandi remittitur ; *l. quæ ſub conditione*, ſupr. *de condit. inſtit. l.* † *libertus*, *in pr. de bon. libertor. l.* 1. §. † *idemque*, *ad l. falcid.* non conditio faciendi, ſeu præſtatio pecuniæ.

§. *cum eadem*, *ejusd. l.*

SI duobus eadem res legetur, alteri pure, alteri ſub conditione, vel duo heredes ſcripti ſint, alter pure, alter ſub conditione, pars legatarii vel heredis inſtituti ſub conditione, deficiente conditione, adcreſcit etiam heredi ejus, cui pure legatum eſt, vel hereditas data eſt, ſi tamen hereditas ejus adita fuerit, ex *hoc* §. quia jus adcreſcendi tranſmittitur ad heredem ; *l. ſi ex pluribus*, infr. *de ſuis & legitim. l. unic.* §. *his ita*, *C. de caduc. toll.* jus ſubſtitutionis non item ; *l. qui liberis*, §. *ult.* ſupr. *de vulgar. & pupillar. l. totiens*, *de adquir. heredit.* Ratio differentiæ eſt, quod ſubſtitutio non dum delata, in bonis noſtris non eſt ; *l. ſubſtitutio*, infr. *de adquir. rer. domin.* quod autem adcreſcit in bonis noſtris eſſe videtur antequam adcreſcar, & non tam adcreſcit, quam non decreſcit, quaſi ab initio ſolido cuique relicto. Portio deficientis adcreſcit collegatario vel coheredi, qui partem ſuam adiit, vel heredi ejus, ſi tamen

Digitized by Google

heredis hereditatem adiit, quia jus adcreſcendi eſt reale, portio portioni adcreſcit, rei, non perſonæ.

L. 27.

SI teſtator juſſerit ab heredibus ſuis ſibi monumentum fieri, ad exemplum ejus, quod in via Salaria eſſet P. Septimii Demetrii, & niſi illud heredes fecerint, magna eos pecunia multaverit pœnæ nomine: (quod teſtatori licet; *l. multa*, ſupr. *hoc tit. l. unic. C. de his quæ pœn. nomine relinq.*) ſi non reperiatur in via Salaria monumentum P. Septimii Demetrii, ſed P. Septimii Damæ, & hac de cauſa nullum monumentum teſtatori fecerint, ſi quidem appareat, teſtatorem ſenſiſſe de monumento P. Septimii Damæ, pœna tenentur: quod ſi non appareat de quo monumento teſtator ſenſerit, pœna non committitur: compelluntur tamen pro facultatibus & dignitate defuncti monumentum extruere, ex *hac l.* Pœna non committitur, ſi heres non ſit in mora parendi voluntati defuncti, puta monumenti faciendi, deficiente monumento, ad cujus exemplum teſtator ſibi monumentum fieri voluit: tamen non liberatur onere monumenti faciendi pro ſubſtantiæ viribus & dignitate defuncti, quia incertum voluntatis defuncti ſuppletur officio judicis, & ſi heres momumentum non faciat, ad hoc compelli poteſt extra ordinem, principali, vel pontificali auctoritate; *l. hereditas*, ſupr. *de petit. hered.* Similiter ſi heres inſtitutus ſub conditione, intra diem non pareat voluntati defuncti propter ignorantiam, forte nondum apertis tabulis teſtamenti metu SC. Silaniani, ſuccurritur ei ad implendam conditionem; *l. 3. §. ſi conditioni*, ſupr. *de SC. Silanian.*

L. 28.

SI filiæ legetur ſub conditione, ſi arbitratu Titii nupſerit, Titio mortuo ante teſtatorem, legatum debetur, ut oſtenditur in *hac l. & l. cum tale*, *§. ſi arbitratu*, infr. *h. tit. l. turpia*, §. 1. ſupr. *de legat.* 1. Ratio duplex redditur in *d. §. ſi arbitratu*: una, quia conditio deficit, id eſt conditio pro impleta habetur, cum deficiat morte Titii, in cujus perſona implenda erat; *l. 3.* ſupr. *de condit. inſtitut. l. 1. C. de inſtit. & ſubſtitut.* altera, quia conditio ſuſpenſa quoque pro nihilo foret, id eſt conditio ſi adhuc eſſet in pendenti, nec dum defecta, remitteretur velut turpis: conditio nuptiarum collata in arbitratum alterius remittitur, quia impedit libertatem nuptiarum. Matrimonia libera eſſe debent, non ex alieno arbitrio pendere; *l. Titio centum*, *§. Titio centum* 1. infr. *h. tit.* Quod ſi legetur puellæ ſub conditione, ſi nupſerit adhibito conſilio Titii, conditio valet, quia hujuſmodi conditio non tollit libertatem nuptiarum, mulier enim tenetur conſilium requirere, ſed ei integrum eſt non ſequi, quia conſilium non eſt obligatorium; *l. 2. in fin.* ſupr. *mandat. l. 5. §. Papinianus*, *de adminiſtr. tutor. l. cum pater*, *§. mando*, *de legat.* 2. *cap. cum olim*, *de arbitr.* Licet conditio nuptiarum collata in arbitrium alterius non valeat, dos tamen poteſt conſtitui arbitrio alterius, etiam ſoceri, quia collata intelligitur in arbitrium boni viri, & conſtituenda eſt pro facultatibus patris, & dignitate mariti; *l. cum poſt*, *§. gener*, ſupr. *de jure dot.*

§. † *Attia*, *ejusd. l.*

SI vir uxori legaverit optionem Phylargyri pueri, id eſt ſervi, (Veteribus pueri dicuntur ſervi; *l. ſervis legatis*, *de legat.* 3. Ambroſ. libr. 1. de Abraham cap. 9. (num. 82.) in illum locum, *& vocavit puerum ſeniorem domus ſuæ. Diſce hinc, quod etiam ſenioris ætatis ſervuli pueri dicantur a dominis, vel a quibusque potioribus*: quod oſtenditur illo loco Virg. (ecl. 1. 46.) *paſcite, ut an-*

te, *boves*, *pueri &c.* Unde & pueros dicimus, quando ſervulos ſignificamus, non ætatem exprimentes, ſed conditionem.) Si vir, inquam, legaverit uxori optionem Phylargyri ſervi, & Agatheæ ancillæ, id eſt unum e duobus, qui ſui erunt cum morietur, & poſt teſtamentum Agatheam vendiderit, & poſtea ancillas duas vel plures emerit, & uni ex his Agatheæ nomen impoſuerit, (plerumque enim ementes ſervos nomen eis mutabant in ſignum parti dominii; Jo. Chryſoſtom. homil. 14. in geneſ. (num. 5.) in illum locum, quod vocavit Adam, hoc eſt nomen illi, *ἵνα καὶ τὸ σύμβολον τῆς δεσποτείας διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων θέσεως ἐπιδείξηται· καὶ γὰρ καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἔθος τοῦτο ποιεῖσθαι σύμβολον δεσποτείας, ἐπειδὰν οἰκέτας ὠνήσωνται, μετατιθέναι αὐτῶν τὰς προσηγορίας· ut & Symbolum dominii per nominum impoſitionem cognoſcatur. Nam & hominibus mos eſt hoc facere in ſignum dominii, ut cum ſervos emerint, ipſorum nomina mutent.*) quæſitum eſt, an ancilla poſt teſtamentum empta, cui nomen impoſitum eſt Agathea, legata videatur? Paulus *hic* reſpondit videri. Ratio eſt, quia ancilla poſt teſtamentum empta, vendita ancilla Agathea; & impoſito ei nomine Agatheæ, videtur ſubrogata in locum ejus, quæ erat tempore teſtamenti: ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur: unde ſi heres rogatus poſt mortem reſtituere quicquid ex hereditate ſupererit, & ex pretio rerum hereditariarum alias comparaverit, hæ venient in fideicommiſſi reſtitutione; *l. Imperator*, §. *ult. de legat.* 2.

L. 29.

HÆc conditio, ſi Capitolium aſcenderit, ſic accipienda eſt, ſi Capitolium aſcenderit cum primum potuerit, ut ait Julianus in *hac l.* id eſt cum primum ſine incommodo potuerit, ut in conditione dandi; *l. cum quidam, de* † *legat.* 2. ut ſi pater filiæ decem promiſerit, quum potuerit, vel cum commodum erit, hæc verba accipienda ſunt, cum poterit ſine incommodo, deducto prius ære alieno, ſalva dignitate; *l. nepos*, infr. *de V. S.* vel ſine turpitudine & infamia; *l. avus*, §. 1. ſupr. *de jur. dot.* & ſimiliter in *l. libertas*, §. 1. infr. *de manumiſſ. teſtam.* Hæc conditio, ſi Stichus Capitolium non aſcenderit liber eſto, ita accipienda eſt, ſi, cum primum potuerit, Capitolium non aſcenderit, in legatis hoc verum eſt: in heredum inſtitutionibus conditio, ſi Capitolium non aſcenderit, ſi Titio decem dederit, quandocumque impleri poteſt, etiam ultimo vitæ momento; *l. ult. de condit. inſtit.* Heredi datur laxius tempus, quam legatario, ad implendam conditionem, & adeundam hereditatem, quia hereditas poteſt eſſe damnoſa, ex quo longius tempus ei dandum eſt ad deliberandum de adeunda hereditate: legatum non item, onus enim æris alieni ſpectat ad heredem, non ad legatarium; *l. ult. C. de hered. act.* heredi tamen inſtituto ſub conditione, cui pareri facile poteſt, ſi conditionem trahat, ei præfinitur tempus implendæ conditionis, & adeundæ hereditatis; *l. ſi quis inſtituatur, de hered. inſtit.*

† Sub *h. tit.* exſtant *l. cum quidam* 21. *&* 24. v. ſi faciunt. Et v. etiam *l.* 29. *quand. dies legat. ced.*

L. 30.

SI disjunctim duobus idem fundus legatus ſit, alteri pure, alteri ſub conditione, & is, cui legatum eſt ſub conditione, deceſſerit pendente conditione, pars deficientis adcreſcit collegatario ſine onere implendi conditionem, quia etiam deficiente conditione pars collegatarii ei adcreſceret, ex *hac l. & l. un.* §. *ubi autem, C. de caduc. tollend.* ſolidum ab initio cuique relictum eſt, & pars deficientis collegatario non tam adcreſcit, quam non decreſcit. Quod ſi conjunctim duobus eadem res legata ſit, pars deficientis adcreſcit collegatario cum ſuo onere; *l. Mævio, de legat.* 2. *d. l. un.* §. *ubi autem.* Et ſi duobus eadem res legata ſit ſub conditione, ſi heredi centum dederint, & alter ex his

Digitized by Google

partem ſuam agnoverit datis quinquaginta, pars ejus, qui alia quinquaginta non dedit, alteri cum ſua conditione adcreſcit; *l. ſi quis legata*, §. 1. infr. *h. tit.* Quod ſi duo vel plures coheredes conjunctim vel disjunctim inſtituti ſint, portio deficientis adcreſcit coheredi cum ſuo onere, pro hereditariis portionibus, puta pars coheredis, a quo fideicommiſſum relictum eſt, adcreſcit coheredi cum onere fideicommiſſi; *l. ſi Titio & Mævio*, §. *Julianus*, *de legat.* 2. *d. l. unic.* §. *his ita*.

L. 31.

SI Sticho & Pamphilæ libertas relicta ſit, eisdemque centum legata ſint, ſi nuptias invicem contraxerint, & Stichus ante apertas tabulas deceſſerit, pars Stichi defecta eſt, quia legatum ſub conditione relictum intercidit, ſi legatarius deceſſerit pendente conditione; *l. intercidit*, infr. *h. tit.* Sed & Pamphila videtur conditione delecta, ideoque pars ejus apud heredem remanet. Sed ſi uterque ſuperſtes ſit, & per Stichum ſtet quominus Pamphilam uxorem ducat, pars Stichi ſit inutilis, id eſt caduca, & apud heredem remanet, quia conditio deficit, ſi non impleatur mora & impedimento ejus, qui implere debet; *l. pen.* §. 1. infr. *h. tit.* Pamphilæ vero legati pars debetur, quia conditio mixta, quæ pendet ex facto proprio & alieno, puta conditio nuptiarum pro impleta habetur, ſi per me non ſtet quominus impleatur; *l. jure civili*, ſupr. *h. tit.* Nam & ſi Titio legatum ſit, ſi Seiam uxorem duxerit, ſi Seia moriatur, ſubaudi ante apertas tabulas, ut ponitur in priori ſpecie, Titius defectus conditione intelligitur, ſi Titius moriatur, nihil ad heredem ſuum tranſmittit, quia morte ejus conditio defecit, ut *hic*, & *l. legatum*, *C. de condit. inſert.* Quod ſi uterque vivat, & Titius nolit Seiam uxorem ducere, nihil ex legato conſequitur: quod ſi per Seiam ſtet quominus Titio nubat, legatum Titio debetur, conditio enim pro impleta habetur, ſi ſtet per eum, in cujus perſona implenda eſt, quominus impleatur; *l. Titius*, † ſupr. *h. tit. l.* 1. *C. de inſtit. & ſubſtitut. l.* 3. ſupr. *de condit. inſtitut.* Cujac. 17. *obſ.* 22.

L. 32.

SI ſervus actor manumiſſus ſit ſub conditione, ſi rationes reddiderit, & is bona fide rationes reddiderit, etiam ſi per imprudentiam, id eſt per errorem calculi, minus ſolverit, quam eſſet in reliquis, ſit liber, ex *hac l.* Ratio dubitandi erat, quod rationes reddere nihil aliud eſt, quam reliqua ſolvere, ut proponitur *init. h. l.* id eſt rationes reddere non intelligitur quis, niſi reliqua in totum præſtet; *l.* † *non ſolum* 8. §. *is qui reddere*, ſupr. *de liber. legat. l. ſi ita ſit ſcriptum*, *l. ſi ita fuerit*, §. 2. infr. *de manumiſſ. teſtam. l. ſi pure*, *de fideicommiſſ. libertat. l. boves*, §. *ult.* infr. *de V. S. l.* † *unic. C. ut cauſ. poſt pubertat. l.* † *ult. C. de peric. tutor. l.* † *ſi mater*, *C. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. tacit. contrah.* Sed ſi bona fide rationes redditæ ſint, & ſtatuliberi, id eſt ſervi manumiſſi ſub conditione, & heredis culpa minus ſolutum ſit, id eſt communi utriusque errore in calculo, conditio rationum reddendarum impleta videtur, quia par culpa, par delictum mutua compenſatione tollitur; *l.* †† *viro*, *l. cum mulier* 47. †† ſupr. *ſolut. matrimon. l. ſi uxor*, §. *judex*, infr. *ad l. Jul. de adulter.* alioquin vix quisquam manumiſſus ſub conditione rationum reddendarum umquam perveniret ad libertatem, ſi error calculi in rationibus reddendis & præſtatione reliquorum impediret implementum conditionis: non eſt anguſtanda via, quæ ducit ad libertatem: & hæc eſt ſumma *h. l.* Quod ſi ſervus teſtamento manumiſſus ſit ſub conditione, ſi rationes reddiderit, non ſit liber, ſi reliqua tantum in folle, id eſt ſacculo obtulerit, niſi editis & computatis cum herede rationibus, reliqua præſtiterit; *l. cum ſervus*,

† V. ſi faciunt, & ad. de *l.* 80. 81. *h. tit. l.* 69. §. 4. *de evict. l.* 4. *C. de teſtam. manumiſſ.* cum concordant.

nus, infr. *h. tit.* Et ſi ſervus manumiſſus ſub conditione, ſi rationes reddiderit, in reddendis rationibus pariator inventus ſit, id eſt par ratio accepti & expenſi comperta ſit, ita ut reliqua nulla eſſent, libertas pure legata videtur, inſpecto ſc. exitu; *l. Julius Paulus*, infr. *h. tit.* Pariatori opponitur reliqua habens in *d. l. Julius Paulus*, & pariationi reliquatio; *l. ult.* §. *idem quæſiit*, ſupr. *de condict. indebit. l. qui nominibus*, *de admin. tutor.* Paria dicuntur fieri, cum par eſt ratio accepti & expenſi; Plin. libr. 37. cap. 1. de felicitate Policratis Samii: *Satis piamenti in unius gemmæ voluntario damno videretur, ſi cum fortunæ volubilitate paria faceret.* Pares rationes fieri dixit Tacitus 13. annal. (cap. 14.) *Sane pepigerat Pallas, ne cujus facti in præteritum interrogaretur, paresque rationes cum republica haberet.* Par ratio accepti & expenſi; Plaut. in Moſtellar. (1. 2. 146.) *Bene igitur ratio accepti atque expenſi inter nos convenit.*

L. 33.

FAlſa demonſtratio non nocet legatario, vel fideicommiſſario, vel heredi inſtituto. Puta ſi teſtator extraneum ſub nomine fratris vel nepotis heredem inſtituerit, vel ei legatum aut fideicommiſſum reliquerit, hujusmodi falſa demonſtratio non vitiat legatum vel inſtitutionem, ut oſtenditur *init. h. l.* Ratio eſt, quia falſa demonſtratio non nocet, ſi conſtet de perſona, de qua teſtator ſenſit; *l. demonſtratio*, ſupr. *h. tit. l. prox.* infr. *h. tit.* unde hoc ita cautum dicitur *hic* juris civilis ratione, & conſtitutionibus Severi & Antonini. Sic qui frater non eſt, ſi fraterna caritate diligitur, recte cum nomine ſuo ſub appellatione fratris heres inſtituitur; *l. nemo*, §. † *qui frater*, ſupr. *de hered. inſtit.* nec ideo minus uxor jure heres inſtituta videtur, quod non uxor, ſed affinis teſtamento viri nominata eſt; *l.* 5. *C. eod.* Quod ſi quis per errorem aliquem quaſi filium heredem inſtituerit, qui eſt ſuppoſitus, non inſtituturus ſi alienum ſciſſet, hereditas ei a fiſco aufertur quaſi indiguo, ex reſcripto Severi & Antonini; *l.* 4. *C. eod. l.* 5. *C. de* † *teſtamentis*, *l. aufertur*, infr. *de jur. fiſc. l. cum tabulis*, *de his quæ ut indign.* Falſa demonſtratio non vitiat quidem legatum, ſed non facit legatum, veluti ſi quis cum Titio nihil legaſſet, dixerit, e centum, quæ Titio legavi, quinquaginta Seio heres dato, quia non animo legandi, ſed diminuendi legatum, quod falſo datum exiſtimabat, ita ſcripſit; *l. cum tale*, §. *ult.* infr. *h. tit.*

§. *ſed ſi cui*, *ejusd. leg.*

SI cui quaſi liberto, id eſt inter libertos, legatum fuerit, non idcirco legatum amittit, quia poſtea jus annulorum aureorum ab Imperatore accepit, quia jure annulorum honor auctus eſt, non conditio mutata, ex reſcripto Severi & Antonini, ut oſtenditur in *hoc* §. Jure aureorum annulorum augetur dignitas liberti, quia libertus, qui jus annulorum aureorum impetravit, pro ingenuo habetur; *l. pen. & ult.* infr. *de jur. aureor. annulor.* & fit ordinis equeſtris. Dio *libr.* 48. poſtquam ſcripſit, apud Romanos non modo libertis, ſed ne ingenuis quidem non licere aureis annulis uti, niſi eſſent ſenatores, aut equeſtris ordinis, proinde Princeps, inquit, libertis, quibus volebat, honoris cauſa *ἐν τιμῆς μέρει*, ut libertis præſtantiores viderentur & equeſtris dignitatis *ὡς καὶ βελτίοσιν ἢ κατὰ ἀπελευθερίαν, ἱππεύειν τε δυναμένοις*, aureorum annulorum uſum largiebatur. Icelum Galbæ libertum annulis donatum in equeſtrem ordinem aſcitum, & equeſtri nomine vocatum, tradit Tacit. libr. 1. hiſt. (cap. 13.) *Nec minor gratia Icelo Galbæ liberto, quem annulis donatum, equeſtri nomine Martianum vocitabant.* Tamen libertus, qui jus annulorum impetravit a Principe, non deſinit eſſe libertus, ut patrono præterito teſtamento liberti, etſi jus an-

Digitized by Google

nulorum aſſecutus ſit a Principe, datur bonorum poſſeſſio contra tabulas liberti; hic enim vivit quaſi ingenuus, moritur ut libertus; *l. 3. init.* infr. *de bon. libert.* Et libertus, etſi jus annulorum impetravit, non excuſatur a tutela liberorum patroni, quia adhuc cuſtodit libertorum ordinem, ex reſcripto Marci Antonini; *l. libertum*, §. *ſed etſi*, ſupr. *de excuſat. tutor.* Denique jus annulorum aureorum non mutat ſtatum, non facit ingenuum, ſed jura ingenuitatis quoad vivit dat; *l. 2. C. de jur. aureor. annul. l. ſed ſi hac lege*, §. † *ſed ſi jus, de in jus vocand.*

§. *ſi quis* † *legaverit*, † §. *ult. ejusd. leg.*

Si quis rem legaverit ſub conditione, ſi mortis tempore ejus erit, nec tunc ejus inveniatur, nec æſtimatio ejus debetur, ex *hoc*. §. † *ſi quis legaverit*. Neque pugnat, quod res aliena legari poteſt, ita ut heres cogatur a domino rem emere & præſtare, ſi parari poſſit, vel æſtimationem; *l. cum ſervus*, §. *conſtat*, *l. ſi domus*, §. *qui confitetur*, ſupr. *de legat.* 1. *l. non dubium*, §. *ult. l. qui quatuor*, §. *ult. de legat.* 3. quia ubi teſtator legat rem, quam ſciebat alienam, videtur velle heredem rem a domino emere, & præſtare, ne inane & luſorium ſit legatum: ubi vero res legatur †, *ſi mortis tempore ejus erit*, ſi mortis tempore ejus non inveniatur, nec res, nec æſtimatio legata videtur, ut ſcriptum eſt *hic* † *in* §. *ſi quis legaverit*: legatum eſt conditionale, quod deficit defecta conditione. Quid ſi quis Stichum & Pamphilum Titio legaverit, *ſi mei erunt cum moriar?* & unum ex his alienaverit, alter debetur legatario, hic enim ſermo, licet pluralis, reſolvitur in ſingularem, & perinde eſt, ac ſi Stichus legatus eſſet ita, *ſi meus erit cum moriar*, ut ſubjungitur *hic* † *in* §. *ult. & in l. 2.* §. *ult. de condit. inſtit.* Ratio eſt, quia numerus pluralis geminat ſingularem, ut probatur, ex *l.* † *ſi ſervus*, §. *ſi plurium*, ſupr. *ſi quis caut.* & aliis legibus, quas *hic* Accurſ. adducit: proinde ſi teſtator ita legaverit, *Stichum*, *qui meus erit cum moriar, heres dato*, & communis ſit mortis tempore, debetur pro parte, nam illud, *qui meus erit*, magis facit conditionem, quam demonſtrationem; *l. ſervi*, §. 1. *l. Stichum*, *de legat.* 1. Si teſtator ita dixerit, *ſi Stichus & Dama ſervi mei in mea poteſtate erunt cum moriar*, *liberi ſunto*, *& fundum ſibi habento*, ſi unus fuerit alienatus, vel manumiſſus, alter liber erit, † & legatum habebit, ex conjectura voluntatis defuncti; *l. qui concubinam*, §. *ult. de legat.* 3.

L. † 34.

Dictum eſt *init. l. prox.* ſupr.

L. 35.

Si ſervus teſtamento manumiſſus ſit ſub pluribus conditionibus ſeparatim poſitis, veluti ſi navis ex Aſia venerit, ſi cælum digito tetigerit, ſi Titio decem dederit, leviſſima conditio ſpectanda eſt; *l. quod vulgo*, infr. *de manumiſſ. teſtam.* Leviſſima vero libertatis conditio intelligenda eſt, quæ ad libertatem perducit, quamvis natura durior & gravior ſit, ut exponitur in *hac l.* id eſt quæ manumiſſo facilior ſit; *l. in libertatibus*, *de manumiſſ. teſtament.* quæ facilius perducit ad libertatem, qualis eſt conditio, ſi cælum digito attigerit, quamvis enim hujusmodi conditio natura durior & gravior ſit, utpote impoſſibilis, tamen levior habenda eſt libertatis aſſequendæ cauſa, cum pro non adjecta habeatur; *l. 3.* ſupr. *h. tit.*

L. 36.

Digitized by Google

L. 36. §. † Titia.

SI Titia codicillis ad teſtamentum factis Septitiam rogaverit, ut filio ſuo cum erit annorum 16. reſtituat prædia ei teſtamento relicta, vel ſi 16. annum non impleverit, ut ea reſtituat P. Mævio & Gaio Cornelio: ſi Septitia deceſſerit, & deinde filius 15. annum agens defunctus ſit, heredes Septitiæ non tenentur repræſentare fideicommiſſum P. Mævio & Gaio Cornelio, id eſt reſtituere ante diem, quo ſi filius viveret impleſſet 16. annum, quia non eſt veriſimile, teſtatricem voluiſſe fideicommiſſum maturius reſtitui ſubſtitutis, quam filio, ex *hoc* §. prius enim vocati & proximiores cenſentur magis dilecti; *l. omnia*, alias *l. cum ita*, *§. in fideicommiſſo*, *l. peto*, *§. fratre*, ſupr. *de legat. 2. l. ult. C. de V. S.* Pugnare videtur *l. a filia*, *§. alumno*, infr. *ad Trebell.* cujus ſpecies hæc eſt: teſtator alumno centum legavit, & mandavit Sempronio tradi ab heredibus ſub conditione uſurarum præſtandarum alumno donec ad 20. annum pervenerit: deinde alumni fideicommiſit, ut ſi ſine liberis decedat, partem reſtitueret Sempronio, partem Septitiæ. Defuncto alumno intra annum 20. ſubſtituti ſtatim fideicommiſſum petere poſſunt, nec coguntur ſuſtinere in id tempus, quo ſi viveret alumnus 20. annum impleret. Sed reſpondendum eſt, fideicommiſſum repræſentari in *h. l.* quia dies adjectus erat favore alumni, non heredis, vel Sempronius erat tantum adminiſtrator pecuniæ legatæ alumno: alioquin ubi fideicommiſſum relictum eſt in diem certum, licet purum ſit fideicommiſſum & nata ſit actio fideicommiſſi, non poteſt agi ad fideicommiſſum ante diem; *l. cedere diem*, infr. *de V. S. l. ex his verbis*, *C. quando dies legat. cedat*: & ſic non eſt locus repræſentationi fideicommiſſi.

L. 37.

SI quis ſervum, quem ipſe manumittere non poterat, forte quia teſtamento vetitus eſt manumittere ſervum male meritum; *l. 2. C. qui non poſſ. ad libert. pervenir.* legaverit Seio manummittendi cauſa, legatarius non repellitur a legato, quoniam magis legatarium voluit teſtator ferre aliquod commodum ex ſervo legato, quam heredem: ſed non compellitur manumittere, quia legatarius non cogitur parere voluntati teſtatoris contra legem, ex *h. l.* Voluntas teſtatoris, ſi ſit contra leges, impune contemni poteſt: nemo enim facere poteſt, ne leges in teſtamento locum habeant; *l. nemo*, ſupr. *de legat. 1.* Contra facit *l. ſi quis quos*, *de legat. 2.* ſi quis quos non poterat manumittere legaverit, ne manumitterentur, nec legatum, nec libertas, ſi ultro data ſit, valet. Solve, nec legatum, nec libertas valet, ſi ſervus omnino manumitti non potuit, neque a teſtatore, neque a legatario: contra libertas non valet, legatum valet, ſi ſervus a legatario manumitti potuit, a teſtatore non potuit; Donell. *de jur. civil. lib.* 8. *cap.* 17.

L. 38.

LEgatum teſtamento vel codicillis dari poteſt. Si legatum teſtamento ita relinquatur, *quantum codicillis Titio legavero*: licet codicillis legatum explicetur, tamen debetur ex teſtamento, quia vires accepit ex teſtamento, & explicatur tantum codicillis: nam & apud veteres legata ita relinqui moris erat, *quantum ei per epiſtolam ſcripſero*: legatum enim vel fideicommiſſum per epiſtolam vel libellum relinqui poteſt adhibitis quinque teſtibus; *l. & in epiſtola*, *C. de fideicommiſſ. l. miles ad ſororem*, *de legat. 2. l. epiſtolam*, *ad Trebell.* vel ita, *quantum ex illa actione detraxero*, id eſt quantum ab illo debitore exegero, ex *hac l.* & ſi teſtator ita caverit, *quem heredem codicillis*

Digitized by Google

ſcripſero, heres eſto, & codicillis Titium heredem inſtituerit, inſtitutio valet; quia licet codicillis hereditas dari vel adimi non poſſit, tamen hæc ex teſtamento data videtur; *l. aſſe toto*, ſupr. *de heredib. inſtituend. l. inſtitutio*, *de condit. inſtitut.*

L. 39.

CONditio, quæ ad genus perſonarum pertinet, id eſt generaliter ad omnes heredes inſtitutos & ſubſtitutos, ut ſi facta inſtitutione & ſubſtitutione teſtator dixerit, *cuicumque hereditas mea deferetur, ita ſit mihi heres, ſi Titio decem dederit*, non ad certas perſonas, puta Titium & Seium inſtitutos, ea totius eſt teſtamenti, id eſt pertinet ad totum teſtamentum, & ad omnes heredes inſtitutos; id eſt conditio generaliter appoſita inſtitutioni, cenſetur repetita in ſubſtitutione: at conditio, quæ imponitur certis perſonis, puta Seio vel Mævio inſtitutis vel ſubſtitutis, refertur dumtaxat ad eum gradum, quo hæ perſonæ inſtitutæ ſunt: puta conditio adjecta inſtitutioni, non cenſetur repetita in ſubſtitutione, vel conditio appoſita uni gradui ſubſtitutionis, non cenſetur repetita in alio gradu, ut oſtenditur *hic*, & in *l. ſub conditione*, ſupr. *de hered. inſtit.* Ratio eſt, quia conditio eſt onus, quod ſemel injunctum in uno gradu, repetitum non intelligitur in alio, ne heres oneretur in infinitum; *l. fideicommiſſa* 11. §. *ſi quis decem*, *de legat.* 3. Quod ſi filiusſ. heres inſtitutus ſit ſub conditione, puta emancipationis adjecta in inſtitutione, cenſetur repetita in legato; *l. duos*, *l. avia*, infr. *h. tit. l. cum ſervus*, §. *ult.* ſupr. *de condit. inſtitut. l. ult.* §. *ult.* infr. *de dol. & met. except.*

§. *cum ita*, *ejusd. leg.*

SI quid teſtator juſſerit fieri in foro, non adſcripto in quo foro, ſi non appareat de quo teſtator ſenſerit, in ejus municipii loco fiet, in quo teſtator domicilium habuit, ex *hoc* §. Sic legatum eccleſiæ, vel pauperibus relictum, debetur eccleſiæ, vel xenodochio loci illius, in quo teſtator larem fovit; *l. quoniam*, *C. de SS. eccleſ. l. ſi quis ad declinandam*, *C. de Epiſc. & cleric. nov.* 131. *cap.* 9.

L. 40.

COnditio pro impleta habetur, ſi deficiat facto ejus, cujus intereſt non impleri, veluti qui ex implemento conditionis debiturus erat; *l.* † *jure civili*, ſupr. *h. tit.* Conditio deficit, ſi deficiat facto tertii, cujus non intereſt, puta ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione, ſi Stichum manumiſerit, & Stichus occiſus ſit poſt mortem teſtatoris, conditio inſtitutionis deficit, at heredi datur dumtaxat actio legis Aquiliæ adverſus eum, qui occidit; *l. inde Neratius*, §. 2. *ad l. Aquil.* Quod ſi centum legentur Titio ſub conditione, ſi intra decem dies Capitolium aſcenderit, & a vicino per calumniam, id eſt per vim & injuriam, prohibitus ſit via publica ire, cum ire vellet ad parendum conditioni, forte quia incluſus domi tenebatur, nec ſtetit per eum quin agendo ob calumniam eum ſubmoveret, id eſt per vim impeditus eſt, ne apud judicem ageret actione vis & metus, quo caſu impedimentum probandum incumbit ei, qui allegat, alioquin non præſumitur quis vim paſſus in urbe, cum reclamare potuerit, ſeu jus publicum invocare, & adire magiſtratum, qui eum vim pati prohibuiſſet; *l. non eſt*, ſupr. *quod. met. cauſ.* hi dies conditioni non imputantur, ut ſubtiliter dicitur in *hac l.* id eſt dies, quibus impeditus eſt ne aſcenderet Capitolium, non computantur in termino dato ad parendum conditioni: impedito non currit præſcriptio; *l. contra*, *C. de inoffic. teſtam. l. in rebus*, *verſ. omnis autem*, *C. de jur. dot. l. cum notiſſimi*, §. *illud autem*, *C. de præſcript.* 30. *annor.*

Digitized by Google

annor. impeditus ſc. per triduum, ne pareret conditioni dandi intra decendium, reſtituitur, ut alii tres dies ei dentur ad parendum conditioni, hoc caſu conditio non habetur pro impleta, quaſi defecerit facto tertii, ſed tempus, quo impeditus eſt, redintegratur ad implendam conditionem, quia non eſt impeditus per totum tempus, quod erat in conditione, & ſatis erat ei reſtitui tempus, quo impeditus eſt, ne pareret conditioni.

§. *quidam ita, ejusd. l.*

SI teſtator fundum Seianum Titio legaverit, ſub conditione, ſi impenſas in eo factas heredi dederit, non reſtituit pretium fundi: impenſæ appellatione non continetur pretium fundi, ſed eos dumtaxat ſumptus reſtituit, quos in eo fundo fecit a die emptionis, ita ut non deductis fructibus impenſarum ratio haberi debeat, id eſt ita ut fructus percepti ab herede ei non computentur in æſtimatione impenſarum & meliorationum, quia heres percepit fructus jure ſuo, jure domini; *l. in fideicommiſſaria*, infr. *ad Trebell.* nec eos reſtituere tenetur, nec compenſare cum impenſis: non enim ea videtur fuiſſe voluntas teſtatoris, ut impenſæ computentur cum fructibus, maxime ſi ſint impenſæ, quæ pertineant ad perpetuam utilitatem & meliorationem fundi: multum ſc. intereſt, an ſumptus facti ſint in præſentem, an in perpetuam utilitatem rei: ſumptus facti in præſentem utilitatem, puta fructuum quærendorum & colligendorum gratia, compenſantur cum fructibus, quia ſunt onera fructuum, qui non intelliguntur, niſi deductis ſumptibus; *l. ſi a domino*, §. *pen.* ſupr. *de petit. hered. l. quod in fructus, de uſur.* Sumptus vero facti in perpetuam utilitatem rei non compenſantur cum fructibus; *l.* 3. §. † *nos generaliter, de impenſ. in res dotal. fact.* ſunt meliorationes, quæ augent pretium fundi, & faciunt partem rei: quapropter heres non deductis fructibus, quos percepit jure ſuo, impenſas in eo fundo factas repetit quatenus res pretioſior facta eſt; *l. Paulus*, §. † 2. ſupr. *de pignorib.*

§. *quidam Titio, ejusd. l.*

TEſtator centum Titio legavit, deinde ita dixit, *quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, ſi mater mea moritur*, id eſt cum morietur, *dato*: poſt mortem teſtatoris, viva matre ipſius, Titius deceſſit: quæſitum eſt, an heredibus Titii legatum deberetur? Ofilius exiſtimabat, legatum deberi, quoniam legatum eſſet purum non conditionale, deinde dies ſolvendi adjecta, conditio appoſita in ipſa diſpoſitione in contractibus facit contractum conditionalem, conditio appoſita poſt perfectum contractum non facit contractum conditionalem, ſed qui eſt purus ab initio ſub conditione reſolvitur; *l. obligationum* 44. §. *conditio, de oblig. & act. l.* 2. *de in diem addict.* Alia fuit ſententia Labeonis, quam comprobavit *hic* Javolenus, legatum hujusmodi relictum ſub conditione, *ſi mater morietur*, eſſe conditionale, quia nihil intereſt, utrum ita ſcribatur, *quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, ſi mater moritur, dato*, an vero ita ſcribatur, *niſi mater mea moritur*, † *ne dato*, legatum collatum in tempus mortis eſt conditionale, quia licet mors ſit certa, tempus mortis eſt incertum, dies incertus facit conditionem; *l. dies incertus, l. heres meus*, §. 1. infr. *h. tit.* Et ita mortuo Titio viva & ſuperſtite matre teſtatoris, legatum quaſi conditionale non transmittitur ad heredem Titii, & legatum relictum ſub conditione, *ſi mater morietur*, ſub contraria conditione, *niſi mater morietur*, ademptum intelligitur, ut additur in fine *h.* §. quod ſub una conditione datum eſt, ſub contraria conditione ademptum intelligitur; *l. aliquando*, infr. *h. tit. l. ſi legatum, l. legata inutiliter*, ſupr. *de adimend. legat. l. quod*

Digitized by Google

pure, infra, *quand. dies legator. cedat*, *l. quidam*, *in fin. de condit. inſtit. cap. olim cauſam* 12. *de reſtitut. ſpoliator.*

§. *dominus*, *ejusd. l.*

DOminus teſtamento Sticho ſervo quinque ita legavit cum libertate, *Sticho ſervo*, *quem teſtamento liberum eſſe juſſi*, *aureos quinque*, *quos in tabulis*, id eſt ex rationibus meis, *debeo*, *dato*, ex mutuo, vel alia cauſa. Servius conſultus reſpondit, nihil ſervo legatum eſſe, quia dominus ſervo nihil debere poteſt: inter dominum & ſervum, inter patrem & filium, qui in poteſtate eſt, nulla obligatio & actio civilis poteſt conſtitui. Contra Javolenus cenſuit *hic*, ex voluntate teſtatoris, quæ in teſtamentis in primis ſpectanda eſt, & vicem legis obtinet; *l. verbis legis*, infra, *de V. S.* naturaliter legatum deberi ſervo, ne inanis & inefficax ſit voluntas teſtatoris, quia naturaliter ſervo deberi poteſt: ſervus ex contractu quidem civiliter non obligatur, ſed naturaliter & obligatur & obligat; *l. ſi quod*, ſupra, *de condict. indebit. l. ſervi ex delictis*, infra, *de obligat. & act.* & cum ſervo deberi dicimus, eo verbo abutentes factum magis demonſtramus, quam ad jus civile referimus; *l.* † *nec ſervus*, *de pecul.* Effectus hujusmodi legati eſt, quod ſi ultro ab herede ſolvatur ſervo, repeti non poteſt: ex naturali obligatione non datur actio, ſed ſolutum repeti non poteſt; *l.* † *naturales*, *l.* †† *quæcumque*, *eod. tit. de act. & obligat. l. naturaliter*, *l. frater a fratre*, §. *quæſitum*, *de condict. indebit. l. fidejuſſor*, §. *naturalis*, *de fidejuſſ.* Quod ſi quis teſtamento confeſſus ſit ſe centum debere Titio ex cauſa mutui, depoſiti, vel alia cauſa, ſi non appareat de debito, non datur actio ex debito, ſed eſt actio ex legato ſeu fideicommiſſo; *l. Lucius* 88. §. *quisquis* 10. *de legat.* 2. *l. Lucius* 93. §. *Semproniæ*, *de legat.* 3. *l. Aurelius*, §. *ult. de liberat. legat. l. qui teſtamentum*, *de probat.*

†† Exſtant *l. quæcumque* 11. *&* 56. *ſub h. tit. de act. & obligat.* v. ſi faciunt, & adde *l.* 9. §. *pen. & ult. cum l. ſeq. ad SC. Macedon. l.* 1. §. 17. *ad l. falcid. cum concord.*

§. *ult. ejusd. l.*

THermus minor, id nomen teſtatori, teſtamento cavit, quorum arbitratu monumentum ſibi fieri vellet; (Veteres enim plerumque curam monumenti faciendi conferebant in arbitrium heredis vel legatarii vel liberti; *l. In teſtamento*, ſupra, *h. tit. l. ſi heres*, *de condict. cauſ. dat. l. ſi quis ſepulcrum*, §. *funus*, *de religioſ.* Horat. libr. 2. ſatyr. 5. (104. 105.)

. . . . *Sepulcrum*
Permiſſum arbitrio, *ſine ſordibus extrue.*

Ut & epulum funebre arbitrio cujuspiam credi ſolebat a teſtatore; Horat. ſatyr. 3. ejusd. libr. (86.)

. . . . *atque epulum arbitrio* † *Arri*,

Quo ſe referens, arbitrium funeris ſibi ademptum queritur M. Tull. in Piſonem (9.) *Arbitria non mei ſolum*, *ſed patriæ funeris abſtuliſti*. Et idem in orat. poſt redit. (2. 7.) *Non dum palam factum erat occidiſſe rempublicam*, *cum tibi arbitria funeris ſolvebantur*. Et eodem alluſione facta, arbitrium timoris dixit idem pro domo (4.) *puto*, *ſuo quemque arbitratu timere oportere.*) deinde teſtator eisdem, pro impenſa & ſumptu monumenti faciendi, mille ab herede præſtari juſſit legati nomine: quæſitum eſt, an eis detur actio legati, non oblata ſatisdatione de monumento faciendo? Trebatius conſultus *hic* reſpondit, perinde eſſe ac ſi ita legatum relictum eſſet, ſi ſatis dediſſent ſe ex ea pecunia monumentum facturos: quam ſententiam Labeo, & poſt eum Proculus comprobavit, & Javolenus ipſe, qui eſt auctor *h. legis*. Ratio eſt, quia legatum ſub modo relictum, nimirum uti quid faciat, puta monumentum, ut *hic*, non poteſt peti, niſi oblata cautione, quæ fit datis fidejuſſoribus de modo implendo; *l. demonſtratio*, §. *ult. l. eas cauſas*, *h. tit. l. ſi tibi legatum*, *de le-*

Digitized by Google

de legat. 3. *l. ſi cui*, *l.* † *cum in teſtamento*, *de fideicommiſſ. libert.* *l.* 1. *C. de his quæ ſub modo*.

L. 41.

LEgatum ſub conditione relictum, non ſtatim, id eſt a morte teſtatoris, ſed cum conditio exſtiterit deberi incipit, ideoque interim legari non poteſt, ex *hac l.* Legatum relictum ſub conditione, interim pendente conditione non debetur, quia nullum eſt legatum ante conditionis eventum: conditio ſuspendit actum; *l. cedere diem*, infra, *de V. S. l. neceſſario*, *de pericul. & commod. rei vendit.* Legati ſub conditione relicti dies non cedit priuſquam conditio exſtiterit; *l.* 5. §. *ſed ſi ſub conditione*, infra, *quand. dies legat. cedat*. Unde fit ut is, cui ſub conditione legatum eſt, non videatur creditor priuſquam conditio exſtiterit; *l. is, cui*, infra *de oblig. & act.* Et legatum relictum ſub conditione, pendente conditione repudiari non poteſt, quia non pertinet ad legatarium antequam conditio exiſtat; *l. ſi ita ſcriptum*, §. *ſi ſub conditione*, *de legat.* 2. Ideo etiam res legata ſub conditione a legatario interim alii delegari id eſt legari non poteſt, quia pendente conditione manet in dominio heredis; *l.* 1. §. *ſervi*, ſupra, *ad Silan. l. generaliter*, §. 1. infra, *qui & a quib. manumiſſ.* Quod ſi fundum legatum a teſtatore ſub conditione pendente conditione heres alii legaverit, vel fundo legato ſervitutem imponat; exiſtente conditione legatum extinguitur, & impoſita ſervitus finitur; *l. ſi fundum*, infra, *h. tit.* Et ſi legatum vel fideicommiſſum relictum ſub conditione in ſtipulationem fuerit deductum animo novandi, non ſtatim fiet novatio, ſed ubi conditio exſtiterit; *l. ſi Stichum*, §. 1. infr. *de novat.* quia obligatio nondum nata non poteſt novari: & ſi legatarius pendente conditione nactus ſit poſſeſſionem rei legatæ non per manus heredis, heres interim poteſt vindicare rem legatam cum fructibus medii temporis; *l. omnia*, §. 1. *de legat.* 2. Exiſtente conditione legatum debetur ac ſi pure ab initio relictum eſſet, & conditio exiſtens retro trahitur ad tempus mortis; *d. l. ſi fundum*. Unde ſi fundo legato mihi ſub conditione, pendente legati conditione heres me heredem inſtituat, ac poſtea legati conditio exiſtat, in falcidiæ ratione fundus non jure hereditario, ſed legati, meus eſſe intelligitur; *l. fundo*, infra, *ad leg. falcid.* In ſervis tamen legatis ſpeciale eſt, conditionem exiſtentem non retro trahi, puta ſi ſervus ſub conditione legatus ſit, licet conditio exiſtens efficiat, ut deſinat eſſe heredis, non facit ne interim videatur ejus eſſe; *d. l.* 1. §. *ſervi*, *d. l. generaliter*.

L. 42.

SI filiof. vel ſervo legetur ſub conditione, ſi in poteſtate patris vel domini manſiſſet, magis patri vel domino legatum videtur, & utrique ſuo nomine datur legati actio, ex *h. l.* Legatum relictum pure filiof. vel ſervo, adquiritur patri vel domino; quidquid enim filiusf. vel ſervus adquirit, id adquirit patri vel domino; *l. adquiruntur*, *l. ea quæ*, infra, *de adquir. rer. domin.* Et quidquid per filiumf. vel ſervum adquiritur, ſtatim adquiritur patri vel domino, ita ut ne momento quidem ſubſiſtat in perſona ejus per quem adquiritur; *l. placet*, ſupra, *de adquir. heredit.* Ratio eſt, quia filiusf. vel ſervus perſonam, & ſtatum non habet; *l.* 3. & 4. ſupra, *de capit. minut.* & conſequenter non poteſt ſibi adquirere. Quod ſi legetur filiof. vel ſervo ſub conditione, ſi in poteſtate manſiſſet, ſtatim id adquiritur patri vel domino, quia magis patri & domino, quam filio & ſervo legatum videtur, cum contemplatione patris vel domini relictum videatur propter conditionem adjectam legato, ſi filius vel ſervus cui legatum eſt in poteſtate manſiſſet: & ita ſi legetur viro & uxori, legatum debetur ei, cujus contemplatione relictum eſt; *l. ſed ſi plures*, §. *in*

adrogato, de vulgar. & pupillar. l. tali facta, §. 1. de jur. dot.

L. 43.

QUatuor diverſi caſus proponuntur in *hac lege*. Primus eſt ex Plautio veteri juriſconſulto, qui claruit temporibus Antonini Pii, cujus nomen præponitur in *hac lege*, & ad quem Julium Paulum 18. libros ſcripſiſſe patet ex inſcriptione *hujus l.* & aliis *legibus*: libertus præterito patrono, teſtamento inſtituit heredem Seium, & eum rogavit perceptis id eſt acceptis decem totam hereditatem reſtituere Cajo: poſtea patronus petita bonorum poſſeſſione contra tabulas, avocavit partem debitam hereditatis, quæ olim erat ſemis bonorum, hodie triens; §. *ſed noſtra, inſtit. de ſucceſſ. libertor.* quæſitum eſt, an fideicommiſſarius, id eſt is, cui ex fideicommiſſo reſtituta eſt hereditas, quod ſolvit heredi conditionis implendæ cauſa poſſit repetere pro rata dimidiæ vel tertiæ, quæ aufertur a patrono per bonorum poſſeſſionem contra tabulas? Paulus *lib.* 8. *ad Plautium* ait a Proculo & Caſſio reſponſum, fideicommiſſarium, quod ſolvit heredi conditionis implendæ cauſa, pro rata repetere condictione ob cauſam dati, cauſa non ſecuta. Ratio eſt, inquit Paulus, quia quemadmodum patrono præterito data bonorum poſſeſſione contra tabulas pro tertia, heres exoneratur per prætorem, id eſt ex edicto prætoris, præſtatione legatorum, & fideicommiſſorum pro rata; *l. libertus* 20. §. † *libertus, & ſeq., de bon. libertor. l.* 1. *C. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul.* & ita reſciſſo teſtamento pro parte per querelam inofficioſi, heres legatis & fideicommiſſis exoneratur pro parte; *l. cum duobus, C. de inoffic. teſtam. l. etſi contra, de vulgar. & pupillar.* ita & heres partem tantum ferre debet de eo, quod ei dandum erat conditionis implendæ cauſa, & ſi totum id ſolutum ſit, pro rata reddere debet: qui gravatur in uno, relevandus eſt in alio; *l. jure ſuccurſum eſt, de jur. dot. l. cum pater, §. cum exiſtimaret, de legat.* 2. *l. in ratione* 11. §. *Imperator, ad leg. falcid.* Diverſum eſt, & hinc incipit ſecundus caſus, ſi falcidia interveniat & minuat legatum relictum Titio, ſi decem heredi daret, hoc caſu ſi legatarius tota decem det heredi conditionis implendæ cauſa, non poteſt repetere partem de illis decem, pro rata ejus quod detractum eſt de legato per falcidiam, quia in ſolidum conditioni paretur, id eſt parendum eſt: conditio eſt individua, & conſequenter in totum implenda eſt, nec prodeſt fuiſſe impletam ex parte, niſi cum ex conjectura voluntatis diviſio conditionis induci poteſt; *l. qui duobus, l. qui heredi, §. ult. l. cui fundus, h. tit. l. ſi heredi plures, de condit. inſtit. l. fiſtulas, §. qui fundum, de contrah. empt.* Si cui fundus legatus ſit ſub conditione, ſi decem dediſſet, quamvis falcidia legatum deminutum ſit, tota decem ſolvere debet; in toto enim fundo legatarius habetur; *l. ad veterani, ad leg. falcid.* Tertius caſus, ſi Titio legetur ſub conditione dandi decem heredi, jus dandi ſcinditur, id eſt onus dandi decem conditionis implendæ cauſa ſcinditur, id eſt remittitur pro parte, ſi is, cui legatum eſt, non poteſt partem hereditatis totam capere. Pone partem hereditatis vel bonorum legatam, quod licet de jure; *l. ſi quis bonorum, l. ex omnibus, §. ult. de legat.* 1. *l. cum autem, de legat.* 2. *l.* † *ei, qui non amplius, de mort. cauſ. donat.* nam hoc caſu is partem decem, id eſt quinque, præſtat, partem ſeu quinque illi, qui auferunt ab eo quod plus relictum eſt, quam a lege conceditur, puta ſubſtitutis legatario ſi capere non poſſit pro parte vel in totum; *d.* † *l. ei, qui.* Quartus caſus eſt, e duobus heredibus ſcriptis; unus rogatus eſt tibi hereditatem reſtituere, tu Titio certam ſummam, heres, qui rogatus erat, tibi partem hereditatis reſtituit, deducta falcidia id eſt quarta Pegaſiana ſeu Trebellianica, quæ falcidiæ appellatione continetur, quia comparata eſt ad exemplum falcidiæ, quanto minus heres præſtiuit, propter deductionem

nem falcidiæ, tanto minus te Titio præſtare non eſt iniquum, id eſt æquum eſt, ex *hac l. & l. pœnales*, §. † *pen. ad l. falcid. l. facta*, §. *ſi Titius*, infr. *ad Trebell.* quia fideicommiſſarius non poteſt onerari ultra vires fideicommiſſi; *l. filiusf.* §. *apud Marcellum*, *de legat.* 1. *l. Imperator*, *de legat.* 2.

L. 44. † usqu. ad §. 4.

SI legetur Titio ſub conditione dandi decem heredi, ſervo alieno herede inſtituto, legatarius non domino, ſed ſervo inſtituto dare debet, nam & qui juſſus eſt ſervo Titii dare alio herede inſtituto, non liberatur aliter, quam dando ipſi ſervo, quia ea quæ ſunt facti non transeunt a ſervo ad dominum, ex *init. h. l.* ea quæ ſunt facti cohærent perſonæ ejus qui facere debuit, nec transeunt ad heredem; *l. quod dicitur* 130. infr. *de V. O.* §. *ſed cum factum*, *inſt. de ſtipulat. ſerv. l. ſi ſtatulibera*, §. *ult. de ſtatulib.* Conditiones implendæ ſunt in forma ſpecifica, uti conceptæ ſunt, & conditiones non ſunt ambulatoriæ, ut eleganter ait Papinianus in *l. ſervus ſi heredi*, infra, *de ſtatuliber.* id eſt conditiones, quæ ſunt facti, implendæ in quo ut implerentur teſtamento cautum eſt: quemadmodum ſi ſtipuletur mihi dari, aut ſervo Titii, non Titio, ſed ejus ſervo dari poteſt. Et ſi quis ſtipuletur ſibi aut Titio dari, ſoli Titio non etiam ejus heredi ſolvi poteſt; *l. cum quis*, infra, *de V. O. l. ſi ſtipulatus* 81. *de ſolut.* Statuliber quidem, id eſt manumiſſus ſub conditione, puta ſi decem dederit ſervo Titii, poteſt dare etiam domino, & hoc ſpectata non tam demonſtratione perſonæ, quam dominii ratione, quæ facit ut magis ſpectetur perſona domini, quam ſervi; *d. l. ſervus ſi heredi.* Contra vero, qui juſſus eſt dare decem conditionis implendæ cauſa, non implet conditionem dando ſervo, niſi dominus conſentiat; conditio enim non poteſt impleri invito vel neſciente eo, in cujus perſona implenda eſt, ut ſubditur in *fine* † §. 3. *h. l.*

§. *cum hereditas*, † §. *ſed cum*, §. *ſi autem*, §. *ſed ſi*, *ejusd. leg.*

SI Seio res certa legata ſit ſub conditione, ſi decem dederit heredi, & heres reſtituerit hereditatem Caio ex cauſa fideicommiſſi, quæſitum eſt, reſtituta hereditate ex cauſa fideicommiſſi, an decem danda ſint heredi conditionis implendæ cauſa, an fideicommiſſario cui reſtituta eſt hereditas? Et Paulus *in hoc* §. † *cum hereditas* reſpondit, quod a legatario dandum eſt conditionis implendæ cauſa, dandum eſſe heredi, non fideicommiſſario, quia fideicommiſſarius non eſt heres, ſed vice heredis; §. *reſtituta*, *inſt. de fideicommiſſ. hered. l. poſtulante*, §. 1. infr. *ad Trebell. l. ſi filiusf.* §. 1. ſupr. *quod cum eo*, *qui in alien. poteſt. eſt*. Conditiones implendæ ſunt in perſona ejus, in quo conſtitutæ ſunt ut implerentur, quia conditiones, quæ ſunt facti, non transeunt de perſona ad aliam, ut ſcriptum eſt *in d.* † §. *cum hereditas*. Et ob id, quod conditionis implendæ cauſa datum eſt heredi, non venit in reſtitutionem fideicommiſſi, ut ſubjungitur *hic*; quia quod implendæ conditionis cauſa datur, non ex teſtamento, ſed mortis cauſa capitur; *l. Mævius*, infra *h. tit. l. mortis cauſa* 31. §. *ſine donatione*, *de mort. cauſ. donat. l. ſi quis ſub conditione*, *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* ac proinde non imputatur in falcidiam; *l. id autem*, *l. in quartam*, §. *ult. l. acceptis*, infra, *ad l. falcid.* licet imputetur in quartam Trebellianicam; *d. l. in quartam*, *verſ. ſed & quod*, quia occaſione hereditatis capitur, ut innuit *gloſſ. hoc loco*. Quod ſi heres ſuſpectam hereditatem dixerit, & coactus adierit & reſtituerit, dubitatum eſt, an ei auferendum ſit quod ei datum eſt a legatario conditionis implendæ cauſa? Sed benignius ſeu æquius eſſe, ait Paulus *hic* † in §. *ſed cum*, nihil ei auferri. Dubitationem movebat, quod heres rogatus, qui ſuſpectam hereditatem dixit, & coactus adiit & reſtituit,

Digitized by Google

amittit quartam & omne commodum, quod ex ea hereditate capere potuit; *l.* 4. *l. ita tamen*, §. *qui ſuſpectam*, *l. ſi patroni*, §. *qui fideicommiſſam*, infra, *ad Trebell.* §. † 6. *verſ. ſed ſi recuſabat*, *inſtit. de fideicommiſſ. hered.* ergo videbatur heredem, qui coactus adiit & reſtituit hereditatem ex cauſa fideicommiſſi, non retinere quod conditionis implendæ cauſa ei datum eſt: multo fortius obſtabat *l. is, cui, de condict. indebit.* in qua is, cui tota hereditas reſtituta fuit, ac præterea legatus fundus, ſi decem heredi dediſſet, quod datum eſt heredi conditionis implendæ cauſa, condicere poteſt condictione indebiti, ſi heres acceptis decem ſuſpectam hereditatem dixerit & coactus adierit: ſed ſi credimus *gloſſæ*, *hæc* eſt de benignitate id eſt de æquitate: *l. is, cui* de rigore juris: vel ſi mavis ſequi ſententiam Antonii Fabri in *d. l. is, cui*, heres, qui coactus adiit & reſtituit hereditatem, una reſtituit & fundum legatum, quia erat hereditatis: nihil enim vetabat fideicommiſſum conſtitui de tota hereditate reſtituenda præcepto aliquo fundo hereditario, & pariter propter coactionem ab eo condicitur quaſi indebitum quod conditionis implendæ cauſa datum eſt a fideicommiſſario. Heres inſtitutus, a quo legata relicta ſunt, ſi ei fiat controverſia hereditatis, puta ſi teſtamentum falſum dicatur, interim tenetur præſtare legata, oblata ſc. cautione evicta hereditate legata reſtitutum iri cum omni ſua cauſa, id eſt cum uſuris & fructibus, ut oſtenditur in *h.* §. † *ſi autem*, *l. ſi teſtamentum*, *de petit. heredit. l. ult. C. eod. l.* 3. §. *ſi legatarius l.* 4. *init.* infra, *ſi cui plusquam per leg. falcid. l. ſi in fraudem*, *C. de legat.* Quod ſi heredi inſtituto, cui ſit controverſia hereditatis, legatarius caveat evicta hereditate reddi legatum, & ipſi cavendum eſt ab herede reddi quod datum eſt conditionis implendæ cauſa, ut definitur in *h.* §. † *ſi autem*; quia non debet eſſe durior conditio legatarii, quam heredis quoad onus præſtandæ cautionis, cum commune ſit periculum evictionis hereditatis, nec una & eadem res debet diverſo jure cenſeri; *l.* † *eum qui*, *in fin.* infr. *de uſucap. cap. cum in tua*, *de decim. can. cognovimus*, 12. *qu.* 2. Quod ſi heres rogatus ſit reſtituere hereditatem Caio acceptis decem, quæſitum eſt an illa decem, quæ conditionis implendæ cauſa data ſunt, reſtituar ex cauſa fideicommiſſi? Et Paulus ait *in* † *h.* §. *ſed ſi*, quod conditionis implendæ cauſa datum eſt heredi a fideicommiſſario, non venire in reſtitutionem fideicommiſſi, quia quod conditionis implendæ cauſa datur heredi, non capitur jure teſtamenti, jure hereditario, ſed mortis cauſa. Nec obſtat, quod heres, qui coactus adiit & reſtituit hereditatem, amittit quartam & omne commodum, puta prælegatum, vel quod conditionis implendæ cauſa datum eſt; *d. l. is, cui*, *d. l. ita tamen*, §. *ſi præceptis*, quia *hæc l.* eſt de herede, qui ſponte adiit hereditatem, aliæ vero *ll.* ſunt de herede, qui coactus adiit & reſtituit hereditatem, ex quo fit, ut omne commodum amittat.

§. *ſi duorum*, *eiusd. l.*

SI Sticho ſervo communi duorum fundus legatus ſit, ſub conditione dandi decem heredi, non poſſe per partes conditioni pareri quidam ajunt, quia ſc. conditiones ſunt individuæ, & conſequenter non poſſunt impleri pro parte; *l. qui duobus*, † ſupr. *l. cui fundus*, infr. *h. tit.* Paulus *hic* contrarium putat. Ratio eſt, quia ſervus communis duorum dominorum, duorum ſervorum vicem ſuſtinet; *l.* 1. §. *communis*, infra, *de ſtipulat. ſervor.* Sed ſi duobus eadem res legata ſit ſub conditione dandi decem, per partes poteſt pareri conditioni, quia conditio ex voluntate teſtatoris diviſa intelligitur in ſingulas perſonas, ex quo pluribus appoſita eſt; *l. ſi quis legata*, §. *ult. l. cui fundus*, infra *h. tit. l. reos*, §. 1. infr. *de* † *duob. reis*.

§. *ſi*

§. *ſi pars, ejuſd. leg.*

SI fundus Titio legatus ſit ſub conditione, ſi decem heredi dediſſet, & interim, id eſt ſuperſtite teſtatore, pars fundi legati uſucaptus ſit, quæſitum eſt, an legatarius teneatur parere conditioni in ſolidum? Et Paulus ait in *hoc* §. poſſe dici pro parte parendum, ex ſententia id eſt voluntate teſtatoris, quia in conditionibus maxime ſpectatur voluntas teſtatoris, eaque regit conditiones; *l. in conditionibus*, ſupr. *h. tit.* & legato fundo ſub conditione dandi decem, & parte fundi uſucapta vivo teſtatore, teſtator non intelligitur voluiſſe pareri conditioni in ſolidum, ſed pro parte tantum reſidua fundi: quemadmodum ſi teſtator partem fundi alienaſſet, non eſſet parendum conditioni, niſi pro reliqua parte fundi; *arg. l. ſi ex toto*, ſupr. *de legat.* 1. alienare enim intelligitur qui patitur uſucapi; *l. ſi fundum*, ſupra, *de fund. dotal. l. alienationis*, infra *de V. S.*

§. *ult. ejuſd. l.*

SI heredi ex parte legatum ſit, is partem legati capit a ſemetipſo jure hereditario, partem a coherede jure legati; *l. legatum eſt*, §. 1. ſupr. *de legat.* 1. *l. miles ad ſororem*, §. 1. *de legat.* 2. *l. in quartam*, inſr. *ad leg. falcid.* Sed ſi coheredi prælegatum ſit ſub conditione, ſi centum heredibus dediſſet, ex illis centum deducet partem hereditariam. At ſi heres inſtitutus ſit ex parte ſub conditione, ſi decem heredibus dediſſet, tota decem præſtare debet coheredibus, quia non aliter admittitur ad hereditatem, quam tota decem dando. Ut ſi ſervus proprius teſtatoris ex parte heres ſcriptus ſit cum libertate, ſub conditione, ſi decem heredibus dediſſet, non aliter fit liber & heres, quam ſi tota decem coheredibus dederit, *ex hoc* §. is enim, cui hereditas vel legatum relinquitur, non poteſt adire hereditatem vel agnoſcere legatum ante impletam conditionem; *l. ei qui ita*, ſupr. *de condit. inſtitut.*

L. 45.

SI legatarius, cui legatum eſt ſub conditione, ſi decem heredi dediſſet, heredi accepto tulerit decem, quæ ei debebantur ab herede, non quidem videtur conditioni paruiſſe, quaſi decem dederit, quia conditiones implendæ ſunt in forma ſpecifica, id eſt eo ipſo modo quo teſtator juſſit; *l. proxim. in princ.* & §. 1. *l. Mevius*, inſr. *h. tit.* acceptilatio, licet habeat vim ſolutionis, quia acceptilatione ſolvitur obligatio; *l.* 1. infra, de *acceptilat.* non eſt proprie ſolutio, ſed poteſt petere legatum quaſi extiterit conditio, cum per heredem ſtet quominus impleatur per acceptilationem, *ex hac l.* & *l. ſi fundum* 81. §. *Titio*, ſupr. *de legat.* 1. *l. Julius*, *in fin.* inſr. *h. tit.* quia conditio pro impleta habetur, ſi per eum ſtet, in cujus perſona implenda eſt, quominus impleatur; *l. jure civili*, ſupr. *h. tit.* Immo conditio impletur per æquipollens, quando idem reſultat effectus, ut conditio appoſita legato, ſi decem heredi dediſſet, impletur per acceptilationem ejuſdem quantitatis, quæ debebatur, quia nihil intereſt utrum aceptilatione an numeratione pecunia perveniat ad heredem; *l. ſi mulier* † 10. *de condict. cauſ. dat.*

L. 46.

SI Stichus ſervus manumiſſus ſit ſub conditione, ſi in diem centeſimum centum daret heredi, nec adjectum quando tempus inciperet currere, dies cedere incipit ab adita hereditate, quia abſurdum viſum eſt ante diem præterire, quam is exiſteret, quem oporteret accipere, id eſt antequam heres ſcriptus,

Digitized by Google

cui decem danda erant, adiiſſet hereditatem. Idem eſt in legatario & aliis omnibus, qui dare juſſi ſunt conditionis implendæ cauſa, ita ut eis non computetur tempus ad parendum conditioni, niſi ab adita hereditate, *ex hac l.* Nec obſtat, quod legatum pure vel in diem certum relictum cedit a morte teſtatoris, excepto legato uſusfructus, uſus, & habitationis, cujus dies non cedit, niſi ab adita hereditate; *l. 2. l. ſi habitatio*, infr. *quand. dies legat. ced. l. unic. §. in noviſſimo*, §. *libertatibus*, *C. de caduc. tollend.* legati enim puri, vel in diem certum, dies quidem cedit a morte teſtatoris: ſed legati actio non datur, niſi ab adita hereditate *l.* † *7. init. d. tit. quand. dies legat. ced.* quia nulla actio poteſt eſſe in heredem ante aditam hereditatem. Effectus tamen hujus ceſſionis eſt, quod ſi poſt mortem teſtatoris legatarius deceſſerit, etiam nondum adita hereditate, legatum transmittit ad heredem; *d. l. 7.* Et ſtatulibero, vel legatario, quibus libertas, vel legatum relictum eſt ſub conditione dandi decem intra diem centeſimum, dies cedere incipit, non a die mortis, ſed ab adita hereditate, quia abſurdum eſt tempus ante currere, quam exiſtat heres cui ſolvatur: mora non committitur ſi nemo ſit cui pecunia ſolvetur; *l.* † *pecuniæ*, *in fin.*, ſupr. *de uſur.*

L. 47.

SI teſtator Sticho ſervo libertatem ita dederit, *Stichus ſi meus erit*, ſubaudi cum moriar, *liber eſto*, & poſtea eidem hereditatem vel legatum relinquat ſine conditione, & poſtea eundem alienaverit, hereditas vel legatum debetur novo domino, & juſſu ejus poteſt adiri hereditas, vel agnoſci legatum per ſervum, ex *hac l. & l. qui filio*, §. *ſi quis ſervum*, *de hered. inſtit.* Ratio dubitandi erat, quod conditio adjecta in danda libertate, *ſi meus erit cum moriar*, videtur repetita in hereditate vel legato relicto eidem ſervo ſine conditione; *l. avia*, infra, *h. tit.* At ſervus non invenitur teſtatoris tempore mortis propter alienationem, igitur cum deficiat conditio expreſſa in danda libertate, videtur etiam deficere in hereditate, vel legato. Tamen hereditas vel legatum debetur novo domino, quoniam conditio, *ſi meus erit*, quæ tacite ineſt, ſi fuerit expreſſa non intelligitur repetita, alioquin fruſtra & inutiliter eſſet expreſſa. Unde efficitur, quod conditio nuptiarum expreſſa in legato dotis, non intelligitur repetita in alio legato, quia tacite ineſt, neque enim dos ſine matrimonio eſſe poteſt; *l. 3.* ſupr. *de jur. dot.* & ita conſuluit Romanus *conſil.* 134.

L. 48.

SI cui legatum, vel fideicommiſſum relictum ſit cum erit annorum *16.* vel cum erit annorum 14. dies legati vel fideicommiſſi non cedit ante impletum *16.* vel 14. annum. Fideicommiſſum relictum impuberi ſolebat conferri in tempus pubertatis, ne lubrico tutelæ bona committerentur; *l. Seius Saturninus*, infr. *ad Trebell. l. nomen*, §. † *uni*, *de legat. 3. l. ult. de fideic. libertat.* ex decreto Antonini Pii judicantis in cauſa appellationis ex Germania, ut ſcribit Marcellus in *hac l. & in l. ſi cui legetur*, ſupr. *de legat.* 1. Contrarium judicatum decreto Antonini Caracallæ, ſatis eſſe ſi inchoaverit annum; *l. qui filium*, infr. *ad Trebellian.* ſed obtinuit decretum Antonini Pii: & hoc eſt quod inſinuat Ulpianus ex Marcello in *d. l. ſi cui: certo jure utimur*, & idem probatur ex *l. pen. C. quand. dies legat. ced.* ex qua, ſi filiæ decem legata ſint ſolvenda, cum ad legitimam ætatem pervenerit, legatum purum eſt, non conditionale: nec tam conditione, quam mora ſuſpenditur, non conditio legato inſerta, ſed petitio in diem dilata videtur: & ideo ſi filia poſt mortem teſtatoris ante diem vita functa ſit, legatum transmittit ad heredem, nimirum ut eo tempore ſolvatur, quo filia ſi viveret 25. annum impleſſet, non cœptum

Digitized by Google

ptum enim annum, ſed impletum, ſi de emolumento id eſt adquiſitione relicti legati tractetur, expectandum eſſe, juris prudentibus placuit. Multum intereſt, an quis legaverit Titio decem *cum* † *annorum* 14. *vel* 15. *erit*: an ſolvenda *cum pervenerit ad annum* 14. *vel* 15. primo caſu legatum eſt conditionale, & legatario ante diem mortuo non transmittitur ad heredem; *d. l. ſi cui legetur*, §. † *hoc autem*, † *& l.* 22. *quand. dies legat. ced.* poſteriore autem caſu legatum eſt purum, nec tam conditione, quam mora ſuspenditur, & hanc ob cauſam, legatario ante diem e vivis ſublato, transmittitur ad heredem, ut in *d. l. pen. & in l. heres meus*, infr. *h. tit.* In legatis & fideicommiſſis annus inceptus non habetur pro completo: ſecus in favorabilibus, puta in legatis annuis alimentorum cauſa, vel in ſolatiis vel ſalariis officialium, vel in muneribus & honoribus, vel in libertatibus, annus cœptus habetur pro completo. Puta ſi cui annua decem vel centum legata ſint alimentorum cauſa, & legatarius deceſſerit initio anni ejus, anni legatum integrum debetur heredi; *l.* † *a vobis*, *l. filiæ*, ſupr. *de annuis legat. l.* 1. *C. quand. dies legat. vel fideic. cedat.* Idem eſt in ſolatiis ſeu ſalariis officialium; *l. diem functo*, ſupr. *de offic. adſeſſor. l. ſed addes*, §. *ult. locat. l. poſt duos*, §. 1. *C. de advocat. diverſ. judicior. l. lege pragmatica*, *C. de domeſtic. & protector. l. ſi quis in ſacris*, *C. de prox. ſacror. ſcrinior. l.* 3. *C. de agentib. in reb.* In muneribus & honoribus municipalibus requiritur ætas 25. annorum, ſed favore honorum in his annus cœptus habetur pro completo; *l. ad rempubl.* infr. *de munerib. & honorib.* Et favor libertatis etiam, ut ſi Sticho libertas relicta ſit duodecimo anno poſt mortem teſtatoris, libertas debeatur ab initio ejus anni; *l. ſi ita fuerit* 41. *l. libertas*, *de manumiſſ. teſtament.* Secus in contractibus, qui hoc anno vel menſe ſibi dari ſtipulatus eſt, ex ſtipulatu agere non poteſt, niſi toto anno vel menſe præterito; *l. qui hoc anno*, infr. *de V. O.* Et qui certis nundinis dari ſtipulatus eſt, non poteſt agere ex ſtipulatu, niſi extremo nundinarum die; *l.* † *eum qui* 138., *eod. tit.* Non omittendum quod memoratur *hac in lege*, Antoninum † judicaſſe ad appellationem ex Germania: Principes enim ſolebant judicare de quibusdam cauſis extra ordinem adhibito conſilio jurisperitorum; Tranquill. in Claudio cap. 15. *Alium interpellatum ab adverſariis de propria lite, negantemque cognitionis rem, ſed ordinarii juris eſſe, agere cauſam confeſtim apud ſe coegit.* A præſidibus provinciarum ad Principem appellatum conſtat ex *l. Æmilius*, *de minorib. h. l. & l. ſi qui*, §. 1. *l. Imperatores*, *de appellat. l. a proconſulibus*, *C. eod. l. ult.* infr. *ad Trebell. l. in honoribus*, §. *ult. de vacat. & excuſat. muner. l. maritus*, *in fin de quæſtionib.* Sed poſtea propter occupationes Principis, appellationes rejectæ ad ſenatum.

L. 49.

SI in annos decem Seio centum legata ſint, vel Stichus liber eſſe juſſus ſit, legatum centum, vel libertas non debetur, niſi noviſſimo ejus temporis die, ex *hac l.* quia perinde eſt & ſi legatum eſſet poſt annum decimum. Aliud eſt ſi legatum relictum ſit in annos ſingulos, legatum enim debetur ab initio cujusque anni, & ſi legatarius deceſſerit initio anni, legatum integrum ejus anni transmittit ad heredem; *l. a vobis*, *l. in ſingulos*, *l. filiæ*, ſupr. *de ann. legat. l.* 1. *C. quand. dies legat. vel fideic. cedat*, *l.* † 58. *ſupr. de uſufr.* Sicut legatum in hunc annum vel annum decimum peti non poteſt, niſi poſt annum vel decennium: ſic ex ſtipulatione hoc anno, agi non poteſt ante annum impletum; *l. qui hoc anno*, *de V. O.* Cujac. *ad l.* 99. *de V. S.*

L. 50.

SI Epaphrodito, id nomen erat ſervo actori, libertas directo relicta ſit ſub conditione, ſi rationes reddiderit, aditi conſules in urbe arbitrum dabant ex conſtitutione D. Pii. (conſules ſc. in urbe cognoſcebant de ratiociniis tutelæ, & cujuslibet actus, non proprio jure magiſtratus, ſed lege ſpeciali, ut conſtitutione D. Pii. Etiam conſules habuere jus dandi tutores; *l.* 1. §. 1. ſupr. *de confirm. tut. l. tutores*, §. *tutores*, *de adminiſtr. tut.* §. † *ſed ex his*, *inſt. de Atilian. tut.* ubi dixi. Plin. libr. 9. epiſt. 13. *Cornutus*, *datum ſe a conſulibus tutorem Helvidii filiæ*, *petentibus matre ejus & vitrico*. Non modo & inde cognovere de rationibus tutelæ, vel alterius actus.) Conſules, inquam, arbitrum dabant, qui excuſſis rationibus reliqua conſtituet, id eſt p.r ſententiam declarabit quæ ſint reliqua, & ea præſtari faciet, verum etiam quas rationes, quæve inſtrumenta tradere, aut exhibere domino debeat: cujus ſententiæ cum fuerit ſatisfactum, non impeditur ejus libertas, ex *h. l.* Servus ſc. manumiſſus ſub conditione rationum reddendarum, non prius aſſequitur libertatem, quam rationes reddiderit, & reliqua præſtiterit, & inſtrumenta rationum tradiderit domino; *l. quamvis*, ſupr. *l. cum ſervus*, infr. *h. tit.* Interdum magiſtratus dabant arbitrum litis inſtruendæ cauſa, ut *hic*, & *l. ſi pure*, infr. *de fideic. libert. l. pen. de liberal. cauſ. l. ult. de judic.*

L. 51.

SI Stichus liber eſſe juſſus ſit ſub diverſis conditionibus disjunctim poſitis, id eſt ſeparatim in diverſis partibus teſtamenti, hoc modo, Stichus liber eſto, ſi decem dederit heredi; idem ſi equum, vel quid aliud dederit: eam conditionem eligere poteſt, quæ ſibi levior & facilior erit, idque favore libertatis. Quod ſi cui legatum eo modo, id eſt eodem modo relictum ſit, electio non eſt legatarii cui conditioni pareat, ſed noviſſimæ conditioni parendum

†† V. ſi facit, & ade *l.* 90. *h. tit.*

eſt, ex *h. l.* & † *l. in libertatibus*, *l.* †† *quod vulgo*, *de manumiſſ. teſt.* quæ ſunt veluti commentarii *h. leg.* quia in teſtamentis ſpectatur noviſſima voluntas defuncti; *l. ſi quis* † *eum*, *in* pr. *de vulg. & pupill. l. ſi mihi & tibi*, §. *ult. de legat.* 1. Quod ſi Stichus manumiſſus ſit ſub pluribus conditionibus conjunctis, omnes impleri oportet. In conditionibus conjunctim adſcriptis, omnes implendæ ſunt, quia unius loco habentur. In conditionibus disjunctivis unam impleri ſufficit; *l. cum pupillus*, §. 1. infr. *h. tit. l. ſi heredi plures*, *de condit. inſtit.* §. *ſi plures* 11. *inſt. de hered. inſtituend. l. ſi quis ita ſtipuletur*, *l. ſi quis ita ſtipulatus*, infr. *de V. O.*

§. *heredi*, *ejusd. l.*

SI Stichus manumiſſus ſit ſub conditione, ſi decem heredi dederit, conditio impleri poteſt dando heredis heredi, ut oſtenditur in priori parte *h.* §. & *l. cum ita datur*, §. *ult.* infr. *h. tit. l.* 6. †. §. *ult. l. ſi peculium*, §. *heredi*, infr. *de ſtatulib.* quia heres heredis eſt heres teſtatoris; *l.* 3. ſupr. *de petit. hered. l. qui per ſucceſſionem*, *de R. J. l. ult. C. de hered. inſtit.* etſi ex judicio teſtatoris non eſt ejus heres; *l. qui liberis*, §. *ult.* ſupr. *de vulgar. & pupill.* Aliud eſt in perſona legatarii, ut ſcriptum eſt in ſecunda parte *h.* §. id eſt, ut rectius mihi videtur *gloſſa* interpretari, omiſſa ſententia Joannis, ſi legatarius juſſus ſit decem dare heredi, conditionis implendæ cauſa, ſi legatarius ipſe non dederit, jus & poteſtas implendæ conditionis non tranſmittitur ad heredem, quia conditio defecit in perſona legatarii: & ita ſi legatum Titio relictum ſit,

ſi vo-

Digitized by Google

ſi volet, legatum non tranſmittitur ad heredem legatarii, niſi ipſe legatarius agnoverit legatum, quia conditio perſonæ injuncta videtur; *l. ſi ita expreſſim*, infr. *h. tit. l. ſi ita legatum*, §. 1. ſupr. *de legat.* 1. id eſt conditio cohæret perſonæ legatarii, cui injuncta eſt, niſi aliud teſtator ſenſerit; *d. l. ſi peculium*, §. *heredi*. Idem eſt in herede fideicommiſſarii etiam univerſalis, ſi heres rogatus acceptis centum reſtituere partem hereditariam Titiæ coheredi ſuæ, adita hereditate deceſſerit, pariter & Titia priusquam daret centum coheredi, heres Titiæ offerendo centum non aſſequitur fideicommiſſum, quia conditioni parere non poteſt; *l. a teſtatore*, infr. *h. tit.* Conditiones ſui natura cohærent perſonæ, nec egrediuntur perſonam, in qua primum conſtitutæ ſunt; *l. qui Romæ*, §. *Agerius*, *de V. O.*

L. 52.

INterdum quædam expreſſa nocent, non expreſſa, quamvis tacite intelligantur, non nocent. Puta legatum non poteſt conferri in expreſſam voluntatem alterius. Veluti, *ſi Mævius voluerit*, *Titio decem do lego*. Tamen tacite in alienam voluntatem conferri poteſt. Veluti, *ſi Mævius Capitolium aſcenderit*, *Titio decem do lego*. Unde ducta eſt regula *expreſſa nocent*, *non expreſſa non nocent*, ex *hac l.* & *l. actus legitimi*, *l. expreſſa*, infra, *de R. J.* Idem obtinuit in inſtitutione heredis; *l. ſi quis Sempronium*, ſupr. *de hered. inſtit.* nimirum plus poteſt figura conditionis expreſſa, quam tacita, ut probatur *hic*, & *l. ſervo libertatem*, ſupr. *h. tit. l. ſi ita legatum*, §. 1. ſupra, *de legat.* 1. *l. in ratione* 30. §. *tametſi*, infra *ad l. falcid.*

L. 53.

SI quis ſervum teſtamento manumiſerit, ſub conditione, ſi rationes reddiderit, & poſtea eodem teſtamento eum rationes reddere vetuerit, quaſi puram facturus ei libertatem, id eſt animo manumittendi eum ſine conditione, libertas ei competit ex teſtamento, id eſt actione ex teſtamento, quaſi pure libertas relicta eſſet, ſine onere rationum reddendarum, ex *hac l.* quia conditio nuda voluntate eodem teſtamento dari vel adimi, id eſt remitti, poteſt; † *l.* 3. §. *conditio*, ſupra, *de adimend. legat.* Opponitur *l. alumnæ*, §. *Seia*, alias *ab heredibus*, *eod. tit.* ubi adempto onere, tacite ademptum videtur legatum: ſed ibi adempto onere, legatum tacite adimitur, quia legatum relictum erat propter onus injunctum in vim modi, ut corpus defuncti curaret. At *hic* onus rationum reddendarum eſt in vim conditionis, unde adempta conditione, non tollitur legatum, ſed conditio purificatur, ac perinde eſt, ac ſi legatum pure relictum eſſet.

L. 54.

TEſtator plura legata teſtamento reliquit, alia nonnullis pure, alia aliis in diem, alia aliis ſub conditione, & filio impuberi legavit centum cum pubes eſſet, & poſtea legata, quibus dies appoſitus non eſſet, annua, bima, trima die, id eſt tribus penſionibus dari juſſit: quæſitum eſt, an legatum relictum filio impuberi cum pubes eſſet, præſtandum ſit poſt pubertatem annua, bima, trima die? † Gajus in commentariis ſuis ſcripſit, hujusmodi legatum relictum filio impuberi cum pubes eſſet, in vim hujus clauſulæ, ei ſolvendum poſt pubertatem, annua, bima, trima die, quia legatum collatum in tempus pubertatis magis conditionem, quam diem continet, quia eſt relictum quaſi in diem incertum, qui efficit conditionem; *l. ſi dies*, infra, *quand. dies legat. vel fideic. ced.* Contra Javolenus *hic* cenſuit, legatum impuberi relictum, cum pubes erit, ſtatim poſt pubertatem ſolvendum una ſolutione, nimirum quia

Digitized by Google

clauſula iſta, *legata*, quibus dies appoſitus non eſt, *annua*, *bima*, *trima die dari volo*, non pertinet ad legatum collatum in tempus pubertatis, quia hujusmodi legatum cum pubes erit, non conditione, ſed mora ſuſpenditur; *l. heres meus*, infra, *h. tit.* non conditio legato inſerta, ſed petitio in diem dilata videtur; *l. ex his verbis*, *C. quand. dies legat. vel fideic. cedat*, & ut ait *lex*, legato, *cum pubes erit*, dies fere id eſt fere ſemper apponitur ad prorogands ea, quæ ad præſens tempus, non etiam quæ in futurum legata ſunt, id eſt, ut interpretor, legato puro dies apponitur prorogandæ, & differendæ ſolutionis cauſa potius, quam conſtituendæ conditionis cauſa, quæ ſolet concipi in futurum. Et quod ſequitur in fine *init. h. legis*, dies pubertatis habet aliquam temporis demonſtrationem, futuri ſc. id eſt dies pubertatis appoſitus legato, magis demonſtrationem futuri temporis, quam conditionem continet, & teſtator magis demonſtrare tempus futurum, quo ſolvendum eſſet legatum, quam conditionem injeciſſe videtur. Denique talis clauſula, *legata*, quibus dies appoſitus non eſt, *annua*, *bima*, *trima die dari volo*, ad ea tantum legata pertinet, quibus dies appoſitus non eſt, ac proinde ſi pure legatum, ex hac adjectione prorogatur; *l. talis ſcriptura*, §. 1. ſupra, *de legat.* † 1.

L. 55.

SI Mævio fundus legatus ſit ſub conditione, ſi centum dederit Callimacho; cum quo teſtamenti factio non erat, id eſt qui non poterat capere ex teſtamento, puta deportato; *l. 1. C. de hered. inſtit.* conditionis implendæ cauſa debet centum dare Callimacho, licet nummos non faciat accipientis: nihil enim intereſt, quoad implendam conditionem ſc. utrum incapaci dare jubeatur, an aliquo loco, puta in trivio, vel in foro deponere, vel in mare dejicere: quod enim conditionis implendæ cauſa datur heredi vel alii, non ex teſtamento, id eſt jure hereditario, ſed mortis cauſa ex nuda voluntate dantis capitur, ex *hac l. l. id autem*, *ad l. falcid. l. ſi quis ſub conditione*, *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* quamvis quod conditionis implendæ cauſa datum eſt patrono imputatur in portionem debitam, quia etſi non præſtetur ex judicio defuncti, patronus accipiendo agnoſcit judicium defuncti; *l.* 8. §. *quare*, infra, *de bon. libertor.* Proinde non ſpectatur, an is, qui capere debet conditionis implendæ cauſa, ſit capax de jure pecuniam acceptam ſuam faciendi, ſed ſufficit ut ſit capax de facto pecuniam traditam accipiendi, licet ſuam non faciat, & propter incapacitatem ea ſtatim ei auferatur a fiſco. Quia conditiones, quæ facti ſunt magis, quam juris, implendæ ſunt in forma ſpecifica, ut probatur ex *hac l. & l. qui heredi*, ſupra *h. tit.* Nec obſtat *l. ſervus decem*, infr. *de ſolut.* ex qua ſi ſervus manumiſſus ſit ſub conditione ſi decem pupillo vel furioſo dederit, conditio non impletur, ſi det pupillo vel furioſo ſine tutore vel curatore: hoc enim ſpeciale eſt ut conſulatur pupillo & furioſo, ne datio ex illorum imbecillitate pereat, ut ait *ipſa lex*, id eſt ne pecunia detur perdituris.

L. 56.

Dixi in *l.* 44. §. *ſi duorum*, ſupr. *h. tit.*

L. 57.

SI Stichus manumiſſus ſit ſub conditione ſi quinque operas extraneo daret, quæſitum eſt, an talis conditio ſit recipienda? Ratio dubitandi erat, quod quæ libertatis onerandæ cauſa liberto impoſita ſunt non debentur; *l. 1. §. quæ onerandæ*, infra, *quar. rer. act. non datur*, *l. ſi quam*, *C. de oper. libertor.* Sed que-

quemadmodum ſervus manumitti poteſt ſub conditione, ſi pecuniam dederit, ita & idem manumitti poteſt ſub conditione, ſi operas tot præſtiterit, quia nihil intereſt utrum ſervus manumiſſus ſit ſub conditione dandi vel faciendi: conditiones dicuntur conſiſtere in facto, quæ conſiſtunt in dando vel faciendo; *l. in facto*, infr. *h. tit. l. ſervus decem*, infr. *de ſolut.* nec operæ libertatis onerandæ cauſa liberto impoſitæ intelliguntur, cum conditio operarum impoſita ſit in ipſo actu manumiſſionis, non onerant libertatem, quæ imponuntur in actu manumiſſionis, vel in continenti, ſed quæ imponuntur ex intervallo poſt manumiſſionem; *d. l.* 1. §. † *in ſumma*. Quod ſi heres impediat ſervum quominus præſtet operas, conditio pro impleta habetur, quia per heredem ſtat quominus impleatur, & quaſi impleta conditione ſervus liber efficitur, ex *hac l.* ſed heres tenetur actione in factum ei, cui pecunia vel operæ præſtari debuerant; *l.* 3. §. *ult.* ſupr. *de condict. cauſ. dat.* ac proinde quod dicitur in fine *hujusce legis*, ſapienter facturum heredem, ſi impedierit ſervum ne præſtet nummos peculiares conditionis implendæ cauſa, per ironiam dictum ait *gloſſa hoc loco*. Satis enim ſtultum eſt heredem vetare ſervum ne præſtet pecuniam conditionis libertati adjectæ implendæ cauſa, cum ſciat ſe teneri actione in factum ei, qui pecuniam capere debuit, nec poteſt dici ſapienter feciſſe heres, qui dolo facit ne voluntati teſtatoris pareatur. Nec ferendus Anton. † Faber, qui conjectur. *libr.* 8. *cap.* 7. negat dari actionem in factum adverſus heredem, quaſi poſtrema verba *d.* §. *ult.* ſint addita a Triboniano, nec enim leges torquendæ & truncandæ ſine magna neceſſitate.

† Quem *hic* arguit auctor, eundemque laudat infr. in recit. *l.* 110. *h. tit.* pag. 270.

L. 58.

SI ancillæ alienæ legatum ſit, cum nupſerit, utile eſt legatum: quia poteſt manumiſſa nubere, ex *hac l.* legatum ſc. habet duplicem conditionem, tacitam ſi manumiſſa ſit, expreſſam ſi poſt manumiſſionem nupſerit, & legatum confertur in id tempus, quo nuptias contrahet poſt manumiſſionem. In legato enim vel fideicommiſſo conditionali capacitas ſpectatur tempore evenientis conditionis; *l. prox. l. eum qui*, infr. *h. tit. l. cum pater*, §. *hereditatem*, ſupr. *de legat.* 2. *l.* 1. §. *ſed & ejus*, *de legat.* 3. *l. intervenit*, *de legat. præſtand. contr. tabul.*

L. 59.

SI cui legatum relictum eſt ſub conditione, & pendente conditione moriatur, legatum extinguetur, *ex hac l.* nec legatum transmittitur ad heredem legatarii; *l. ſi cui legetur*, §. *hoc autem*, † §. *& ideo*, ſupr. *de legat.* 1. *l. ſi Titio*, infr. *quand. dies legat. ced.* ſed legatum tranſit ad ſubſtitutum, vel conjunctum, jure adcreſcendi, vel ſi nullus horum ſit, legatum caducum remanet apud heredem, a quo relictum eſt; *l.* 5. infr. *quand. dies leg. ced. l. unic.* §. *ſin autem*, C. *de caduc. tollend.* Quod ſi is, cui legatum eſt ſub conditione, interim deportatus ſit, an extinguetur legatum? Et quidem videbatur legatum extingui deportatione, veluti morte civili, quia deportatio morti comparatur; *l.* 1. §. † *pen.* infr. *de bonor. poſſeſſ. contr. tabul. l.* 4. §. *ſi deportatus*, *de bon. libert.* Deportatus amittit civitatem, & bona ejus confiſcantur, & teſtamentum irritum fit; *l. ſi quis filio*, §. *ejus qui deportatur*, ſupr. *de injuſt. rupt.* Amittit jus patriæ poteſtatis; §. 1. *inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. l. ſi pater*, C. *de ſent. paſſ. & reſtitut.* Teſtamentum condere, aut ex teſtamento vel codicillis capere, non poteſt; *l. ſed ſi*, §. *ſolemus*, ſupr. *de hered. inſtit. l.* 1. C. *eod.* Denique amittit ea omnia, quæ ſunt juris civilis, & ob id ſolvitur omnibus obligationibus; *l. ſi debitori deportatio*, infr. *de fidejuſſ.* deportatione obligatio extinguitur; *l.* 2. *l. tutelas*, *de capit. minut.* Non tamen per omnia de-

Digitized by Google

portatus mortuo comparatur, licet enim civitatem amittat, retinet libertatem, & ea omnia quæ ſunt juris gentium, emit, vendit, locat, conducit, permutat, mutuum contrahit, fœnus exercet, poſt deportationem quæſitis fruitur, ſed quæſita poſt mortem fiſcus occupat; *l. deportatus*, infr. *de interdict. & relegat. l. ſi mandavero*, §. *is, cujus*, ſupr. *mandat.* Deportatione non ſolvitur matrimonium; *l.* 5. §. 1. infr. *de bon. damnat. l. res uxoris*, *C. de donat. int. vir. & uxor. l.* 1. *C. de repud.* Stipulatio ita concepta, *cum morieris dari*, morte naturali committitur, non deportatione; *l. ex ea parte*, §. *in inſulam*, ubi Cujac. inſt. *de V. O.* Et ſi heres rogatus ſit per fideicommiſſum poſt mortem reſtituere hereditatem Seio, & deportatus ſit, ſtatim deportatione non fit locus ſubſtitutioni, ſed expectanda eſt mors naturalis; *l. Statius Florus*, §. *Cornelio Felici*, infr. *de jure fiſc.* Et pater rogatus reſtituere hereditatem liberis, vel cui ex his voluerit, deportatione non amittit jus eligendi; *l. cum pater*, §. *hereditatem*, *de legat.* 2. Et ſi cui legatum eſt ſub conditione, interim deportatus ſit, legatum interim non extingui, probabilius eſſe ait Ulpianus *hic*, propter ſpem reſtitutionis, quia, inquit, reſtitui in civitatem poteſt, & reſtitutio Principis, non modo damnatum liberat pœna, ſed etiam reſtituit bonis, ſi hoc ſpecialiter beneficio Principis comprehenſum ſit; *l.* 2. *l. generalis*, *C. de ſent. paſſ. & reſtitut. l. manifeſtum*, *C. de nupt.* Et hoc eſt quod dicitur in §. *cum autem*, *inſtit. quib. mod. jus patr. poteſt.* reſtitutos ex indulgentia Principis, per omnia priſtinum ſtatum recipere ex legato vel inſtitutione conditionali, vel in diem: capacitas ſpectatur tempore evenientis diei, vel conditionis, incapacitas medii temporis non nocet, puta ſi damnatus ſit in metallum, modo ſit reſtitutus ante eventum diei, vel conditionis; *l. Ariſto*, infr. *de manumiſſis teſtament. l. ſed ſi conditioni*, §. *ſolemus*, *de hered. inſtituend. l. generaliter*, §. *ſi homini libero*, *de fideic. libert.* Aliud dicendum eſt, ſi is, cui legatum eſt ſub conditione, interim ſervus pœnæ effectus ſit, id eſt damnatus in metallum, hoc caſu legatum ſervitute pœnæ extinguitur, nec ſpectatur ſpes reſtitutionis, quia ſervitus morti comparatur, ut ſubjungitur in *fin. h. l.* Damnati in metallum ſtatim fiunt ſervi pœnæ, amittunt civitatem & libertatem, & per omnia pro mortuis habentur, & ſi quid eis legatum ſit ante damnationem, per eos non adquiritur fiſco, ſed pro non ſcripto habetur, quia damnati in metallum ſunt ſervi pœnæ magis, quam fiſci; *l. ſunt quidam*, infra, *de pœn. l. in metallum*, *de jur. fiſci.* Et ſi damnati in metallum beneficio Principis pœna liberentur, non reſtituuntur in priſtinum ſtatum, ſed fiunt ſervi fiſci; *l. fruſtra*, *C. de ſentent. paſſ. & reſtitut.*

L. 60.

TRiplex eſt genus conditionis. Alia eſt poteſtativa, quæ pendet ex voluntate ejus, cui adſcribitur, id eſt cui aliquid relinquitur ſub illa conditione, veluti, *ſi Seio decem dederit*, *ſi Stichum manumiſerit*, *ſi Capitolium aſcenderit*. Alia eſt caſualis, quæ pendet ex eventu, ex fortunæ inſidiis, puta, *ſi navis ex Aſia venerit*, *ſi Titius conſul factus fuerit*. Alia eſt mixta, quæ pendet partim ex voluntate ejus, cui adſcribitur, partim ex arbitrio alterius, ut, *ſi Seiam uxorem duxerit*, nuptiæ enim niſi ex utriusque contrahentium conſenſu contrahi non poſſunt; *l. unic.* §. *ſin autem*, *C. de caduc. tollend. l. ult. C. de neceſſar. ſerv. hered. inſtit.* Conditiones poteſtativæ ſunt, quæ conſiſtunt in dando vel faciendo, aliquando tamen habentur pro mixtis, ut ſi trans mare longe agenti impoſita ſit conditio, *ſi in patriam redierit*, multis enim caſibus non voluntariis, ſed fortuitis evenire poteſt, ne in patriam redeat; *l. ſi pater*, *C. de inſtit. & ſubſtit.* Conditiones poteſtativæ, aliæ ſunt quæ conſiſtunt in dando, aliæ in faciendo, *ſi decem dederit*, vel *ſi domum fecerit*; quæ rurſus

Digitized by Google

rurſus etiam negative concipi poſſunt, *ſi non detur*, *ſi non fiat*, & ambæ hæ conditiones dicuntur conſiſtere in facto, ut ponitur *init. h. leg. & l. ſervus decem*, infra, *de ſolut.* nam datio eſt facti; *l. conſilio*, §. *ult.*, ſupr., *de curat. furioſ.* licet propriæ conditiones, quæ conſiſtunt in dando vel faciendo, ſint ſpecies conditionum appoſitæ; *l.* 2. infr. *de V. O.* Rurſus aliæ ſunt conditiones, quæ ſunt mixtæ ex utroque, dari & fieri, ut *ſi rationes reddiderit*, neque enim hujusmodi conditio mera eſt, quæ in datione conſiſtit, neque mera, quæ in facto, ſed quæ ex mixtura quadam ſit compoſita, nam & rationum redditionem exigit, & reliquorum ſolutionem; *l. cum ſervus*, infr. *h. tit.* Inter conditiones poteſtativas & caſuales hoc intereſt, quod conditiones poteſtativæ non poſſunt impleri, niſi poſt mortem teſtatoris, caſuales vivo teſtatore, vel poſt mortem teſtatoris impleri poſſunt, quia difficilius implentur; *l. ſi jam*, ſupr. *h. tit. l. ſi quis heredem*, *C. de inſtit. & ſubſtitut.* Item ſui heredes inſtitui poſſunt ſub conditione poteſtativa; *l. jam* † *dubitari*, §. *ult.* ſupr. *de hered. inſtit. l. ſi quis teſtamento*, *de condit. inſtit.* quod ſi inſtituantur ſub conditione caſuali, teſtamentum non valet; *d. l. ſi pater*. Hodie teſtamentum ſuſtinetur, & conditio pro non ſcripta habetur; *l. quoniam in prioribus*, *C. de inoff. teſtam.*

§. *fiſcus*, *ejusd. leg.*

SI incapaci, puta orbo vel cœlibi, legatus ſit fundus ſub conditione, ſi decem heredi dederit, lege *Julia & Papia* fiſcus ſuccedit cum ſuo onere, ac proinde tenetur parere conditioni, ſub qua legatum relictum eſt, ut oſtenditur in *hoc* §. Item ſi hereditas relicta ſit incapaci, fiſco vindicatur cum ſuo onere æris alieni, legatorum, & libertatum; *l. dicitur*, *l. res quæ*, §. *res autem*, infra, *de jure fiſc. l. cum fiſco*, ſupra *ad Silanian. l. ſi ſervus* 50. §. *ſi quis*, *de legat.* 1. *l. Marcellus*, §. *ult. ad Trebellian.* & quoties bona vacantia ad fiſcum deferuntur, ea deferuntur cum onere legatorum & fideicommiſſorum, quæ præſtanda eſſent ab herede, a quo relicta erant; *l. quidam*, §. *quotiens*, *de legat.* 1. Ratio eſt, quia fiſcus, cum in jus privati ſuccedit, jure privatorum utitur; *l. fiſcus* 6. infr. *de jur. fiſc.* & jus fiſci quaſi odioſum reſtringitur quantum fieri poteſt; *l.* † *intercidit*, ſupr. *h. tit. l. ult. de his quæ ut indign.*

L. 61.

SI hereditas vel legatum aut fideicommiſſum relictum ſit in tempus liberorum, vel cum liberos habuerit, inſtitutio vel legatum aut fideicommiſſum cedit ſemel ſusceptis liberis, etiam ſi non ſint ſuperſtites tempore mortis; *l. heredibus*, infr. *ad Trebell. l. cum uxori*, *C. quand. dies legat. vel fideic. cedat.* quia conditio ſemel defecta non reſumitur; *l. rogo*, infr. *de fideicommiſſ. libertatib. l. ſi quis heredem*, *C. de inſtit. & ſubſtit.* Quod ſi vir uxori centum legaverit in tempus liberorum, dubitatum eſt, an de iis tantum filiis teſtator ſenſerit, qui poſt mortem ejus nati fuiſſent, an de iis, qui vivo eo ſuscepti eſſent poſt teſtamentum ex eodem matrimonio. Et Ulpianus *hic* æquum eſſe reſpondit, liberos prodeſſe matri ad conſequendum legatum ſive vivo marito, ſive poſt mortem ejus naſcantur, quia liberi jam concepti manente matrimonio pro natis habentur; *l. qui in utero* 26. ſupra, *de ſtat. homin.* ut proſint ſc. matri ad aſſequendum legatum ei relictum in tempus liberorum: nec videtur pater ſine liberis deceſſiſſe, qui uxorem prægnantem reliquit: unde & ſi legatum Titio relictum ſit in tempus liberorum, & is uxore prægnante deceſſerit, legatum transmittit ad heredem; *l. ſed & ſi* 20. infr. *ad Trebellian.*

Digitized by Google

L. 62.

SI vir legaverit uxori in tempus liberorum, videtur de communibus liberis ſenſiſſe, quia vix eſt ut cogitaverit de liberis ex alio ſuſcipiendis; *l. cum vir uxori*, ſupr. *h. tit.* niſi teſtator hoc ſpecialiter expreſſerit etiam ſi ex alio poſt mortem ſuam liberos procreaverit, hoc enim caſu etiam ſuſceptis ex alio liberis mulier admittitur ad legatum, ut oſtenditur *init. h. l.* quia in conditionibus ſpectatur tantum voluntas defuncti; *l. in conditionibus*, ſupr. *h. tit.* nec locus eſt conjecturis ubi apparet de voluntate teſtatoris; *l. ille aut ille*, §. 1. ſupr. *de legat.* 3. *l. continuus*, §. *cum ita*, infra, *de V. O.*

§. *cuidam*, *ejusd. leg.*

SI ei, qui ſolidum capere non poterat, id eſt orbo vel cœlibi, qui lege *Julia & Papia*, ſolidum capere non poterat, amplius legatum lege conceſſa portione, idque ſub conditione, ſi heredi decem daret, quæſitum eſt, an id, quod conditionis implendæ cauſa dedit, conſequi ex cauſa legati poſſit, quaſi non capiat id quod eroget, conditionis implendæ cauſa ſc. an vero id extra ſit, id eſt extra cauſam legati, nec ideo magis ex bonis teſtatoris amplius capiat, quam ſi pure ſine conditione legatum eſſet? Ratio quærendi erat, quod ex cauſa legati cepiſſe non videtur legatarius quod mox dedit heredi vel extraneo conditionis implendæ cauſa, ut ratiocinatur Terentius illis verbis, *quaſi non capiat id quod eroget*: non eſt verſum, niſi duret verſum; *l. ſi pro patre*, §. *verſum*, ſupra, *de in rem verſo*. Perveniſſe non videtur, niſi duret perventum; *l. utrum autem*, ſupra, *de petit. heredit.* Nullus eſt uſusfructus, qui momento extinguitur; *l. ult. in fin. C. de bon. quæ liber.* Et Terentius ex Juliano ait, *tanto amplius eum capturum, quantum conditionis implendæ cauſa eum dare oporteret*: quia quod dandum eſt conditionis implendæ cauſa minuit legatum: nec intereſt an heredi an extraneo dandum ſit, quia computatione, id eſt deductione, facta ejus quod dandum eſt conditionis implendæ cauſa, non amplius lege conceſſa portione apud eum remaneret, non amplius legatum videtur, quam quod ſupereſt deducto eo, quod a legatario heredi datum eſt conditionis implendæ cauſa; *l. non amplius*, ſupra, *de legat.* 1. Opponitur *l. ad veterani*, §. 1. infr. *ad l. falcid.* ſi Titio legatus ſit fundus viginti ſub conditione, ſi decem heredi dederit, in toto fundo legatarius habetur, id eſt totus fundus eſt in legato. Ejusdem argumenti eſt *l. quotiens*, *eod. tit.* ſi cui amplius legatum ſit, quam ei per legem capere liceret, & falcidiæ locus ſit, prius falcidia deducitur, & deducta falcidia, reliquum debetur, ſi modo non excedat ſtatutam lege portionem, id eſt id quod per legem capere licet. Sed Accurſius diſtinguit, aut quæritur de onerando legatario, puta cum legatario fundus relictus eſt ſub conditione, ſi heredi vel alii decem dederit, hoc caſu non amplius eſt in legato, quam quod ſupereſt deducto eo quod dandum eſt conditionis implendæ cauſa; *d. l. non amplius*, quia legatarius non eſt onerandus ultra vires legati; *l. filiusf.* §. *apud Marcellum*, *de legat.* 1. *l. Imperator*, *de legat.* 2. aut quæritur, an falcidiæ locus ſit in legatis, & tunc ſi fundus legatus ſit ei, qui ſolidum capere non poteſt, nihilominus totus fundus eſt in legato quoad falcidiæ detractionem.

§. *cum vir*, *ejusd. l.*

LEge *Julia & Papia* conditio viduitatis aſcripta legato vel inſtitutioni remittitur, ita ut debeatur legatum quaſi pure relictum eſſet, ut oſtenditur in *hoc* §. *& duabus ll. proximis*, *& l. Titia ſi non*, infr. *h. tit. l.* 1. *&* 2. *C. de*

ins

indict. viduit. tollend. Romanis enim conjugiorum prolisque procreandæ maxima cura fuit, ut educentur liberi reipublicæ. Si vir uxori annua decem vel viginti legaverit, ſi a liberis non nupſerit, mulier nubendo non amittit legatum quaſi defecta conditione, quia hujuſmodi conditione viduitas non injungitur, ſed hoc tantum ne a liberis nubat, id eſt ne nubendo a liberis recedat, ne liberi omnino deſtituantur cura & cuſtodia materna, quia pater de matre ſperavit eam non omiſſuram curam liberorum, etiam ſi ſecundo nuberet, dummodo non nuberet longe a liberis. Quod ſi legatum ſit uxori, ſi a liberis impuberibus non nupſerit, legatum † non debetur, quia per hujuſmodi conditionem magis cura liberorum,quam viduitas injuncta videtur, ut eleganter dicitur in *fin. h.* §. Conditio, ſi a liberis impuberibus non nupſerit, non remittitur, quia non injungit viduitatem in perpetuum, ſed ad tempus, quoad liberi ſc. adoleverint: conditio viduitatis non rejicitur, ſi limitata ſit ad certum tempus, vel perſonas, vel locum, ut oſtenditur *hic*, & *l. proxim. l. cum tale*, §. *Mævia*, inſr. *h. tit. l. pen. qui & a quib. manumiſſ.* quia non tollit, ſed coercet & anguſtat tantum libertatem nubendi: conditio, ſi non nupſerit, rejicitur ubi adjecta eſt in fraudem legis, id eſt legis *Juliæ & Papiæ* ad impediendas nuptias; *l. heres meus*, §. *ult.* inſr. *h. tit.* ubi nuptiæ vetantur omnino, non ubi vetantur ad tempus. Et ita ſi convenerit ne omnino diviſio fiat, pactum non valet: ſecus ſi conveniat, ne intra certum tempus; *l. in hoc judicium*, §. *ſi* † *conveniat*, ſupr. *commun. divid. l. idemque*, §. *ult. pro ſoc.* & a teſtatore prohiberi poteſt, ne diviſio fiat intra certum tempus; *l.* 4. ſupra, *de condit. inſtitut.* non in perpetuum, quia publice intereſt, ne bona maneant indiviſa inter coheredes vel conſortes; propter discordias, quas materia communionis ſolet excitare; *l. cum pater*, §. *dulciſſimis*, *de legat.* 2. Conditio, inquam, de non nubendo non rejicitur, ſi non adjecta ſit in perpetuum, ſed ad tempus: immo & hodie hujuſmodi conditio valet in perſona mulieris, quæ jam nupta eſt, non virginis; *nov.* 22. *de nupt.* † *cap.* 43. *auth. cui relictum*, *C. de indict. viduit. tollend.* quia non videtur arceri a nuptiis quæ ſemel nupſit: & quod dictum eſt, conditionem ſi non nupſerit lege *Julia & Papia* remitti, non eſt accipiendum, niſi quoad primas nuptias: his enim verbis, cum nupſerit, primæ nuptiæ ſignificantur; *l.* † *boves*, §. *hoc ſermone*, *de V. S.* quia primo actu quælibet diſpoſitio explicatur; *l.* † *cum antiquitas*, *C. de uſufruct.* Sicut conditio de non nubendo remittitur, ſic & lege *Julia* de maritandis ordinibus remittitur jusjurandum, quod liberto impoſitum eſt, ne uxorem duceret, libertave ne nuberet; *l. adigere*, §. *ult.* inſr. *de jur. patronat.*

† V. notam ad *l.* 10. *ſup. h. tit.*

L. 63.

SI mulieri legatum ſit ſub conditione, ſi Titio non nupſerit, vel ſi certis perſonis non nupſerit, puta Titio, Seio, vel Mævio, ut ſolebant Itali, inquit Odofredus *hoc loco*, quod eſſent paſſim diviſi in duas factiones, Guelfos, & Gibellinos, ſi cuilibet eorum nupſerit amittit legatum: conditio ſc. non remittitur, quia non injungit viduitatem, cum ſit limitata ad certas perſonas, & integrum ſit alii cuilibet nubere. Quod ſi legatum ſit ſub conditione, ſi Titio nupſerit, conditio valet, ſi honeſte Titio poſſit nubere: quod ſi Titius indignus ſit ejus nuptiis, beneficio legis, id eſt legis *Juliæ & Papiæ*, poteſt illa nubere, incolumi legato, & impune ſpreta conditione, quia conditio nubendi impari perſonæ, quæ eſt contra leges & honeſtatem publicam, rejicitur: *lege Julia & Papia* vetantur nuptiæ inter impares perſonas, puta inter ſenatorem, & libertinam, vel ſcenicam; *l. lege Papia*, *l. ſi quis in ſenatorio*, ſupra, *de rit. nupt.* & nuptiæ valent etiam ſine dotalibus inſtrumentis inter pares honeſtate perſonas; *l. ſi donationum*, *C. de nupt.* & impares nuptias damnat etiam Am-

Digitized by Google

broſ. libr. 1. de Abraham cap. † 3. *Diſcant ergo homines conjugia non ſpernere, nec ſibi ſociare impares; ne hujuſmodi ſuſcipiant liberos, quos heredes habere non poſſint; ut vel transfundendæ hereditatis contemplatione, ſi nullo contuitu pudoris moveantur, digno ſtudeant matrimonio.* Conditio, inquam, nubendi Titio rejicitur, ſi mulier honeſte ei nubere non poſſit, quæ enim Titio nubere jubetur, ceteris nubere vetatur: itaque ſi Titius ſit indignus mulieris conjugio, conditio ſi nupſerit Titio pro eo habetur, ac ſi generaliter aſcripta eſſet conditio, ſi non nupſerit: immo durior eſt hujuſmodi conditio, ſi nupſerit Titio, quod tam vilis ſit perſona, ut ei mulier honeſte nubere non poſſit, quam illa ſi non nupſerit: magis enim expedit mulieri non nubere, quam nubere viliori perſonæ, & nubere omnino prohibetur, quæ nubere jubetur Titio, cum quo impares ſunt nuptiæ, ut fuſius ratiocinatur Gaius in *hac lege*, quæ tota cum *lege* ſuperiori & ſequenti pertinet ad *legem Juliam & Papiam*, ut colligitur ex ipſa inſcriptione legum, quæ ſunt Terentii & Gaii ad legem *Juliam & Papiam. Lege Julia & Papia* conditio nubendi viliori perſonæ rejicitur veluti impoſſibilis: conditio pro impoſſibili habetur, quæ eſt contra leges & bonos mores, & quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam, ac denique contra bonos mores ſunt, nec nos facere poſſe credendum eſt; *l. filius*, ſupra, *de condit. inſtitut.* ſemper enim pudoris, & verecundiæ, famæ, & exiſtimationis ratio habenda eſt, ut in *l. avus*, ſupr. *de jure dot. l. pecuniæ, de aliment. legat. §. ſui autem, inſtit. de hered. qualit. & different. l. paterf. de reb. auct. judic. poſſidend.*

L. 64.

SI mulieri legatum ſit, ſi Titio non nupſerit, legi, id eſt *Juliæ & Papiæ*, locus non eſt: conditio de non nubendo limitata ad certam perſonam † non remittitur, quia non tollit libertatem nubendi, & conſentiunt leges proximæ, ſupra, *h. tit.* Et ſi legatum ſit mulieri, ſi Aritiæ (quod eſt municipium Latii notum M. Tullio *Philippic.* 3. & Livio *libr.* 8.) non nupſerit, multum intereſt, an legatum relictum ſit ſub hujuſmodi conditione in fraudem legis, ne nuberet: nam ſi talis eſſet, quæ alibi nuptias non facile poſſet invenire, conditio ipſo jure remittitur, quæ in fraudem legis adſcripta eſt; lex enim utilis reipublicæ, ſobolis ſc. procreandæ gratia, interpretatione adjuvanda, ut eleganter dicitur in *hac l.* Favorabili interpretatione conditio, ſi certo loco non nupſerit, remittitur, ſi alibi non poteſt invenire conditionem: conditio difficilis habetur pro impoſſibili, quamvis natura non ſit impoſſibilis; *l.* † *continuus, §. illud, de V. O.* Interdum difficile habetur pro impoſſibili, ut in *l. cum ſane*, ſupra, *de his, qui effuder. vel dejec. l. cum in plures, §. veſtimenta, locat.* Benignius interpretandam eſſe legem *Juliam & Papiam* dictum eſt, quia eſt utilis reipublicæ, maxime ea parte, qua tractat de contrahendo matrimonio & procreandis liberis, & de pœnis orborum & cœlibum; Tacit. 3. annal. (cap. 25.) *Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam ſenior Auguſtus poſt Julias rogationes incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario ſanxerat*: valuit utraque lex ad tempora uſque Severi, qui non ſuſtulit has leges, ſed his modum impoſuit; Tertull. apologetic. cap. 4. *Nonne & vaniſſimas Papias leges, quæ ante cogunt liberos ſuſcipi, quam Juliæ matrimonium contrahi, poſt tantæ auctoritatis ſenectutem, heri Severus Conſtantiſſimus Principum excluſit.* Leges de pœnis cœlibum & orborum ſuſtulit Conſtantinus; *l. 1. C. de infirmand. pœn. cœlibat.* Euſeb. de vit. Conſtantini *libr. 4. cap. 26.* Sozomen. *libr. 1. cap. 9.* legem *Papiam* de decimis abrogavit Theodoſius conſtitutione edita, ut conjuges etiam deficientibus liberis ſolidum inter ſe ex teſtamento capere poſſint; *l. 2. C. eod. tit. de infirmand. pœn. cœlibat. l. 2. C. Th. de jur. liberor.*

Digitized by Google

L. 65.

SI cui legatum relictum ſit ſub conditione, & legatarius deceſſerit pendente conditione, legatum non tranſmittitur ad heredem legatarii *; l. intercidit*, ſupr. *h. tit. l. unic.* §. *ſin autem*, C. *de caduc. tollend.* Item in legato etiam relicto ſub conditione, quæ omnino extitura eſt, quia legatum vires accipit ex futuro tempore; & cauſa, ex qua legatum debeatur, præcedere debet *; l. hujusmodi*, infr. *quand. dies legat. ced.* In legato conditionali ſpectatur tempus evenientis conditionis *; l. eum, qui poſt*, infr. *h. tit. l. cum pater*, §. *hereditatem filius*, *de legat.* 2. Et legati conditionalis neque dies cedit, neque adquiſitio ulla intelligitur, priuſquam conditio extiterit *; l. ſi ita ſcriptum*, §. *ſi ſub conditione*, *de legat.* 2. *l. is*, *cui*, infr. *de oblig. & act. l. cedere diem*, *de V. S.* Contra, ſpes ſtipulationis conditionalis tranſmittitur in heredem ſtipulantis, ſi prius moriatur, quam conditio extiterit *;* §. *ſub conditione*, *inſt. de V. O.* quia ſtipulatio conditionalis vires accipit ex præſenti tempore, quamvis actio differatur in tempus exiſtentis conditionis *; l. uſusfructus*, *l. ſi ſervus*, infr. *de ſtipulat. ſerv. l. ſi filiusf. de V. O.* Et conditio ſtipulationis, quæ ſemel extitit, retro trahitur ad tempus contractus *; l. potior*, §. 1. ſupr. *qui potior. in pignor.* Legato ſub conditione relicto, ſi heres, a quo ſub conditione legatum eſt, pendente conditione moriatur, heredem ſuum obligatum relinquit, ex *hac l.* Idemque eſt in ſtipulationibus conditionalibus, ſi pendente conditione promiſſor moriatur, heredem ſuum relinquet obligatum *; l. ſi quis* 57. *de V. O.*

L. 66.

HEres rogatus Stichum manumittere ſub conditione, & in eventum conditionis, id eſt ſub eadem conditione fideicommiſſum, id eſt hereditatem ex cauſa fideicommiſſi, eidem reſtituere, ſi Stichum ultro manumiſerit non expectato eventu conditionis, non tenetur præſtare ei fideicommiſſum priuſquam conditio impleta ſit, aut per heredem ſtet quominus impleatur, ex *hac l.* quia libertas nihil commune habet cum fideicommiſſo : repræſentatio libertatis non obligat heredem ad repræſentandum fideicommiſſum, quia repræſentatio legati vel fideicommiſſi eſt ſpecies donationis *; l. cum pater*, §. *a filia*, *de legat.* 2. *l. filia*, C. *de legat.* nec conjectura donationis debet duci de una re ad aliam, quia nemo præſumitur jactare ſuum *; l. cum de indebito*, ſupra, *de probat.* unde ſi mater pro filio partem debiti ſolvat, non tenetur ſolvere reliquum *; l.* 4. C. *ne uxor pro marito.*

L. 67.

SI cui fundus legatus ſit ſub conditione, ſi Stichum ſervum non manumiſerit, & ſub contraria conditione ſi manumiſerit legatum fundi ad Mævium translatum ſit, & legatarius præſtita cautione Mutiana de non manumittendo ſervum legatum acceperit, & poſtea manumiſerit, commiſſa ſtipulatione heredi tenetur reſtituere fundum, vel quanti ea res eſt, id eſt quanti intereſt Stichum manumiſſum non eſſe, & poſtea heres ex ſequenti conditione, id eſt vi & poteſtate contrariæ conditionis fundum Mævio reſtituet, ex *hac l.* Ratio eſt, quia quod ſub una conditione datum eſt, ſub contraria conditione ademptum intelligitur *; l. aliquando*, infr. *h. tit. l. ſi legatum*, *l. legata inutiliter*, *de adimend. legat. l. quod pure*, *quand. dies legat. cedat*, *cap. olim cauſam* 12., *de reſtitut. ſpoliat.* Cautio Mutiana fit ſatisdatione interpoſita, id eſt datis fidejuſſoribus, ut *hic. & l. hoc genus*, infr. *h. tit.*

L. † 68.

DIctum eſt ſupr. *in l.* 11. *h. tit.*

L. 69.

SI Titio legatum ſit, *ſi voluerit*, legatum valet, ſed non transmittitur ad heredem, niſi prius agnoverit legatum, quia legatum eſt conditionale, & conditio perſonæ injuncta videtur, ex *h. l. l. ſi ita legatum*, §. † 1. ſupr. *de legat.* 1. Quæ perſonalia ſunt, ſeu perſonæ cohærent, non transeunt ad heredem; *l. quia tale*, *ſolut. matrim. l. non ſolum* 8. §. *tale*, *de liber. legat.* Legatum non valet, quod confertur in merum arbitrium heredis; *l. ſenatus*, §. *legatum*, *de legat.* 1. Legatum valet collata conditione in arbitrium legatarii, ex *h. l.* Sed ſi legatum pure relictum ſit, ſtatim cedit a morte teſtatoris, & priusquam agnitum ſit transmittitur ad heredem legatarii; *d. l. ſi ita legatum*, §. 1. *l. unic.* §. *cum igitur*, *C. de caduc. tollend.* perinde enim eſt ac ſi legatum ſit, ſi acceperit; *l.* 3. §. *ſi quis Titio*, infra, *de adimend. legat.* Conditio, quæ tacite ineſt, non facit legatum conditionale; *l. conditiones*, infr. *h. tit* expreſſa nocent, non expreſſa non nocent; *l. nonnunquam*, ſupr. *h. tit.* Non idem in contractibus, ſi emptio venditio collata ſit in vendentis vel ementis voluntatem, obligatio nulla eſt, quia non adſtringit contrahentes neceſſitate; *l. in vendentis*, *C. de contrah. empt.*

L. 70.

MAter teſtamento duos filios ex partibus heredes inſtituit ſub conditione emancipationis, id eſt ſi a patre emancipati fuerint, eisque plures res prælegavit pure, non repetita conditione emancipationis: (plerumque ſc. mater, quæ male ſuſpicabatur de moribus mariti, liberos inſtituebat ſub conditione emancipationis, ne per filium hereditas patri adquireretur; *l. avia*, infr. *h. tit. l. mulier* 22. *ad Trebell. l.* 3. §. *etſi heres*, ſupr. *de minorib. l. ult. de petit. hered. l. filiis matrem*, *C. de inoffic. teſtam.*) pater ultro liberos emancipavit, liberi emancipati hereditatem adierunt & ſibi adquiſierunt, non patri: quæſitum eſt, an pater ſubmoveatur a prælegatis relictis filiis pure ſine conditione emancipationis? Ratio dubitandi erat, quod dies prælegati pure relicti ceſſit ſtatim a morte matris, filiis nondum emancipatis; *l.* † *filiumf.* infr. *quand. dies legat. ced.* ergo legatum per filios adquiſitum eſt patri, non filiis. Verum Papiniano placuit, patrem a prælegato pure relicto filiis ſubmoveri, non ea ratione, quam ſibi comminiſcitur Accurſ. quod conditio emancipationis adjecta inſtitutioni cenſetur tacite repetita in prælegato; *d. l. avia*, *l. cum ſervus*, §. *hac ratione*, inſr. *de condit. inſtit.* nec enim locus eſt conjecturis, quandoquidem pure prælegavit nominatim: ſed pater ſubmovetur a prælegato filiis relicto, quia pater, ut ait Papinianus *hic*, emancipando filios, plenius obſecutus voluntati defuncti, judicium uxoris ſuæ agnovit: pater non poteſt rogari per fideicommiſſum, ut emancipet liberos, quoniam patria poteſtas inæſtimabilis eſt; *l. filiusf.* §. *ſed ſi liberos*, ſupra, *de legat.* 1. ſed ſi agnoverit legatum ſibi relictum ſub conditione, ſi emancipaverit liberos, extra ordinem cogitur emancipare liberos; *l. ſi* † *cui legatum* 92., infr. *h. tit.* verum ſi ultro emancipet liberos conditionis implendæ cauſa, videtur plenius obſecutus voluntati defuncti, & jus patriæ poteſtatis remiſiſſe. Non modo ut hereditas, ſed etiam ut prælegatum adquireretur liberis, quia patria poteſtas eſt individua, non poteſt pro parte remitti, pro parte non: filiusf. non poteſt emancipari quoad unum vel certum actum: emancipatio eſt actus legitimus, qui non recipit conditionem vel modum; *l. actus legitimi*, infr. *de R. J.* & idem non poteſt eſſe eodem tempore pro parte liber, pro parte ſervus; *l. ſi pariter*, infr. *de liberal. cauſ.* Ripa *ad l.* 1. §. *in filii*, infr. *ad Trebell.*

L. 71.

Digitized by Google

L. 71.

MUltum intereſt inter conditionem & modum. Conditio concipitur per particulam ſi, veluti, *ſi Titius conſul factus fuerit*, *ſi navis ex Aſia venerit*. Modus per particulam ut, vel ita ut, veluti, *ut quid fiat*, vel *ita ut fundum emat; l. cum ab eo*, ſupra, *de contrah. empt. l. demonſtratio*, §. *ult. l. quibus diebus*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* Conditio ſuſpendit actum, ita ut legatum relictum ſub conditione peti non poſſit, priuſquam conditio exſtiterit; *l. is, cui*, infr. *de oblig. & act. l. cedere diem*, *de V. S.* Modus vero non ſuſpendit actum, immo ex legato modali ſtatim agi poteſt, oblata cautione de modo implendo; *l. ſi cui*, *l. cum in teſtamento*, infr. *de fideicommiſſ. libertat.* Modus impleri poteſt poſt adeptum legatum, ſatis enim eſt ſi legatarius caveat heredi, ſe modum impleturum: legatum tamen ſemel quæſitum reſolvitur modo non impleto; *d. l. cum ab eo*. Et eo ſpectat quod dicitur in *l.* 1. C. *de his quæ ſub modo*, in legatis & fideicommiſſis modum adſcriptum pro conditione obſervari, id eſt modum implendum eſſe æque ac conditionem. Hoc intereſſe, quod conditio impleri debet antequam capiatur legatum, modus autem impletur poſt adeptum legatum, oblata cautione de modo implendo. Aliquando etiam onus cautionis remittitur, puta ſi Titio centum legata ſint ſub modo, veluti, ut fundum emat, Titius non cogitur cavere heredi de modo implendo, quia ad eum dumtaxat emolumentum legati pertinet, ut placet Papiniano *init. h. l.* id eſt heredis non intereſt modum impleri, cum res non vertatur in ejus commodum, modus hujuſmodi adjectus legato eſt cauſa magis impulſiva legandi, ut habeat unde emat fundum, quam conditio vel modus: defectus cauſæ impulſivæ non facit deficere diſpoſitionem, nec dat locum condictioni; *l.* 2. §. *ult. & l.* 3. infr. *de donat. l. pen. C. de condict. ob cauſ.* eſt nudum præceptum, quod non eſt obligatorium; *l. filiusf.* §. *divi* 14. *de legat.* 1. *l. pater*, §. *Julius Agrippa*, *de legat.* 3. Sed ſi teſtator filio fratris alumno, id eſt quem domi aluerat, minus induſtrio centum legaverit, ita ut fundum emat, dum ei proſpectum eſſe voluit, hoc caſu legatarius tenetur cavere heredi de fundo emendo & non alienando, quia heredis intereſſe credendum eſt, ut ſubditur *initio h. legis*, nimirum propter affectum teſtatoris erga nepotem ex fratre & alumnum, quem diligebat affectu paterno, & heredis quodammodo intereſt voluntatem teſtatoris impleri, nec ejus providentiam inanem fieri: & quod dicitur in *l. ſi tibi legatum*, *de legat.* 3. ſi tibi legatum relictum ſit, uti quid facias, negandam tibi eſſe actionem legati, niſi caveas heredi futurum quod defunctus voluerit, etiam ſi non intereſt heredis id fieri, ita intelligendum, etiam ſi re non interſit ipſius; ſatis enim eſt ejus intereſſe propter affectum vel obſequium debitum voluntati defuncti: ac proinde ſi legatarius petat legatum relictum ſub modo, non oblata cautione de modo implendo, heres ſe tuetur oppoſita exceptione doli mali; *l. eas cauſas*, infr. *h. tit. d. l. cum in teſtamento*, vel præſtito legato omiſſa cautione legatarius compellitur officio judicis modum implere; *l. libertas* 17. §. *hac ſcriptura l. Mævia*, *de manumiſſ. teſtament.*

§. *Titio centum* 1. *ejusd. l.*

SI teſtator Titio centum legaverit, ita ut Mæviam, quæ vidua eſt, uxorem ducat, conditio non remittitur, id eſt modus. Sæpius enim conditio pro modo accipitur, *ut hic*, *& in l.* 2. *&* 3. *de donat. l.* 8. §. *pen. de condit. inſtit. l. libertas*, §. *hac ſcriptura*, *l. Mævia*, *de manumiſſ. teſtament.* modus, inquam; ſeu conditio, ut loquitur, non remittitur, nec conſequenter

cautio remittenda eſt, id eſt legatarius non admittitur ad legatum, priuſquam caveat heredi de Seia uxore ducenda. Nec obſtat, quod non valet ſtipulatio, ſi quis ſtipulanti pœnam promiſerit, ſi Mæviam uxorem non ducat, quia, ut ait Papinianus, aliud eſt pœnæ metu auferri libertatem eligendi matrimonii, aliud ad teſtamentum, id eſt ad hereditatem vel legatum, certa lege, certo modo invitari: modus enim eſt certa lex, qua quid relinquitur, modus eſt vice legis, modum enim impleri oportet, nihil vetat nuptias conciliari propoſito præmio, puta legato vel donatione. Non incivile eſt quempiam provocari ad nuptias meritis. Sed matrimonia vinculo pœnæ obſtringi non debent, quia matrimonia libera eſſe debent; *l. Titia*, inſr. *de V. O. l.* 2. *C. de inutil. ſtipulat. cap. Gemma*, *de ſponſalib.*

§. *Titio centum* 2. *ejuſd. leg.*

SI teſtator Titio centum legaverit ita, ut a *monumento meo non recedat*, vel, *ut in illa civitate domicilium habeat*, hic modus remittitur, una & cautio de non recedendo a monumento, quia hic modus libertatem infringit: ſed ſi teſtator libertis legaverit ſub hoc modo, cautio non remittitur, ex *hoc* §. *l. libertis*, §. *ult.* ſupra, *de aliment. legat.* licet liberti liberum ubi voluerint commorandi arbitrium habeant; *l. qui manumittuntur*, *C. de oper. libert.* Quod probat ipſa formula manumiſſionis; Plaut. in Menæchmei, (5. 9. 86. & ſeq.) *fac cauſſa mea. Liber eſto*, † *abito quo voles*. Tamen ſervis cum manumittuntur hic modus libertatis imponi poteſt, ut cuſtodiant ſepulcrum defuncti; *l. Mævia*, inſr. *de manumiſſ. teſtam.* Romani ſolebant adhibere ſervos vel † libertos ad cuſtodiam ſepulcrorum; Petron. in ſatyric. eo alludens: *Hæc ergo cum virum extuliſſet in conditorium etiam proſequuta eſt defunctum, poſitumque in hypogæo, Græco more, corpus cuſtodire ac flere totis noctibus, diebuſque cœpit.* Et Julius Firmicus libr. 4. cap. 1. *Cuſtodeſque ſepulcrorum, aut qui perpetua carceris pœna claudantur.* Et idem libr. 3. cap. 11. *Pollinctores & funerarios, mortuum cadaverum cuſtodes, aut ſepulcrorum faciet janitores.* Nec mos ille deſiit inter Chriſtianos in Gallia etiam ſub Regibus primæ ſtirpis; concil. Pariſienſ. III. can. 9. *De degeneribus ſervis, qui ſepulcris defunctorum, pro qualitate ipſius miniſterii deputantur, hoc placuit obſervari, ut ſub qua ab actoribus fuerint conditione dimiſſi, & ſive heredibus ſive eccleſiis pro defenſione fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat conſervari.* Speciale eſt in libertis, ut legato eis relicto ſub modo, ne a monumento recedant, modus hujuſmodi non remittatur, nec cautio: in libertis non offenditur libertas adjectione hujuſcemodi legato relicto, ne a monumento recedant, propter obſequium, quod patrono debetur a libertis memoria accepti maximi beneficii, id eſt libertatis: alias ingenuis hominibus non poteſt imponi modus vel conditio, ne a monumento recedant, vel ut certo loco domicilium habeant, quia infringit & onerat libertatem: quilibet enim poteſt habere domicilium ubi velit; *l. nihil eſt*, infra, *ad municipalem*: nec valet locatio operarum in perpetuum, quia infringit libertatem, ut ait Bartolus in *hoc* §.

† In Plaut. meo Lugd. Bat. 1664. deſiderantur verba: *abito quo voles*.

§. *Titio genero*, *ejuſd. leg.*

SI teſtator ita dixerit, *Titio genero meo heres meus dotis Seiæ filiæ meæ centum dato*, quæſitum eſt, cuinam competat actio legati, filiæ, an marito? Et Papinianus reſpondet, utrique competere actionem legati: nimirum filiæ, quia legati emolumentum pertinet ad filiam, quæ dotem incipit habere, immo videbatur danda actio mulieri tantum, quia ejus maxime intereſt, ne ſit indotata; *l. ſervo legato*, §. *ſi teſtator*, *de legat.* † 1. & legatum a patre dotis cau-

ſa

Digitized by Google

ſa relictum filiæ, videtur relictum contemplatione filiæ, ac ideo adquiri filiæ tantum. Quia ubi legatur vel donatur viro & uxori, ut ſciatur cui adquiratur legatum vel donatio, ſpectandum eſt cujus contemplatione relictum ſit *; l. ſed ſi plures*, §. *in adrogato*, ſupr. *de vulgar. & pupillar. l. fideicommiſſa*, §. *interdum*, *de legat.* 3. Marito etiam competit actio legati, quia non tantum mulieri, ſed etiam viro, cui pecunia legata eſt, conſultum videtur, & prope eſt ut ipſe legatarius intelligatur; licet enim legatum dotis filiæ cauſa relictum ſit, ſemper verum eſt legatum viro relictum, atque ita ei dandam actionem legati ex teſtamento. Conſtante matrimonio etiam invita muliere Titio recte ſolvitur hujusmodi legatum, quia mulieris intereſt legatum ſolvi, ut incipiat eſſe dotata; nam & ſi filiæ demus actionem legati, eaque dotis nolit fieri, non dubie ſubmovebitur exceptione doli mali: petenti ex teſtamento contra voluntatem defuncti obſtat exceptio doli mali *; l. apud Celſum*, §. *præterea*, *de dol. & met. except.* Et ſi divortio ſoluto matrimonio heres ignorans legatum ſolverit marito, quia ſolutio pecuniæ convertitur in cauſam dotis, nimirum ut conſulatur mulieri, quæ pecuniam repetet actione de dote: quod ſi ante nuptias uterque moriatur, legatum veluti conditionale caducum remanet apud heredem, ut *hic & l. intercidit*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi per Titium ſtet quominus Seiam uxorem ducat, conditio nubendi quoad Seiam pro impleta habetur, quia per Titium ſtat quominus impleatur *; l. jure civili*, ſupr. *h. tit.* ſed Titius ſi petat legatum, repellitur exceptione doli mali. Secuto matrimonio ſi maritus legatum petat, ei præſtatur ſine cautione de dote reddenda; ſicut enim maritus non tenetur cavere datis fidejuſſoribus de dote reſtituenda *; l.* 1. *&* 2. *C. ne fidejuſſ. dot. dent.* ita neque de reſtituendo legato dotis cauſa relicto. Quod ſi ſponſus ante nuptias legatum petat, quod licet, quia legatum relictum ſub modo eſt purum mulieri, non remittitur cautio de modo implendo, id eſt de reddenda dote. Quod ſi maritus vitio ſuo id eſt culpa cauſa ceciderit, puta plus petendo, neque ſolvendo ſit, amiſſa mulieri reſtituitur actio adverſus heredem: actio amiſſa reſtituitur adverſus eum, qui dolo fecit quominus eſſet ſolvendo *; l.* 3. §. † *plane*, ſupr. *de eo, per quem fact. erit*. Denique ſi pater genero filiæ dotis cauſa centum legaverit, utrique competit actio legati, quia utriusque intereſt *; l. tali* † *facta ſtipulatione*, §. 1. ſupr. *de jur. dot.*

l. 72. in princ. † *&* §. 1.

CONditiones, quæ legatis apponuntur, aliæ conſiſtunt in faciendo, aliæ in non faciendo: conditiones, quæ in faciendo conſiſtunt, legati obligationem & actionem ſuſpendunt, neque enim legatum peti poteſt antequam conditio exſtiterit: conditiones, quæ in non faciendo conſiſtunt, legati obligationem & actionem non differunt. Si enim cui legatum relictum ſit ſub conditione, ſi Capitolium non aſcenderit, ſi Alexandriam non ierit, ſtatim legatum conſequitur oblata cautione Mutiana de non faciendo *; l. Mutianæ*, *l. cum ſub hac conditione*, ſupr. *h. tit. l. heres meus*, §. *qui poſt*, infr. *h. tit.* Conditiones, quæ in non faciendo conſiſtunt, aliæ ſunt, quæ non niſi morte legatarii impleri poſſunt, ut hæc conditio, ſi Capitolium non aſcenderit, quia quamdiu vivit legatarius Capitolium poteſt aſcendere, & morte legatarii certum eſſe incipit eum Capitolium non aſcenſurum, & in his conditionibus locus eſt cautioni Mutianæ *; l. prox.* infr. *h. tit. l. ſervo invito*, §. *ſi teſtator*, infr. *ad Trebell.* Aliæ ſunt, quæ vivo legatario alterius morte vel alio pacto impleri poſſunt, in his non eſt locus cautioni Mutianæ, ſed expectatur omnino quod expletæ ſint, ut in caſu *l. pater Severianam*, §. *ſocrus*, infr. *h. tit.* ſi a ſocru legatum nurui relictum ſit ſub conditione, ſi a marito non diverterit, non habet locum cautio Mutiana, quia conditio viva muliere expleri poteſt, morte viri vel di-

Digitized by Google

vortio ſoluto matrimonio ſine culpa mulieris : alius caſus eſt *l. hoc genus*, *inſr. h. tit.* ſi legatum relictum ſit mulieri ſub condirione, ſi Titio non nupſerit, legatum non capitur ſtatim oblata cautione Mutiana, quia conditio impleri poteſt viva muliere præmortuo Titio. Adde alium caſum *l. avia*, §. *Titio*, inſr. *h. tit.* ſi legetur Titio ſub conditione, *ſi illa mulier non nupſerit*, non eſt locus cautioni Mutianæ, quia conditio hujusmodi non expletur morte Titii legatarii, ſed expleri poteſt eo vivo mortua muliere : hac ratione, cum legatum relictum eſſet Titiæ, ſi a liberis non diſceſſerit, negabant nonnulli, qui eſt caſus initii *h. leg.* locum eſſe cautioni Mutianæ, quia morte liberorum conditio impleri poteſt matre ſuperſtite. Sed hujusmodi ſententia Papiniano diſplicuit alia ratione, hac ſc. quia voto matris opponi non debuit tam ominoſa interpretatio non interponendæ cautionis, id eſt voto naturali matris, quod eo fertur, ut ſibi ſuperſtites ſint liberi, objici non debet tam ominoſa interpretatio, id eſt cogitatio fieri poſſe, ut morte liberorum impleatur conditio, & ideo non eſſe legati petitionem ante mortem liberorum, & ceſſare remedium cautionis Mutianæ: caſum adverſamque fortunam liberi hominis, veluti mortem liberorum, ſpectare, neque civile, neque naturale eſt; *l. inter ſtipulantem*, §. *ſacram*, *inſr. de V. O.* Idem ſervatur, ſi liberto patronus legaverit ſub conditione, ſi a liberis ejus non diſceſſerit, ex conſtitutione Imperatoris, id eſt Severi, a quo Papinianus præfectus prætorio lectus, & quem Imperatorem ſuum appellat Ulpianus unus ex Papiniani aſſeſſoribus in præfectura; *l. licet Imperator*, *de legat.* 1. *l. Marcellus* 3. §. *quidam*, *ad Trebell.* cautio veluti Mutiana interponitur, quia comparata eſt ad exemplum cautionis Mutianæ, non habet locum cautio Mutiana, quia ea tantum offertur in conditionibus, quæ vivo legatario impleri non poſſunt. Sed cautio quaſi Mutiana, quia hæc conditio morte liberorum expleri poteſt vivo legatario, cautio Mutiana interponitur, ut ait Papinianus *in* † §. 1. *h. l.* fuit enim periculoſum & triſte libertum conjunctum patroni liberis eorumdem mortem expectare, periculoſum eſt ne liberti conjuncti liberis patroni vitæ conſuetudine, & familiaritate, unde dicuntur eſſe de familia patroni; *l. cum pater*, §. *fidei* 11. *de legat.* 2. *l. ult. C. de V. S. can. octava*, 12. *qu.* 2. eorum vitæ inſidientur legati adſequendi cauſa morte liberorum.

§. *Titius*, *eiusd. leg.*

IN his conditionibus, quæ vivo legatario impleri poſſunt, cautioni Mutianæ locum non eſſe, probatur alio exemplo in *hoc* §. Finge Titius heredem inſtituit, eundemque rogavit poſt mortem ſuam reſtituere hereditatem Cajo, ſub conditione, ſi Cajus non peteret cautionem fideicommiſſi ſervandi: quæritur, an fideicommiſſarius poſſit admitti ad fideicommiſſum oblata cautione quaſi Mutiana, de non exigenda cautione fideicommiſſi ſervandi? Et reſpondetur, cautioni quaſi Mutianæ locum non eſſe, ſed expectandum eſſe quoad impleatur conditio, quia ea conditio impleri poteſt vivo fideicommiſſario, cui ſub ea conditione fideicommiſſum relictum eſt poſt mortem heredis: fieri enim poteſt, ut heres moriatur vivo fideicommiſſario, & impleta dici conditio, ſi ab herede quamdiu vixit fideicommiſſarius cautionem non petierit: & hoc reſpondetur de jure, quod locum habuit ante conſtitutionem remiſſæ cautionis, id eſt ante conſtitutionem D. Marci, quæ eſt *in l.* 2. *C. ut in poſſ. legat.* ex qua vulgaris illa cautio, quæ interponitur legati vel fideicommiſſi ſervandi cauſa, a teſtatore remitti poteſt. Sed hodie ſuperflua eſt illa quæſtio poſt conſtitutionem D. Marci, in his enim conditionibus, quæ a teſtatore remitti poſſunt, fruſtra diſputatur de interponenda cautione Mutiana.

§. *quid*

Digitized by Google

§. *quid ergo*, *ejuſd. leg.*

SI fideicommiſſum relictum ſit poſt mortem heredis præſtandum, ita, *ne cautio fideicommiſſi*, *neve ratio bonorum hereditatis exigatur ab herede*, per hujusmodi verba cautio fideicommiſſi ſervandi videtur remiſſa: quod teſtator facere potuit poſt conſtitutionem D. Marci, ex qua cautio fideicommiſſi ſervandi a teſtatore heredi remitti poteſt: verum rationum reddendarum onus non remittitur, ſed rationibus reddendis modus imponitur, ita ut culpa id eſt negligentia, non etiam dolus remiſſus intelligatur: & hoc generaliter obtinet in quolibet tutore vel curatore, procuratore vel negotiorum geſtore, vel ſervo actore, ut ſi eis remiſſæ ſint rationes, videtur remiſſa culpa, non dolus: & ita reſcriptum eſſe ait Papinianus *hic*; non videtur remiſſa redditio rationum, nec reliquorum præſtatio, ſed tantum indultum videtur ne ſcrupuloſæ rationes exigantur; *l. qui plures*, ſupr. *de adminiſtr. tut. l. ſi ſervus* 119. *de legat.* 1. *l. dominus Sticho*, §. *ult. de pecul. legat. l. ſi quis rationes*, *l. Aurelius*, §. *Mævia*, *de liberat. legat.*

§. *ſi arbitratu*, *ejuſd. legis*.

SI mulieri legatum relictum ſit ſub conditione, *ſi non nupſerit*, conditio remittitur, quia eſt contra legem *Juliam*, quæ injungit matrimonium liberorum procreandorum cauſa; *l. ſed ſi hoc*, §. *cum vir*, *&* † *dd. ll. ſeqq.* ſupr. *h. tit. l.* 2. *&* † 3. *C. de indict. viduit. tollend.* Quod ſi legatum mulieri relictum ſit ſub conditione, *ſi arbitratu Titii nupſerit*, conditio etiam rejicitur, quia matrimonia libera eſſe debent, non debent pendere ex alieno arbitrio, ut *hic*, & *l. Titio centum*, §. *Titio centum* 1. ſupr. *h. tit. l. Titia*, infr. *de V. O.* Idemque erit etſi Titius vivo teſtatore decedat, quo quidem caſu deficit ea conditio, *ſi arbitratu Titii nupſerit*, igitur etiam ſi defecerit ea conditio, mulier admittitur ad legatum, quia æque admittitur ad legatum, ſi ſit ſuſpenſa conditio, puta ſi Titius vivat poſt mortem teſtatoris, ut oſtenditur in *hoc* §. *& l. filiæ*, ſupr. *h. tit. l. turpia* §. 1. *de legat.* 1. Quod ſi mulieri ducenta legata ſint ſub conditione, *ſi* † *non nupſerit*, ac eidem centum legata ſint ſub conditione, *ſi nupſerit*: ſi nupſerit ducenta, non centum petet: ridiculum eſt enim eandem ut viduam, & ut nuptam admitti; *l. Titiæ*, infr. *h. tit.*

§. *Mævia*, *ejuſd. l.*

SI teſtator ita dixerit, *Mæviæ*, *ſi non nupſerit*, *fundum*, *cum morietur*, *do lego*: etiam ſi nupſerit, ſtatim admittitur ad legatum, nec expectanda eſt mors ejus, licet legatum nominatim collatum ſit in tempus mortis, quia verba illa, *cum morietur*, ſerviunt interpretationi conditionis, *ſi non nupſerit*, quæ remittitur quaſi ſcriptum eſſet, *lego ei fundum*, *ſi usque ad mortem vidua permanſerit*. Aliud dicendum erit, ſi dies certus vel incertus adjectus ſit legato relicto mulieri ſub conditione, *ſi non nupſerit*; hoc caſu conditio quidem remittitur, nam etiam ſi nupſerit non ideo minus debetur legatum, ſed expectandus erit dies legati.

§. *falſam cauſam*, *ejuſd. l.*

FAlſa cauſa non vitiat legatum, quia ratio ſeu cauſa legandi non cohæret legato, legatum poteſt conſiſtere ſine cauſa ſicut donatio, ex *hoc* §. exempli cauſa legavi tibi fundum, quia negotia mea curaſti, valet legatum, etiam ſi negotia mea minime curaveris; *l. demonſtratio*, §. *quod autem*, ſupr. *hoc tit.*

Digitized by Google

vel legavi uxori certas res quaſi proprias uxoris, quæ non erant, legatum valet, quia legandi animo datæ videntur; *l. qui uxori, de aur. & arg. leg.* exceptiones duæ ſunt: una, niſi alias teſtator legaturus non fuit, ut proponitur *hic, & in l. 1. C. de falſ. cauſ. l. ult.* ſupr. *de hered. inſtit.* ex qua falſa cauſa non vitiat etiam inſtitutionem, niſi teſtator alias teſtamentum mutaturus non fuit, niſi deceptus eſſet falſo rumore mortis filiæ, quæ inſtituta erat priori teſtamento: altera, niſi cauſa conditionaliter concepta ſit, puta, lego Titio centum, ſi negotia mea curaverit; *d. l. demonſtratio*, §. † *at ſi conditionaliter.*

§. *falſam conditionem, ejuſd. l.*

FAlſa conditio non vitiat legatum, veluti ſi Pamphilo libertas relicta ſit, *ſi quod Titio debeo ſolverit*, ſi Titio nihil debeo Pamphilus liber erit, quia ea conditio falſa eſt & impoſſibilis, & pro non adjecta habetur. Quod ſi teſtator poſt teſtamentum, quod Titio debebat ſolverit, conditio defeciſſe intelligitur, neque enim poteſt impleri jam a legatario, & conditio ſemel defecta non reſumitur; *l. heredibus, in pr.* infr. *ad Trebell.* Opponitur *l. ſi ſic*, §. 1. *de legat.* 1. ex qua falſa conditio ſeu cauſa vitiat legatum: exempli cauſa, ſi tibi legavi quod Titius mihi debet, & Titius nihil debeat, nullum eſt legatum: ratio eſt, quia non apparet quid ſit in legato, non eſt adjecta certa quantitas, puta non dixit lego tibi decem, quæ mihi Titius debet: ſed generaliter lego tibi quod mihi Titius debet, ſi nomen ſeu debitum nullum ſit, nullum eſt legatum, deficit ſubſtantia legati, quod confirmat *l. cum illud* §. 1. infr. *quand. dies, legat. ced.*

§. *ult. ejuſd. l.*

FAlſa demonſtratio nec vitiat legatum; *l. demonſtratio, l. falſa, l. nominatim*, ſupr. *h. tit. l. Quintus, de aur. & arg. legat.* ſed falſa demonſtratio non facit legatum, veluti ſi teſtator cum Titio nihil legaſſet ita dixit, *e centum, quæ Titio legavi, quinquaginta heres Seio dato*, nihil debetur ex præſumpta voluntate defuncti, quia non animus ei fuit legandi Titio, ſed diminuendi legati, quod falſo credebat a ſe relictum Titio: Seio debentur quinquaginta, etiam ſi Titio nihil ſit legatum, quia falſa demonſtratio non vitiat legatum.

L. 73.

CAutio Mutiana locum habet in conditionibus, quæ conſiſtunt in non faciendo, & quæ vivo legatario impleri non poſſunt, ut oſtenditur in *hac l. l. Mucianæ*, ſupr. *h. tit. l. †. pater Severianam*, §. *ſocrus*, infr. *h. tit. l. ſervo invito*, §. 1. infr. *ad Trebell.* excipitur ſi conditio hujuſmodi, veluti ſi Capitolium non aſcenderit, adjecta ſit libertati, ſtatim libertas debetur, etiam non præſtita cautione Mutiana, cum primum potuit aſcendere Capitolium & abſtinuit, conditio pro impleta habetur favore libertatis; *l. libertas* 17. §. 1. infr. *de manumiſſ. teſtam.* Igitur ſi Titio fundus legatus ſit ſub conditione, ſi in Aſiam non venerit, & idem fundus legatus ſit Sempronio ſub contraria conditione, ſi Titius in Aſiam pervenerit, & heres præſtiterit fundum Titio, exacta id eſt accepta cautione Mutiana, uti præſtanda fuit, quia cautio Mutiana locum habet in conditionibus, quæ conſiſtunt in non faciendo, & quæ morte legatarii finiuntur: ſi poſtea contra fidem præſtitæ cautionis de non faciendo Titius in Aſiam venerit, heres tenetur utili id eſt efficaci actione ex teſtamento, quidquid ex ſtipulatu id eſt ſtipulatione cautionis Mutianæ a Titio conſecutus fuerit, id Sempronio præſtare: ſed ſi cautio medio tempore defecerit, quæ ſollicite id eſt curioſe, fuerat exacta, id eſt ſi Titius & fidejuſſores,

qui

Digitized by Google

qui ab initio erant idonei, facti ſint non ſolvendo, hoc caſu heres de ſuo non tenetur Sempronio ſolvere legatum, quia nihil ei poteſt objici, nihil ei poteſt imputari qui idoneum fidejuſſorem accepit, & in ea re fecit quod diligens quiſque & cautus paterfamilias potuit facere, ſed liberatur actiones, quas habet, ei praſtando: qui enim idcirco tenetur, quod habet actionem, liberatur cedendo actione ſua: delegatio pro juſta præſtatione eſt; *l. quod debetur*, *de pecul. l. Imperator*, §. *centum*, *de legat.* 2. *l. cum is*, infr. *de fidejuſſ.* Heres, qui accepit idoneum fidejuſſorem, etiam ſi poſtea facultatibus lapſus ſit, non tenetur, quia nihil eſt quod ei imputetur, nec tenetur præſtare caſus fortuitos, & adverſam fortunam fidejuſſoris dati. Idem in magiſtratu, qui tutore dato fidejuſſorem exegit; *l.* 1. §. *ſi magiſtratus*, *de magiſtrat. conven. l. non eſt neceſſe*, *de probat.* Quod ſi Sempronius poſtquam Titius in Aſiam venit deceſſerit, actio legati tranſmittitur ad heredem, ut oſtenditur in *fin. h. leg.* omnes actiones transeunt in heredem, quæ cœperunt a defuncto; *l. un. C. ut act. ab hered.* Quod ſi Sempronius deceſſerit pendente conditione, id eſt antequam Titius venerit in Aſiam, Sempronius nihil tranſmittit ad heredem ſuum, quia ſpes inſtitutionis vel legati conditionalis non tranſmittitur ad heredem; *l. intercidit*, ſupr. *h. tit. l. unic.* §. *ſin autem*, *C. de caduc. tollend.*

L. 74.

SPecies *h. l.* hæc eſt. Teſtator mulieri & Titio uſumfructum prædii legavit ſub conditione, *ſi mulier non nupſerit*, quæ conditio tenet utrumque: ſi mulier nupſerit, nihilominus admittitur ad legatum pro ſua parte, quia beneficio legis, id eſt legis *Juliæ & Papiæ*, conditio viduitatis vel ſi non nupſerit remittitur; *l.* † *ſed ſi hoc*, §. *ult. l. cum ita*, *& ſeq.* ſupr. *h. tit. l.* 1. *&* 2. *C. de indict. viduit. tollend.* quæritur, an & Titius admittatur ad legatum pro ſua parte? Et ſane non admitteretur, ſi ei ſoli legatus eſſet uſusfructus ſub conditione, ſi mulier non nuberet, quia conditio, *ſi mulier non nupſerit*, non remittitur, ſi adjecta ſit legato alii relicto; *d. l.* 1. *C. de indict. viduit. toll.* Sed in hoc caſu, in quo conjunctim mulieri & Titio uſusfructus legatus eſt, ratio dubitandi eſt, quod Titius conditione defectus eſt, muliere nubente, & ideo totus uſusfructus videtur pertinere ad mulierem jure adcreſcendi; *l.* 1. ſupr. *de uſufr. adcreſcend.* At contra Papinianus definit in *hac lege*, mulierem non habere, niſi partem uſusfructus, & Titium alteram, quia beneficio legis id eſt legis *Juliæ & Papiæ* tantum ex legato mulieri conceſſum eſſe intelligitur, quantum haberet, ſi conditioni paruiſſet, id eſt ſi non nupſiſſet, & conditio, *ſi non nupſerit*, adjecta legato relicto mulieri & Titio, remittitur Titio propter collegatariam mulierem, ut ſæpius in jure evenit, ut quod quis non habet per ſe, habeat per alium, vel propter alium; *l. ſi communem*, ſupr. *quemad. ſervit. amitt. l. Ariſto*, *quæ res pignor. vel hypoth. l. cum hereditate*, *de adquir. hered. l.* 3. §. *ſi quis ex liberis*, *de bonor. poſſeſſ. contra tabul.* nec ſi Titius, qui conditione defectus eſt, partem ſuam repudiaverit, pars Titii repudiantis adcreſcit mulieri, ſed pars Titii defecta conditione redit ad proprietarium: repudiari non poteſt legatum, cujus conditio defecit, vel nondum exſtitit; *l. ſi ita ſit ſcriptum*, §. *ſi ſub conditione*, *de legat.* 2. & hic eſt caſus ſingularis, in quo non eſt jus adcreſcendi inter collegatarios conjunctos re & verbis. Ratio hæc eſt, ne mulier plus habeat parte ſua, quæ admittitur ad legatum contra voluntatem defuncti, non impleta conditione, & ut ait recte Bartolus *in hac l.* jus adcreſcendi non habet, qui venit ad legatum jure ſpeciali, contra voluntatem defuncti. Opponitur *l. ult.* §. *Seio*, *de legat.* 2. ex qua, ſi teſtator Seio, quem heredi inſtituto ſubſtituerat, ita legaverit, *Seio ſi mihi heres non erit*, *& uxori ejus tot dari volo*, ſi Seius heres exſtiterit, uxor

I i i j

ejus admittitur ad partem legati dimidiam. Sed in ſpecie conditio tenet utramque Titium & mulierem: in hac vero conditio tenet ſolum Seium, cum conditio eſt limitata ad perſonam unius, non extenditur ad perſonam collegatarii. —

L. 75.

DIes incertus in teſtamentis conditionem facit, ex *hac l. & † l. talis*, §. *ſed etſi*, *de legat.* 1. dies incertus adjectus legato facit legatum conditionale, eadem eſt vis & poteſtas diei incertæ, ac conditionis. Sicut legatum relictum ſub conditione, ſi legatarius pendente conditione deceſſerit, non transmittitur ad heredem; *l. intercidit*, ſupr. *h. tit. l. unic.* §. *ſin autem*, C. *de caduc. tollend.* ſic & ſi legatum in diem incertum relictum ſit, veluti cum heres morietur, ſi legatarius deceſſerit ante mortem heredis, legatum non transmittitur ad heredem legatarii; *l.* 1. §. *dies autem*, ſupr. *h. tit. l.* 4. infr. *quand. dies legat. cedat*: dies incertus habet vim conditionis, ſi dies legati poſſit non cedere, ut ſi cum morietur heres Titio legavero, quia ea conditio poteſt non exiſtere, nempe ſi vivo herede legatarius deceſſerit: dies incertus non facit conditionem, ſi omnino exſtiturus ſit, ſi omnino non poſſit non exiſtere, ut ſi cum morietur Titius ei legavero, hoc caſu purum eſt legatum, non conditionale, non conditione, ſed mora ſuſpenditur, quia fieri non poteſt, ut non debeatur legatum Titio, nam ſi poſt mortem heredis moriatur, heres heredis tenetur; *l.* 1. §. *dies autem*, ſupr. *h. tit. l. heres meus*, in pr. & §. 1. infr. *h. tit.* Dies incertus etiam non facit conditionem, ſi differendæ ſolutionis cauſa potius, quam animo conſtituendi incertum diem legati vel fideicommiſſi, collata eſt diſpoſitio in alterius mortem; *l. Seius Saturninus*, *in fin.* infr. *ad Trebell. l. ex his verbis*, C. *quand. dies legat. ced.* aut cum dies adjecta eſt favore heredis, vel favore legatarii, veluti ſi in tempus pubertatis legatum impuberi relictum ſit; *l. ſi ita relictum*, §. *Pegaſus*, *de legat.* 2. *l.* 3. §. *cum Pollidius*, *de uſur. l. Javolenus*, *al. l. cum qui*, *de annuis legat.*

L. 76.

SI fideicommiſſum relictum ſit ſub conditione, *ſi ſine liberis*, liberi adoptivi non faciunt deficere conditionem fideicommiſſi, conditio fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, non deficit adoptionis commento, ex *hac l. & l. ſi ita quis*, §. 1. *de legat.* 2. quia conditiones, quæ ſunt facti potius, quam juris, non recipiunt fictionem: adoptio eſt commentum ſeu fictio, adoptio eſt imago naturæ adumbrans veritatem ſuſcipiendorum liberorum; *l. filio quem*, *de liber. & poſth. l. cum in adoptivis*, C. *de adopt.* adoptio imitatur naturam; *l. adoptio*, *ff. eod.* & ita in privilegiis & immunitatibus, quæ dantur patribus, adoptivi non proſunt; *l.* 2. §. *adoptivi*, *de vacat. & excuſat. muner.* quod factum eſt ex S. C. Tacit. 15. annal. (cap. 19.) *Factum ex eo ſenatusconſultum*, *ne ſimulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret.*

L. 77.

AVia nepotem ex filio pro parte heredem inſtituit, ſub conditione emancipationis, id eſt ſi emanciparetur a patre, & ſi heres non eſſet, in defectum conditionis alium ei ſubſtituit. Deinde codicillis nepoti pure prælegavit certa prædia, non repetita conditione emancipationis, nec ſubſtitutionis his verbis, *& hoc amplius nepoti meo, quam quod eum heredem inſtitui*, *lego prædia illa*, conditio emancipationis adſcripta inſtitutioni cenſetur repetita in legato, ex *hac l. & l. duos*, † ſupr. *h. tit. l. cum ſervus*, *de condit. inſtit. l. ult.* §. *ult.*

Digitized by Google

ult. infr. de dol. & met. except. propter verba illa *: & hoc amplius*, quæ habent vim repetitionis *; l. libertis*, infr. *h. tit. l. ſi pure, de legat. 3. l. codicillis*, in princ. *de uſufr. legat.*

§. *Muciana, ejuſd. leg.*

MUtiana cautio locum habet in his conditionibus, quæ conſiſtunt in non faciendo, & quæ vivo legatario impleri non poſſunt *; l. Titio 73. l. mulieri*, ſupr. *h. tit.* Cautioni Mutianæ locus non eſt, ſi per aliam conditionem actio legati differatur, ut proponitur in hoc caſu. Finge, legavi tibi, ſi Capitolium non aſcenderis, vel ſi heredi decem dederis, vel ſi Alexandriam ieris : an oblata cautione Mutiana, te Capitolium non aſcenſurum, capies legatum? minime : quia alia conditio, quæ conſiſtit in dando vel † faciendo, ſuſpendit actionem legati, & impedimento eſt, ne locus ſit cautioni Mutianæ: conditio, quæ conſiſtit in non faciendo, pro impleta habetur remedio cautionis Mutianæ: conditio, quæ conſiſtit in dando vel faciendo, implenda eſt re ipſa.

§. *Titio, ejuſd. l.*

NOn eſt etiam locus cautioni Mutianæ in caſu *h.* §. ſi centum legata ſint Titio ſub conditione, ſi mulier non nupſerit, & Titius rogatus ſit ſub eadem conditione centum mulieri reſtituere, etiam ſi nupſerit mulier ſtatim petet fideicommiſſum non oblata cautione Mutiana, quia ea conditio mulieri remittitur, quæ impedit nuptias *; l. Titio, l. mulieri*, ſupr. *h. tit.* Titius autem propter mulierem die legati cedente legatum petet, ut id mulieri reſtituat: remoto autem fideicommiſſo Titius non aſſequetur legatum etiam oblata cautione quaſi Mutiana, id eſt ſi legatum non eſſet relictum Titio ſub ea conditione, ut reſtitueret mulieri ſi non nuberet, non peteret legatum relictum ſub conditione, ſi mulier non nupſerit, ne præſtita quidem cautione Mutiana.

§. *ult. ejuſd. leg.*

PAter filiam impuberem exheredavit, non notæ cauſa, ſed ut conſuleret filiæ impuberi (interdum liberi non notæ cauſa exheredantur, ſed ut eis conſulatur, ut ſi ſint impuberes, & inſtituta forte matre ab ea per fideicommiſſum eis hereditas relinquatur, cum ad pubertatem pervenerint, ne ſc. interim bona tutelæ lubrico committantur *; l. multi*, ſupr. *de liber. & poſth. l. unum ex familia*, §. *ult. de legat.* 2. vel ſi pater filiam, quam dote contentam eſſe velit, exheredat *; l. qui volebat, de hered. inſtituend.*) pater, inquam, filiam impuberem exheredavit, & uxorem heredem inſtitutam rogavit, ut moriens filiæ communi decies quinque reſtitueret, id eſt dena quinque millia, quod idem eſt ac quinquaginta millia, uti in *l. lecta, de reb. cred.* quindecim accipiuntur pro decem & quinque millia, eique tutores dedit, eoſque, ſi mater decederet adhuc filia impubere, juſſit accedere ad rem gerendam. Tutores non videntur dati ſub conditione, ideoque ſi qua interim bona obvenerint filiæ, horum adminiſtratione non prohibentur, ſed cautio fideicommiſſi ſervandi matri remiſſa intelligitur, quæ quocumque judicio voluntatis tacito vel expreſſo a teſtatore remitti poteſt, ex conſtitutione D. Marci *; l. licet, ut leg. nom. cav. l. pactum, de pact. l. 2. C. ut in poſſeſſ. legat.* cujus verba referuntur a Papiniano : itaque ſi cautionis non petendæ conditio legato vel fideicommiſſo præſcribatur, ea res conditionem non facit, id eſt non videtur legatum vel fideicommiſſum relictum ſub conditione, ſi legatarius cautionem legati vel fideicommiſſi ſervandi non petierit ab herede, & conditio non deficit, ſi legatarius pe-

tierit cautionem legati ab herede, quia fruſtra deſideratur cautio legati vel fideicommiſſi ſervandi ab herede, cum heres invitus non cogatur præſtare cautionem, quæ remiſſa eſt a teſtatore, poſtquam conſtitutione D. Marci cautionem legati vel fideicommiſſi ſervandi remitti placuit; Cujac. 14. *obſ.* 37.

L. 78.

SI conditio legati vel libertatis collata ſit in perſona pupilli, conditio jure communi pro impleta habetur, ſi per pupillum aut ejus tutorem ſtet quominus conditio impleatur, ex *hac l.* conditio pro impleta habetur, quoties per eum ſtat quominus impleatur in cujus perſona implenda eſt; *l. in jure*, infr. *de R. J.* in quo diſtinctione opus eſt: ſi enim conditio, quæ collata eſt in perſonam pupilli, conſiſtat in facto, veluti ſi pupillo ſervierit, quoniam ea conditio impleri poteſt in perſona pupilli citra interventum vel auctoritatem tutoris, ita & a pupillo ſolo impediri poteſt quominus impleatur, ſi per pupillum ſtet quominus impleatur pro impleta habetur: at ſi conditio, quæ collata eſt in perſonam pupilli, in dando conſiſtat, veluti ſi pupillo decem dederit, quia conditio impleri non poteſt in perſona pupilli ſolius citra tutorem, ne quod datur pupillus mox diſperdat, non poteſt etiam conditio impediri a pupillo ſolo, & ſi ſtet per pupillum ſolum quominus impleatur, non habebitur pro impleta; *l. ſervus decem*, infr. *de ſolut.* Sed ſi auctore tutore pupillus recuſet pecuniam accipere, tunc conditio habebitur pro impleta, ut in *l. Titius*, ſupr. *h. tit.* ſi legatum Titio relictum ſit ſub conditione, ſi ſtatuas in municipio poſuerit, & per municipes ſtet quominus conditio impleatur, quia locus a municipibus non datur ſtatuis collocandis, conditio pro impleta habetur: & in *l. Labeo* 50. ſupr. *de contrah. empt.* ſi mihi bibliothecam vendideris ſub conditione, ſi decuriones locum mihi vendidiſſent, in quo eam ponerem, conditio pro impleta habetur, ſi per me ſtet quominus impleatur.

§. 1. *ejusd. leg.*

IN conditionibus disjunctivis alteram impleri ſufficit, nec intereſt, an conditiones ſint poteſtativæ, an caſuales, ex *hoc* §. & §. *pen. inſt. de hered. inſtituend.* Hoc differunt conditiones conjunctivæ a disjunctivis, quod in conditionibus conjunctim adſcriptis omnes implendæ ſunt, quia unius loco habentur: in conditionibus disjunctivis unam impleri ſufficit, tam in legatis, quam inſtitutionibus; *l. ſi heredi*, ſupr. *de condit. inſtitut. l. ſi quis ita ſtipulatus* 129. *de V. O.* Opponitur *l. ſub diverſis*, ſupr. *h. tit.* quæ ait, ſi legatum relictum ſit ſub diverſis conditionibus disjunctim poſitis, legatarium parere debere noviſſimæ conditioni. Hoc enim verum eſt, ut optime docet *gloſſa*, quam ſequitur *Cujac.* ſi legatum relictum ſit ſub diverſis conditionibus poſitis disjunctim id eſt ſeparatim in diverſis partibus teſtamenti, quia in legatis noviſſima ſcriptura valet; *l. ſi mihi & tibi*, §. *ult. de legat.* 1. aliter atque in libertatibus: & hoc eſt quod dicitur in *l. quod traditum*, infr. *h. tit.* in legatis noviſſimam, in libertatibus leviſſimam conditionem ſpectari: ſed ſi legatum relictum ſit ſub pluribus conditionibus disjunctim poſitis, puta ſi heredi decem dederit, aut Capitolium aſcenderit, unam impleri ſufficit. Interdum tamen disjunctiva reſolvitur in conjunctivam, ut in *l. conjunctionem*, *l. ſæpe*, *de V. S. l. Lucius*, *de hered. inſtituend. & in l. ult. C. de inſtitut. & ſubſtit.* conditio disjunctiva appoſita fideicommiſſo reſolvitur in conjunctivam favore liberorum: finge pater liberos heredes inſtituit, & eis Titium ſubſtituit, ſi ſine teſtamento, vel ſine liberis, vel ſine nuptiis deceſſerint, ſubſtitutioni locus non eſt, niſi & inteſtati, & orbi & cœlibes deceſſerint.

L. 79.

L. 79.

SI legatum ita relictum ſit, *heres meus*, *cum morietur Titius*, *centum ei dato*, purum eſt legatum, quia non conditione, ſed mora ſuſpenditur: legato, quod confertur in tempus mortis legatarii, ineſt mora, non conditio, non poteſt enim conditio non exiſtere, quia certum eſt Titium moriturum, licet dies mortis ſit incertus: legatum eſt purum, & ſtatim cedit a morte teſtatoris, quamvis peti non poſſit priusquam Titius moriatur, & ſi Titius ante moriatur, transmittitur ad heredem ejus; *l.* 4. inſr. *quand. dies legat. ced.* Magna differentia eſt inter conditionem & moram: conditio ſuſpendit obligationem & actionem: mora non ſuſpendit obligationem, ſed petitionem tantum: conditio impedit ne legatum transmittatur ad heredem; *d. l.* 4. *quand. dies legat. cedat*: mora transmiſſioni impedimento non eſt: ac ſimiliter conditio impedit, ne jus legati poſſit cedi alteri; *l. legatum ſub conditione*, inſr. *h. tit.* mora non obſtat delegationi vel ceſſioni legati.

§. 1. *ejusd. leg.*

SI legatum Titio ita relictum ſit, *cum morietur heres*, *Titio centum dato*, legatum eſt conditionale: legato quod confertur in tempus mortis heredis ineſt conditio, ſi legatarius vixerit, quia etſi certum ſit heredem moriturum, tamen fieri poteſt, ut legatarius decedat ſuperſtite herede, & ita nihil transmittat ad heredem ſuum, *ex hoc* §. *l.* 1. §. *dies*, *l. intercidit autem*, ſupr. *h. tit. l.* † *ſi pecunia*, §. 1. *de legat.* 2. *d. l.* 4. inſr. *quand. dies legat. ced.*

§. *qui poſt*, *ejusd. l.*

SI legatum relictum ſit ſub conditione, quæ conſiſtit in non faciendo, veluti, *ſi Capitolium non aſcenderit*, *ſi Alexandriam non ierit*, legatarius ſtatim aſſequitur legatum oblata cautione Mutiana ſe non facturum: conditio, quæ conſiſtit in non faciendo, pro impleta habetur remedio cautionis Mutianæ: cavere autem debet legatarius, cui legatum eſt ſub conditione non faciendi, ſe non facturum, & ſi contra fidem cautionis aliquid fecerit, ſe rem legatam heredi cum fructibus & uſuris medii temporis reſtituturum: quod ſi contra fidem cautionis fecerit, ſtipulatione commiſſa tenetur reſtituere rem legatam vel quanti ea res erit cum fructibus vel uſuris medio tempore perceptis, ex *hac l. l. is*, † *cui ſub conditione*, ſupr. *h. tit. l. cum filius*, §. *qui Mucianam*, *de legat.* 2 *nov.* 22. *de nupt. cap.* 44. Et ſi in cautione Mutiana interponenda legatarius non caverit de fructibus reſtituendis, commiſſa ſtipulatione Mutiana, in ea veniunt fructus medio tempore percepti, ac ſi de his reſtituendis ſpecialiter cautum eſſet, quia cautioni Mutianæ apponi ſolet ſpecialis ſtipulatio, rem legatam cum fructibus & uſuris medii temporis reſtitutum iri, ut oſtenditur in *hoc* §. quæ vulgo cautioni apponi ſolent pro adjectis habentur, ſi forte omiſſa ſint; *l. quod ſi nolit*, §. *quia aſſidua*, ſupr. *de ædil. edict. l. ult. C. quæ res pignor. l. ult. al.*28.*C. de fidejuſſ.* † cavere autem debet is, cui legatum eſt ſub conditione non faciendi, his quorum intereſt; *l. ſervo invito*, §. *ſi teſtator*, inſr. *ad Trebell.* id eſt ei, ad quem deficiente conditione legatum pertinere poteſt; *d. l. is*, † *cui ſub conditione*, heredi ſc. vel ſubſtituto, vel conjuncto, vel legatario, a quo fideicommiſſum relictum eſt ſub conditione non faciendi aliquid, nam ad hos redit legatum, quod deficit.

Digitized by Google

§. *quamvis*, *ejuſd. leg.*

SI uſusfructus legetur, cum morietur, legatum eſt inutile, quia legatum confertur in id tempus, quo finitur; incipit ab ea hora, qua deſinit, ut oſtenditur *init. h.* §. *&* *l. Titio*, ſupr. *de uſufruct.*, *l. uſumfructum*, *de uſufruct. legat.* Si vero legetur uſusfructus ſub conditione non faciendi, legatum valet remedio cautionis Mutianæ, ut ſubjungitur in *hoc* §. Stipulatio, cum morieris, valet, quia incipir a morienre, & transmittitur in heredem; *l. quodcumque*, §. 1. infr. *de V. O. l. ult. C. de contrah. & commit. ſtipulat.* Hoc intereſt inter legata, & ſtipulationes, legata plenius accipiuntur, † ſtipulationes ſtrictius. Legatum ex ſola voluntate defuncti valet, ſtipulatio ex duorum conſenſu, ſtipulatoris & promiſſoris; *l. inter ſtipulantem*, §. *ſi Stichum.*, infr. *de V. O.* In ſtipulationibus ſpectatur utriusque conſenſus, & in ambiguo ſecundum promiſſorem interpretamur, & ſtipulatori imputamus cur apertius ſtipulationem non conceperit; *l. quicquid aſtringendæ*, *infr. de V. O.* Cautio Mutiana locum habet non modo in hereditatibus & legatis relictis ſub conditione non faciendi; *l.* 7. *l.* 18. ſupr. *h. tit.* verum etiam in donationibus mortis cauſa, *ex nov.* 22. *cap.* 44. *in fin.* donationes mortis cauſa per omnia fere legatis comparantur: ex hoc ſatis colligitur, in donationibus inter vivos cautioni Mutianæ locum non eſſe, quia donationes inter vivos ſtrictius accipiuntur, ut conſulatur rebus privatorum, quia donare eſt perdere; *l. filiusf.* infr. *de donat.* In libertatibus non eſt locus cautioni Mutianæ: finge teſtator ita libertatem reliquit, *Stichus liber eſto*, *ſi Capitolium non aſcenderit*, aut voluit libertatem conferre in ultimum vitæ tempus ſervi, aut non: ſi voluit libertatem conferre in ultimum vitæ tempus, non eſt locus cautioni Mutianæ, quia non fuit ei animus dandæ libertatis, ac proinde inutilis eſt libertatis datio, veluti ſi nominatim dixiſſet, *cum morieris liber eſto*: ſi noluit libertatem conferre in ultimum vitæ tempus, ſi ſerio libertatem adſcripſit non luſorie, nec hoc caſu locus eſt cautioni Mutianæ, ſed ne impediatur libertas, melius erit verba illa, *Stichus liber eſto*, *ſi Capitolium non aſcenderit*, interpretari, ſi cum primum potuerit Capitolium aſcendere, non aſcenderit; *l. libertas*, §. 1. *l. ult.* infr. *de manumiſſ. teſtament. l. cum heres*, §. 1. *de ſtatuliber.*

L. 80.

HOc intereſt inter conditionem & modum, quod conditio ſuſpendit actum Legatum relictum ſub conditione, puta ſi monumentum teſtatori fecerit, interim non debetur priusquam conditio exſtiterit; *l. certi condictio*, *de reb. credit. l. is*, *cui*, infr. *de oblig. & act. l. conditionales*, *l. cedere diem*, *de V. S.* Modus vero non ſuſpendit actum, & ſi legatum relictum ſit ſub modo, veluti, ut monumentum faciat, ſtatim peti poteſt præſtita cautione de modo implendo, ut traditur in *hac l.* etſi minus aperte, & *l. quibus diebus*, §. *fin.* ſupr. *h. tit.* Conditio proprie ea eſt, quæ confertur in futurum: conditio collata in præſens vel præteritum, puta ſi Rex Parthorum vivit, ſi Titius conſul fuit, non habet vim & effectum conditionis, non ſuſpendit actum, non facit legatum conditionale; *l. cum ad præſens*, *& ſeqq.* ſupr. *de reb. credit.* §. *conditiones*, *inſt. de V. O.* Et hoc eſt quod dicitur *init. h. l. eas cauſas*, *quæ protinus actorem repellunt*, *in legatis & fideicommiſſis*, *pro conditionalibus non obſervari*: non enim expectatur eventus conditionis, ſed ſtatim repellitur legatarius ſi agere velit, quaſi conditione defecta.

L. 81.

L. 81.

SI Sticho cum contubernali ſua libertas relicta ſit ſub conditione, ſi rationes reddiderit, eiſque decem legata ſint ſub eadem conditione: Sticho mortuo antequam rationes reddiderit, quæritur, an contubernalis ejus fiat libera, & admittatur ad legatum? Paulus in *hac lege* diſtinguit, † aut pariatore, aut reliqua habente deceſſerit. (Pariator eſt, qui acceptum cum expenſo æquavit: unde paria facere; *l.* 40. §. *ult. de ſtatulib. l. ult.* §. *ult. de dol. mal. & met. except. l. pen.* §. *conductores, de jur. immunit.* Columell. *lib.* 1. *cap.* 8. Senec. *epiſt.* 9. & 19. Et ead. analogia idem Senec. *epiſt.* 101. *de ira lib.* 3. *cap.* 25. *de beneſ. lib.* 2. *cap.* 30. & *lib.* 3. *cap.* 10. Senec. alter *natur. quæſt. lib.* 4. Plin. *lib.* 7. *epiſt.* 19. & *in panegyr.* Hinc pariare *in l.* 4. §. 5. *de manumiſſ.* & pariatio in *l. ult.* §. 3. *de condict. indeb.* Pariatori opponitur reliqua habens in *h. l.*) Si reliqua nulla ſunt, & hoc caſu mulier libera erit, & legatum aſſequitur, quia libertatem & legatum ex eventu pure videtur accepiſſe, & libertas ſimul & legatum cedit ab adita hereditate: libertates enim teſtamento relictæ, & legata manumiſſis data non ante cedunt, quam ab adita hereditate, quia libertas ab herede præſtanda eſt ſimul & legatum manumiſſo relictum; *l.* 3. C. *de teſt. manum.* Quod ſi Stichus reliquator fuerit, id eſt reliqua debeat, conditio rationum reddendarum etiam mulieri injuncta videtur, & niſi mulier reliqua præſtiterit, non poteſt pervenire ad libertatem & legatum, quaſi defecta conditione, quia conditio rationum reddendarum non videtur impleta, niſi rationes redditæ ſint computatione rationum habita, & reliqua, ſi quæ ſunt, præſtita, cum fide actus, id eſt cum inſtrumentis actus ſeu adminiſtrationis, ut dicitur *hic*, & *l. prox.* infr. *h. tit. l. qui libertatis*, §. *ſervus*, ſupr. *de evict. l. cum teſtamento*, C. *de teſtam. manumiſſ.* Et ita Juliano videtur, quod conditio rationum reddendarum pertinet etiam ad contubernalem, ſi injuncta ſit his verbis, *ſi rationes reddiderit Stichus, cum contubernali ſua liber eſto*; *l. ſi ſervo*, §. 1. infr. *de ſtatuliber.* & hoc Paulus negat: verum non ineleganter poſſe dici tentat his verbis, *ſi Stichus actus ſui rationem reddiderit, cum contubernali ſua liber eſto*, Stichum quidem ſub conditione manumiſſum, contubernalem autem ejus pure, quia non videbatur conditio rationum reddendarum pertinere ad mulierem; & illam conjunctionem, non ad conjungendam conditionem, ſed ad neceſſitudinem demonſtrandam, quæ erat inter contubernales, pertinere. Inter ſervos non eſt connubium, ſed contubernium; *l.* 3. C. *de inceſt. nupt. l.* † *ſervi*, C. *ad l. Jul. de adult.* Unde uxores ſervorum dicuntur contubernales, ut in *hac leg. l. uxorem*, §. *codicillis*, §. *concubina*, *de legat.* 3. *l. quæſitum*, §. *contubernales*, *de inſtruct. vel inſtr. legat.* Eadem ratione inter ſervos non eſt proprie neceſſitudo, id eſt cognatio vel affinitas, quæ oritur ex juſtis nuptiis, ſed quaſi neceſſitudo, propter conjunctionem ſeu contubernium, quod eſt vice connubii: ob illam conjunctionem ſervi contubernales non ſolebant ſeorſim venire, & ſi alter vitioſus eſſet, non ſolebant redhiberi ſeparatim; *L. plerumque*, *de ædil. edict.* Dura eſt ſeparatio inter parentes & liberos, inter uxorem & virum, inter contubernales; *d. l. uxorem*, §. † *codicillis*, *d. l. quæſitum*, §. † *uxores*.

L. 82.

SI Stichus ſervus liber eſſe juſſus ſit ſub conditione, *ſi rationes reddiderit*, eique fundum heres dare damnatus ſit, conditio rationum reddendarum injuncta libertati, repetita videtur in legato, quaſi legatum ſit præmium redditionis rationum, & conditio rationum reddendarum impleta non videtur, niſi

ſervus rationes reddiderit, & reliqua præſtiterit, & inſtrumenta actus ſui tradiderit heredi, ex *hac l. & l. prox.* ſupr. *h. tit. l.* † *boves*, §. *ult.* infr. *de V. S. l. ſi ita ſuerit*, §. *hæc quæſtio*, *de manumiſſ. teſt. l. cum teſtamento*, *C. de teſtament. manumiſſ.* Conditio rationum reddendarum eſt conditio mixta, quæ conſiſtit in faciendo, puta ſi rationes reddiderit, & in dando, puta ſi reliqua præſtiterit, ut dicitur in *hac l.* nec ſi ille in ſolle, id eſt in burſa; ut interpretatur *gloſſ.* reliqua obtulerit, liber erit, ut additur in *hac l.* ſola oblatio reliquorum, quæ fit in ſolle, non expoſita pecunia, non liberat debitorem, ſola oblatio pecuniæ debitæ non ſiſtit curſum uſurarum, nec ſolvit obligationem, niſi creditore non accipiente ſequatur obſignatio & depoſitio pecuniæ; *l. acceptam*, *C. de uſur. l. obſignatione*, *C. de ſolut.* Interdum etiam fit non ſit cui pretium offeratur, puta venditore defuncto incerto ſucceſſore, ſola depoſitio pretii ſiſtit curſum uſurarum; *l. evictis*, §. *ult.* ſupr. *de uſur.* Conditio etiam rationum reddendarum hoc imponit, ut qui rationem reddit, heredes inſtruat notitia rationum, id eſt doceat de ſingulis, quæ in rationibus continentur, ex *hac l. & l. ſi pure*, *de fideic. libertatib. l. Pomponius*, *famil. erciſc.* Rationes ſunt tabulæ accepti & expenſi; *l. ſi quis*, §. *rationem*, *ff. de edend.* Hinc dictum, rationes habere utramque paginam; Plin. libr. 2. cap. 7. de † Fortuna: *Huic omnia expenſa omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, ſola utramque paginam facit.* Cujac. 3. *obſ.* 33.

L. 83.

SUus heres, id eſt filius, qui eſt in poteſtate patris, poteſt inſtitui ſub conditione poteſtativa; *l. ſuus*, *l. jam dubitari*, *ſupr. de hered. inſtit.* non ſub conditione caſuali, niſi in ejus defectum ſit exheredatus; *l. liberto*, §. *deni.* infr. *de bon. libertor. l. filius a patre*, *de liber. & poſth. l.* 4. *C. de inſtitut. & ſubſtitut.* Hodie ſi filiusf. inſtitutus ſit ſub conditione caſuali vel mixta, valet teſtamentum, & conditio rejicitur, ac pro non ſcripta habetur; *l. quoniam in prioribus*, *C. de inoff. teſtam.* Igitur ſi quis heres inſtitutus ſit ſub conditione, ſi filium teſtatoris ſe eſſe judici probaverit, teſtamentum non valet; quia inſtitutus eſt ſub conditione, quæ non ſit in ejus poteſtate, ex *hac l.* In poteſtate heredis inſtituti non eſt probare ſe eſſe filium defuncti, quia copia probationum pendet ex variis argumentis. Cum quæritur, an quis filius ſit, nec ne, probatio ducitur ex fide nuptiarum, pater eſt quem nuptiæ demonſtrant; *l. filium*, ſupr. *de his qui ſui vel alieni jur.* vel ex ſcientia, & opinione vicinorum; *d. l. filium*, *l. ſi* † *vicinis*, *C. de nupt.* etiam profeſſione parentum apud acta; *l. etiam*, ſupr. *de probat. l.* 6. *C. de fide inſtrum.* id eſt teſtimonio patris, matris, & avi, obſtetricum, & mulierum, quæ uxori parturienti adfuerunt; Auguſtin. de altercat. eccleſ. & ſynagogæ ††: *Quæro enim ſi quod neſcitur credendum non eſt, quomodo ſerviant parentibus liberi, eoſque mutua pietate diligant, quos parentes ſuos eſſe non credant, non enim ratione ullo pacto ſciri poteſt, ſed interpoſita matris auctoritate de patre creditur*: de ipſa vero matre plerumque nec matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis, an filius ſit probatur & aliis conjecturis, ut ſimilitudine oris; Catull. *Sit ſuo ſimilis patri Manlio & facile inſciis. Noſcitetur ab omnibus, ut pudicitiam ſuæ matris judicet ore.* Symmach. libr. 1. epiſt. 15. *Non ſolus vultus aut color aſſerit poſteros in honorem parentum, certiores habet natura vindicias bene ſentiendi, ac bene loquendi.* Si filius inſtitutus ſit ſub conditione, ſi filium teſtatoris ſe eſſe probaverit, teſtamentum nullum eſt, quia quod in noſtra poteſtate eſt, fruſtra confertur in caſum conditionis; *l.* 7. ſupr. *de contrah. empt.* In poteſtate teſtatoris fuit agnoſcere filium; cur ergo cum inſtituit ſub conditione, ſi probaverit ſe eſſe filium, quod ei probare impoſſibile ſit aliter, quam

†† Locus iſte ab auctore laudatur ex eodem dialogo in *comment. ad epiſt. decretal.* Inn. III. *ſup. cap.* 10. *de probat.* Attamen in citata *altercatione*, quæ in lib. meo a PP. S. Mauri in *append.* tom. 8. fuit rejecta, laudata verba non inveni.

quàm argumentis & conjecturis ? conditio, quæ non eſt in poteſtate noſtra, eſt in difficili ; *l.* 4. §. *puto, de hered. inſtit.* id eſt pro impoſſibili habetur.

L. 84.

SI libertis legata ſint alimenta & veſtiaria ſub conditione, *ſi cum filio morarentur* : morte filii, ſi libertorum contemplatione, conditionem quidem in perſonam libertorum non defeciſſe, ſi cum filio morati ſunt, aut per eos non ſtetit, quominus morarentur. Sed ſi propter filii utilitatem, ut ei in obſequio eſſent, alimenta legata fuere, legatum extinguitur, ex *h. l. l. annua* 20. ſupr. *de ann. legat. l. Gaio*, §. *Imperator*, *l. Stichus*, §. *ult. de alim. legat. l.* 1. *C. de legat.* In legato alimentorum, licet conditio ſucceſſiva, puta ſi moretur cum filio, impleri non poſſit ob caſum, citra culpam implere debentis, non deficit conditio favore alimentorum ; alimenta enim perpetuò relicta intelliguntur, hoc eſt quamdiu vixerit legatarius ; *d. l. Gaio*, §. *Imperator.*

L. 85.

TItia Seium filium heredem inſtituit, & eum rogavit, ut rem univerſam id eſt hereditatem reſtitueret liberis ſuis cum ipſi petiiſſent, ſine ulla juris cavillatione : quæritur, an hujuſmodi verbis, *cum petierint*, conditio fideicommiſſo adſcripta videatur ? Scævola reſpondit, non videri. Ratio eſt, quia hujuſmodi verba, *cum petierint*, magis admonitionem continent, quo ſtatim fideicommiſſum petenti præſtetur ſine mora, ſine lite & controverſia, quam conditionem : teſtator magis videtur deſideraſſe, ut fideicommiſſum præſtetur petenti ſine ulla juris cavillatione, id eſt exceptione moratoria & fruſtratoria, quam injeciſſe conditionem : ut ſi ſtipuler decem dari, *cum petiero*, hujuſmodi ſtipulatio magis quandam admonitionem, quo celerius & ſine mora illa decem preſtentur, quam conditionem continet ; *l. ſi decem*, infr. *de V. O.* Et ſi tutor datus a prætore in urbe vel a præſide in provincia, ſi ſatisdederit, hæc non conditionem in ſe haberet, ſed admonitionem de non aliter admittendo tutore, niſi prius caverit rem pupilli ſalvam fore ; *l. muto*, §. *ſub conditione*, ſupr. *de tutel.*

L. 86.

SI Stichus liber eſſe juſſus ſit ſub conditione, *ſi decem heredi dederit*, eidemque fundus legatus ſit, ſi a teſtatore vivente manumiſſus ſit, non aliter conſequitur legatum, quàm ſi conditioni libertatis pareret, id eſt decem det heredi, quia conditio dandi adjecta libertati, tacite videtur repetita in legato. Idem dicendum eſt, ſi Stichus a vivo teſtatore alienatus ſit, legatum emptori non adquiritur, niſi pareat conditioni libertatis : & hoc locum habet, cum omnimodo ſimul cum libertate legatum adquiri potuit Sticho, licet legato expreſſim impoſita non ſit conditio dandi decem, veluti cum in tempus libertatis collatum eſt legatum, quia ſervo proprio non poteſt legari ſine libertate ; *l. ſervis*, *C. de legat.* Cum vero libertas ſub conditione, legatum autem pure ſeu præſenti die datum eſt, quæritur an valeat legatum ? Marcianus reſpondit, valere, nihil obſtante regula Catoniana, quæ vult id legatum non valere, quod eſſet inutile, ſi ſtatim a teſtamento teſtator deceſſiſſet ; *l.* 1. ſupr. *de regul. Caton.* quod etſi ſtatim poſt teſtamentum teſtator deceſſiſſet, legatum non eſſet inutile, cum poſſet conditio libertatis, quæ ſci. conſiſteret in dando, ante aditam hereditatem impleri, & legatum manumiſſo deberi. Conditiones enim quæ verſantur in dando vel faciendo, ſtatim poſt mortem teſtatoris impleri poſſunt, etiam ante aditam hereditatem ; *l.* 2. *l. multum*, ſupr. *h. tit.*

l. quæſitum, §. 1. *de legat.* 1. Excipitur niſi neceſſarius heres inſtitutus ſit; puta conſervus Stichi, hoc caſu ſi libertas Sticho relicta ſit ſub conditione, *ſi decem daret heredi*, legatum autem ei fuit datum pure, tunc omnino non valet legatum, quia eo tempore, quo explet conditionem dando decem, invenitur in dominio heredis neceſſarii, quia ſervus eſt neceſſarius heres, etiam invitus, fit ſtatim heres mortuo teſtatore; ergo ſervo non adquiritur legatum; *d. l. ſervis*.

L. 87. 88. 89. 90.

IN legatis noviſſima, in libertatibus leviſſima conditio ſpectanda eſt; *l. ſub* † *diverſis*, ſupr. *h. tit. & duabus his priorib. legib.* In legatis noviſſima ſcriptura ſpectanda eſt; *l. ſi* † *mihi & tibi*, §. *in legatis*, *de legat.* 1. *l. ſi quis in principio*, *de legat.* 3. Idem in tutoris datione; *l. tutor datus*, §. *ult. l. ſi hereditas*, §. 1. *ff. de teſtam. tutel.* Quod dictum eſt, in legatis noviſſimam, in libertatibus leviſſimam conditionem ſpectandam eſſe, non ad ea dumtaxat pertinet, quæ ſæpius ſub diverſis conditionibus, ſed etiam quæ primum pure, deinde ſub conditione dantur. Finge, ſi cui pure fundus legatus ſit, tum ex intervallo, id eſt eodem quidem teſtamento, ſed ſeparatim non eodem tenore, poſterius valet, id eſt legatum erit conditionale, nec debetur niſi exiſtente conditione: non abs re dictum eſt ex intervallo; nam ſi pure fundus legatus ſit, & ex continenti idem pure, vel ſub conditione legatus ſit, perinde eſt ac ſi conjuncta ſcriptura idem legatum eſſet pure, vel ſub conditione, prout legatarius maluerit, quia ex continenti teſtator non præſumitur receſſiſſe a priori voluntate, ut recte advertit *gloſſ. hic.* ex continenti non præſumitur mutatio voluntatis, niſi probetur; *l. eum qui*, ſupr. *de probat. l. Lucius* 22., *de legat.* 2. voluntas perdurare præſumitur, niſi mutata probetur; *cap. majores*, §. † *dormientes*, *verſ. perdurare*, *de baptiſm.* Et hoc locum habet, niſi cum commemoratione prioris legati poſterius ſcriptum ſit, veluti ſi teſtator ita dixit, *Stichum, quem illi legavi pure, heres meus ei ſi illud factum erit dato*, tunc enim teſtator videtur ita ſcripſiſſe animo revocandi præſens legatum, & ſub conditione dandi, & ſi legatarius petat legatum ante conditionis eventum, doli exceptione repellitur; *l.* 89. Quod dixi, in libertatibus relictis ſub duabus vel pluribus conditionibus, leviſſimam conditionem ſpectandam eſſe, locum habet in libertatibus directis: in libertatibus vero varie, id eſt ſub variis conditionibus datis per fideicommiſſum, non leviſſima ſed noviſſima conditio ſpectanda eſt, ſicut in legatis, ex reſcripto D. Antonini; *l.* 90. *l. in libertatibus*, infr. *de manumiſſ. teſtam.* quia fideicommiſſa comparantur legatis; *l.* 1. & 2. C. *commun. de legat. & fideicommiſſ.* §. *ſed non uſque*, *inſt. de legat.* Aliud eſt in inſtitutionibus, ſi idem pure ſit inſtitutus, & deinde ſub conditione, non valet ſequens inſtitutio, quia ſatis plena prior fuit; *l. ſi te ſolum*, §. 1. ſupr. *de hered. inſtituend.*

† *L.* 91.

Dictum eſt ſup. *l.* 2. & 19. *h. tit.*

L. 92.

SI cui legatum relictum ſit, iſque rogatus ſit liberos emancipare jure ordinario, non cogitur eos emancipare ex cauſa fideicommiſſi, ex *hac l. & l. filiusf.* §. *ſed ſi liberos*, ſupr. *de legat.* 1. Ratio ibi additur, quia patria poteſtas inæſtimabilis eſt. Sed ſi agnoverit legatum, extra ordinem, id eſt implorata auctoritate Principis, compellitur emancipare liberos, nec enim circumvenienda eſt voluntas teſtantium, ut ait Ulpianus in *hac l.* Qui ſemel agnovit judicium defuncti, debet obſequi voluntati defuncti; *l. Gaii Caſſii*, *de fideic.*

dec. libert. Idem dicendum eſt, ſi cui legatum ſit ſub conditione, ſi emancipet liberos, vel ſub modo, ita ut emancipet liberos; & ſi mater nepotes ex filio, & ipſum filium heredes inſtituerit, & invicem ſubſtituerit, & filium rogaverit, ut emanciparet liberos ſimpliciter, nec filium rogavit, ut hereditatem reſtitueret liberis, cogitur eos emancipare, eiſque reſtituere hereditatem, ex reſcripto Divi Severi, quia tacite videtur rogatus eis reſtituere hereditatem cum ſui juris effecti fuerint; *l. prox.* infr. *h. tit. l. ubi pure*, *infr. ad Trebell.* Et ſi pater rogatus moram fecerit in emancipandis liberis, uſuras præſtat quaſi ex mora, fideicommiſſi enim univerſalis vel ſingularis fructus vel uſuræ debentur ex mora; *l. in fideicommiſſaria*, infr. *ad Trebell.* moram enim faciens emancipationi, videtur etiam moram facere reſtitutioni fideicommiſſi. Eadem interpretatione, ſi quis rogatus ſit quendam adoptare, non cogitur adoptare, ſed ſi non adoptaverit cogitur reſtituere hereditatem; *l. uxorem*, §. *ejus heres*, *de legat.* 3. Sunt & alii caſus, in quibus pater cogitur filium emancipare, ut in *l. nonnunquam*, *de adopt.* ſi impubes ſit adoptatus, & pubes factus emancipari deſideret, cauſa cognita pater cogitur eum emancipare: & in *l. ult. ſi a parent. quis manumiſſ.* pater ſi ſæviat in filium cogitur eum emancipare.

L. 93.

MAter filium, & neptes ex filio heredes inſtituit pure ſine conditione, & filium rogavit, ut filias emanciparet, ita ut curatorem a prætore acciperent, & eos invicem ſubſtituit vulgariter; filius tacite rogatus videtur filiabus emancipatis reſtituere portiones hereditarias eis teſtamento adſcriptas, ſive eas jure patriæ poteſtatis, ſive jure ſubſtitutionis quæſiſſet, ex hac *l.* & *l. prox. ſupr. h. tit.* quibus conjungenda eſt *l. quamvis*, *C. de fideicomm.* Pater filiæ ſubſtitutus tenetur ei reſtituere portiones ejus etiam ex ſubſtitutione quæſitas, quia non alio animo pater filiæ ſubſtitutus videtur, quam ut ei reſtitueret portionem ejus ex ſubſtitutione quæſitam: nemo intelligitur filiæ patrem contra votum parentum ſubſtituere, ſed ut arbitrium eligendi ei relinquat; *l. Julianus*, §. 1. ſupr. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Pater rogatus liberos emancipare, tacite rogatus videtur maternam hereditatem eis reſtituere, quia plerumque mater liberos inſtituebat ſub conditione emancipationis, ne hereditas per filium patri adquireretur, ſed ut poſt emancipationem hereditas ad filium perveniret; *l. prox.* ſupr. *h. tit. l. avia*, *infr. h. tit. l.* 3. §. *etſi heres*, ſupr. *de minor. l. quidam*, *de hered. inſtit. l. ult. de petit. heredit. l. cum filio*, *de legat.* 3. *l. filiam*, *de aur. & arg. legat. l. mulier* 22. infr. *ad Trebell. l. utrum*, *de V. O. l. filiis matrem*, *C. de inoff. teſtam. l.* 3. *C. de inſtitut. & ſubſtitut.* Plin. libr. 4. epiſt. 2. *Hunc Regulus emancipavit, ut heres matris exiſteret.* Et idem libr. 8. *epiſt.* † 18. *Curtius Mantia perosus generum ſuum Domitium Lucanum ſub ea conditione, filiam ejus, neptem ſuam, inſtituerat heredem, ſi eſſet manu patris emiſſa.* Et Tranquill. in Vitell. cap. 6. *Hunc heredem a matre ſub conditione inſtitutum, ſi de poteſtate patris exiſſet, manu emiſit.*

L. 94.

SI libertas Sticho ſervo relicta ſit ſub conditione, *ſi decem daret Titio*, † qui heres non eſt, quia certa perſona demonſtratur, in ejus perſona tantum conditio impleri poteſt: conditio, quæ cohæret perſonæ, non poteſt impleri in perſona heredis, vel alterius; *l. prox.* infr. *h. tit. l. legatum ſub conditione*, † ſupr. *de adimend. legat. l.* 4. §. *ſi ſub conditione*, *de fideic. libertat. h. l. unic.* §. *ne autem*, *C. de caduc. tollend.* Et ſi Stichus, cui libertas data eſt ſub conditione, *ſi decem dederit Titio in certum diem*, cedente die decem parata

Digitized by Google

habeat, nulli dando perveniet ad libertatem jure conſtituto, id eſt ex conſtitutionibus Principum favore libertatis, ut ait Hermogenianus in *hac l.* id eſt ſi non ſit, cui paratam pecuniam offerat, forte mortuo Titio, conſequitur libertatem, quia conditio pro impleta habetur favore libertatis, ſi caſu deficiat, puta morte Titii, in cujus perſona conditio implenda erat, quia per eum non ſtat quominus decem det Titio; *l. ſi peculium*, § *is*, *cui*, infr. *de ſtatulib.* Conditio etiam adjecta libertati pro impleta habetur, ſi alio caſu fortuito deficiat; puta ſi Stichus libertatis aſſequendæ cauſa juſſus dare decem heredi, dum properat ad heredem pecuniam perdiderit incurſu latronum vel hoſtium, vel alio caſu; *l. ult. C. de condit. inſert.* conditio pro impleta habetur favore libertatis, quæ caſu deficit; *l. ult. C. de neceſſar. ſerv. hered. inſtituend.* ut & ſi Stichus manumiſſus ſit ſub conditione, *ſi decem daret heredi*, ſi heres oblata decem idoneo loco & tempore non acceperit, conditio pro impleta habetur, nec pœnitentiæ locus eſt heredi, id eſt etiam ſi poſtea heres mutata voluntate paratus ſit decem accipere, non tenetur decem dare, quod enim ſemel repudiatum eſt, redintegrari non poteſt; *d. l. ult. C. de condit. inſert.* id eſt conditio, quæ ſemel impleta eſt, vel pro impleta habetur, non reſumitur; *l. pater Severianam*, §. *ult.* infr. *h. tit.* l. 3. §. *Stichus*, infr. *de ſtatuliber.* Aliud eſt in legatis, ut ſubditur in *hac l.* ſi cui legatum ſit ſub conditione, *ſi decem daret Titio*, conditio legati deficit, ſi Titius moriatur antequam legatarius det ei decem, quia conditio, quæ cohæret perſonæ, non poteſt impleri in perſona heredis.

§. 1. *ejusd. l.*

SI vero Stichus liber eſſe juſſus ſit ſub conditione, *ſi decem dederit heredi*, *vel heredi Titio*, non tantum heredi, ſed etiam heredi heredis dando perveniet ad libertatem, ex *hoc* §. & *l. ſub diverſis*, §. 1. ſupr. *h. tit. l. ſi peculium*, §. *heredi*, *infr. de ſtatulib.* Conditio dandi heredi purificatur, id eſt impletur, dando heredi heredis, quia heres heredis eſt heres teſtatoris; *l. qui per ſucceſſionem*, *de R. J. l.* 3. ſupr. *de petit. hered. l. ult. C. de hered. inſtit.* heres heredis eſt eadem perſona cum defuncto. Quod ſi heres deceſſerit ſine herede, jure conſtituto, id eſt conſtitutionum, nulli dando perveniet ad libertatem, conditio dandi pro impleta habetur, quia per heredem, vel heredem heredis ſtat quominus conditio impleatur, quæ in ejus perſona implenda eſt.

L. 95.

SI cui legatum ſub conditione relictum ſit, & poſtea eodem teſtamento, vel codicillis ad teſtamentum factis, translatum ad alium ſimpliciter non repetita conditione, translatum videtur ſub eadem conditione, niſi conditio perſonæ cohæreat, ex *hac l. l. legatum ſub conditione*, ſupr. *de adimend. legat. l. Gaio*, *de aliment. legat.* Conditio adjecta legato cenſetur repetita ex voluntate teſtatoris, ſi transferatur ad alium. Secus conditio adjecta heredi inſtituto, non cenſetur repetita in ſubſtituto; *l. ſub conditione*, ſupr. *de hered. inſtit.* Conditio, quæ cohæret perſonæ, non intelligitur repetita, ex *hac l.* & *l. prox.* ſupr. *h. tit. d. l. legatum ſub conditione*, *l. unic.* §. *ne autem*, *C. de caduc. tollend.* veluti, ſi quis uxori legaverit ſusceptis liberis.

L. 96.

SI Titio uſusfructus Stichi ſervi legatus ſit, & ſi ad eum pertinere deſiiſſet, puta finito uſufructu morte vel capitis diminutione Titii, libertas Sticho data ſit, Stichus liber non erit, ſi ſi vivo teſtatore deceſſerit, quia conditio

nec

nec initium accepit : conditio non poteſt deſinere, quæ non cœpit : uſusfructus non videtur deſiiſſe, qui non incepit, præmortuo Titio vivo teſtatore : idem dicendum eſt ſi Titius viveret, & uſumfructum capere non poſſet, veluti ſi uſusfructus legatus ſit orbo vel cœlibi, qui lege *Julia & Papia* ex teſtamento capere non poteſt, deſiiſſe non videtur, quod nec incepit, *ex init. h. leg.* non poteſt videri deſiiſſe habere, qui numquam habuit ; *l. non poteſt*, infr. *de R. J.* quam pertinere ad legem *Juliam & Papiam*, id eſt ad eos, qui capere non poſſunt propter incapacitatem, quæ provenit ex *lege Julia & Papia* ; indicat inſcriptio legis, quæ eſt Pauli ad legem *Juliam & Papiam*.

† *L.* 97.

Dixi ſupr. *in l.* 20.

L. 98.

QUamvis res mea mihi pure legari non poſſit ; *l. cetera*, §. 2. ſupr. *de legat.* 1. §. *ſed ſi rem*, *inſtit. de legat.* quia quod ſemel meum eſt, amplius meum fieri non poteſt ; *d.* §. *ſed ſi rem* : res mea ſub conditione legari mihi poteſt, quia fieri poteſt, ut tempore exiſtentis conditionis non ſit mea, quo caſu valet legatum, quia in conditionibus, non teſtamenti facti, ſed evenientis conditionis tempus ſpectandum eſt, ex *hac l.* In conditionibus ſemper ſpectatur tempus exiſtentis conditionis ; *l. intercidit*, §. 1. ſupr. *l. eum qui poſt*, infr. *h. tit. l. eum pater*, §. *hereditatem*, *de legat.* 2. Eadem ratione quod meum eſt ſub conditione emere poſſum, quia evenire poteſt, ut meum eſſe deſinat ; *l. exiſtimo*, ſupr. *de contrah. empt.* Idem multo magis dicendum eſt, ſi res mea mihi legetur ſub conditione, ſi tempore mortis teſtatoris mea non erat ; *l. heredem*, *de legat.* 2. Neque obſtat regula Catoniana, per quam legata, quæ ab initio non valent, ex poſt facto non convaleſcunt ; quia hujuſmodi regula non habet locum in legatis conditionalibus ; *l.* 2. *de reg. Caton.* In legatis conditionalibus, non tempus teſtamenti, ſed exiſtentis conditionis ſpectatur.

L. 99.

COnditiones extrinſecus, non ex teſtamento venientes, id eſt quæ tacite ineſſe videntur, non faciunt legata conditionalia, ex *h. l.* Inde vulgaris regula, expreſſa nocent, non expreſſa id eſt tacita non nocent ; *l. nonnumquam*, ſupr. *h. tit. l. ſi quis Semproniam*, *de hered. inſtit.* Puta, ſi legatum pure & ſimpliciter cui relictum ſit, legato ineſt tacita conditio, *ſi volet legatarius*, *ſi heres ſcriptus adierit hereditatem* ; nihil enim debetur ex teſtamento, ex quo non ſit adita hereditas : heredis aditio moram quidem petitioni legati facit, ceſſioni diei non facit ; *l.* 7. infr. *quand. dies leg.* tamen ſi legatum relictum ſit non adjecta conditione, *ſi volet legatarius*, vel *ſi heres adierit hereditatem*, legatum eſt purum, non conditionale, & ſi legatarius deceſſerit poſt mortem teſtatoris ante agnitum legatum, tranſmittitur ad heredem ; *l. ſi ita legatum*, §. 1. *de legat.* 1. *l. cum illud*, §. 1. infr. *quand. dies legat. ced.* inde non eſt legatum conditionale, quod relictum eſt ſub expreſſa illa conditione, *ſi heres ſcriptus adierit hereditatem* ; *l. aliquando*, infr. *h. tit. l.* 3. *de legat.* 1. quia conditio, quæ tacite ineſt, interdum expreſſa non magis operatur, quam tacita id eſt non expreſſa ; *l. Cornelius*, *de hered. inſtit.* Hinc ſi tutor detur ſub conditione, *ſi ſatisdederit*, hæc adjectio, *ſi ſatisdederit*, non conditionem in ſe habet, ſed admonitionem non aliter committi tutelam, quam ſi ſatisdederit ; *l. muto*, §. 1. *de tutel.* Conditiones, quæ tacite inſunt, non faciunt legata conditionalia quoad tranſmiſſionem, quia legatum relictum ſub tacita conditione, interim tranſmittitur ad heredem, licet aliud ſit in le-

Digitized by Google

gato relicto ſub expreſſa conditione ; *l. unic.* §. *ſin autem* , C. *de caduc. tollend.* Sed dies obligationis , quæ habet tacitam conditionem , non cedit ante eventum conditionis ; *l.* 1. §. *ult.* ſupr. *h. tit. l. inter* † *ſtipulantem* , §. *ſacram* , *de V. O. gloſſ. in l.* 4. §. *ult.* ſupr. *de pact.*

L. 100.

TEſtator ducenta legavit Titiæ ſi non nuberet , † centum ſi nuberet : nupſit mulier , ducenta quæ erant relicta ſub conditione ſi non nuberet petet , rejecta conditione ſi non nupſerit , quæ pro non ſcripta habetur lege Julia & Papia ; *l. quotiens* , *l. ſed ſi hoc* , §. *ult. l. cum ita legatum* , *ſupr. h. tit. l.* 2. & 3. C. *de indict. viduit. toll.* non etiam centum reſidua petet , quæ erant relicta ſub contraria conditione ſi nuberet , quia eadem non poteſt admitti ad legatum ut nupta & ut vidua, ex *hac l.* Non eſt audiendus qui contraria poſtulat ; *l.* 2. §. *ſed ſi alius* , infr. *quand. appelland. ſit* , vel qui profert inſtrumenta invicem pugnantia ; *l. ſcriptura* , C. *de fid. inſtrument. cap. imputari* , *eod. tit.* non audiuntur teſtes ſibi ipſis contrarii, vel qui invicem contrarii ſunt ; *nov. Juſtin.* 90. *cap.* 3. non auditur qui contrarias actiones cumulat ; *l.* 1. C. *de furt.*

L. 101.

PAter filiam impuberem teſtamento nuptiis deſtinavit Phillppo . (Plerumque pater ; ut filiæ impuberi conſuleret , teſtamento eam deſtinabat cui nuberet ; *l. tutor* , ſupr. *de rit. nupt. l.* † *ult.* §. *ult. de divort.*) Eidem filiæ prædium ab herede legavit per fideicommiſſum , ſub conditione , ſi Philippo nuberet , & ſi non nuberet prædium Philippo legavit : puella nondum viripotens ſeu pubes diem ſuum obiit : quæſitum eſt , an legatum debeatur Philippo ? Papinianus reſpondit, cum in conditionibus voluntas potius , quam verba, ſpectanda ſit , (In conditionibus ſcilicet voluntas defuncti primum locum obtinet & regit conditiones ; *l. in conditionibus* , ſupr. *h. tit.* & voluntas defuncti totum facit ; *l. ex facto* , §. 3. ſupr. *de hered. inſtituend.*) ita demum Philippo datum legatum videri , ſi ei filia nubere noluiſſet : cum autem nondum viripotens vita deceſſerit, conditionem fideicommiſſi extitiſſe non videri , conſequenter legatum Philippo non deberi : nec enim creditur noluiſſe nubere puella , quæ per ætatem non potuit nubere : non creditur nolle, qui non poteſt velle ; *l.* 3. & 4. infr. *de R. J.* non videtur eſſe in mora , qui etſi vellet ſolvere non potuit ; *l. cum quidam* , §. *ſi pupillo* , *de uſur.*

† In terminis add. *l.* 66. *de rit. nupt. l.* 7. *ad l. Jul. de adult. l.* 6. *C. de interd. matrim. l.* 1. *C. ſi nupt. ex reſcript. petant.*

§. 1. *ejusd. l.*

SI fideicommiſſum ab herede relictum ſit ſub conditione , ſi ſine liberis deceſſerit, conditio fideicommiſſi deficit ex voluntate defuncti , vel uno filio ſuperſtite relicto, ex *hoc* §. vel unico nepote ex filio , vel filia ; *l.* 1. C. *de condit. inſert. l. jubemus* , §. *ſin autem* , C. *ad Trebell.* ut & ſi uxori uſusfructus fundi pure legatus fuerit , & proprietas ejusdem fundi cum liberos habuerit, nato filio ſtatim cedit dies legati ; *l. cum uxori* , C. *quand. dies legat. ced.* Si verba conditionis ſpectes, conditio fideicommiſſi exiſtit nato unico filio, vel ſuperſtite uno filio , quia non reliquit liberos , ſed unum tantum : at ſi ſpectes voluntatem , quæ in conditionibus maxime ſpectanda eſt ; *l. in conditionibus* , ſupr. *h. tit.* conditio deficit , quia non videtur deceſſiſſe ſine liberis , vel non videtur eſſe ſine liberis , qui vel unum filium reliquit : non eſt ſine liberis cui vel unus filius eſt , ex vulgari uſu loquendi ; *l. non eſt ſine liberis* , *de V. S. gloſſ. in l. ex facto* , §. *ſi quis rogatus* , *infr. ad Trebell.* Auguſtin.

guſtin. de civit. Dei lib. 16. cap. 40. *Sicut in Latinæ linguæ conſuetudine liberi dicuntur pluraliter* † *filii*, *etiam ſi non ſint uno amplius*. Et ante eum Gell. lib. 2. cap. 13. *Antiqui oratores*, *hiſtoriæque aut carminum ſcriptores*, *etiam unum filium filiamve liberos multitudinis numero appellarunt*.

§. *ult. ejusd. l.*

PAtronus teſtamento liberto reliquit fideicommiſſa annua & menſtrua, id eſt per fideicommiſſum liberto reliquit, alimenta annua & menſtrua, *quamdiu filiæ patroni res gereret*: filia prohibente res ſuas adminiſtrari, id eſt vetante, ne libertus ſe immiſceat rebus filiæ patroni, hoc caſu menſtrua annua debentur liberto, quia per eum non ſtat quominus rem gerat; *l. Mævia*, ſupr. *de ann. legat.* Quid ſi poſtea filia mutata voluntate, velit libertum accedere ad ſua negotia & is recuſet, an ei annua & menſtrua debeantur? Et reſpondit Papinianus *hic*, non deberi, quaſi conditione defecta. Hoc enim caſu conditio ſemel defecta reſumitur, quoniam plura ſunt legata, ubi annua vel menſtrua legantur, non unum eſt legatum, ſed plura ſunt legata, tot legata, quot anni; *l. 4. l. cum in annos*, ſupr. *de annuis legat. l. cum in annos* 10. *& duab. ſeqq.* infr. *quand. dies legat. ced.* Ubi vero unum eſt legatum, conditio ſemel defecta, vel impleta, non reſumitur, non repetitur, ut impleatur; *l. quidam*, *l. rogo*, infr. *de fideic. libertat. l. 3. §. Stichus*, *de ſtatulib. l. heredibus*, *in pr.* infr. *ad Trebell. l. ſi quis heredem*, *C. de inſtitut. & ſubſtit.* & hoc eſt quod dicitur in *l. ult. C. de condit. inſert.* quod ſemel repudiatum eſt ab eo, in cujus perſona conditio implenda fuit, minime redintegrari..

L. 102.

HUjus legis ſpecies elegans eſt. Avus filium & nepotem ex altero filio heredes inſtituit, & nepotem rogavit, ut ſi intra annum trigeſimum ætatis vita decederet, hereditatem id eſt portionem ſuam patruo reſtitueret: nepos intra eam ætatem vita deceſſit relictis liberis, & patruo ſuperſtite: quæritur, an debeatur fideicommiſſum? Reſpondet Papinianus, conditionem fideicommiſſi defeciſſe conjectura pietatis paternæ, quaſi plus dictum, minus ſcriptum ſit: quod Papiniani reſponſum cum laude repetitum eſt a Juſtiniano in *l. cum acutiſſimi*, *C. de fideicommiſſ. & in l. generaliter*, *verſ. cum autem*, *C. de inſtitut. & ſubſtitut.* quibus locis ex reſponſo Papiniani filius vel nepos heres inſtitutus, & rogatus poſt mortem reſtituere hereditatem, tacite videtur rogatus ſub ea conditione, ſi ſine liberis, ne videatur teſtator ſuis heredibus extraneos anteponere, ſi deſcendentes, puta filii, nepotes, vel pronepotes heredes inſtituti ſint, & rogati hereditatem reſtituere, conditio fideicommiſſi deficit relictis liberis, quia fideicommiſſo ineſt tacita conditio ſi ſine liberis, conjectura pietatis, id eſt conjectura ducta ex pietate & affectione avi in liberos, quem veriſimile non eſt ſuis filiis & eorum liberis extraneos præferri voluiſſe: voluntas teſtatoris ſuppletur interpretatione prudentum, quaſi plus dictum, minus ſcriptum fuerit, ut in *l. 1. & ſeqq. l. quotiens*, §. 13. ſupr. *de hered. inſtit. l. unum ex familia*, §. *pen. de legat.* 2. Conjectura pietatis valet in patre erga liberos, quia pietas paterni nominis conſilium capit pro liberis; *l. nec in ea lege*, §. *ult.* infr. *ad l. Jul. de adulter.* habetur ratio paternæ pietatis & paternæ affectionis; *l. pater in fin.* ſupr. *de evict. l. mulier.* 22. §. *pen.* infr. *ad Trebell.* §. *ult. inſt. de noxalib. act.* Quod ſi heredes inſtituti & rogati ſint extranei, puta transverſales, vel etiam aſcendentes, id eſt parentes, fratres, vel cognati teſtatoris, vel quilibet extranei, non intelligitur fideicommiſſo ineſſe conditio, *ſi ſine liberis*, quia conjectura pietatis ceſſat in extraneis: il-

lud quoque obſervandum eſt in deſcendentibus, fideicommiſſo ineſſe tacitam conditionem, *ſi ſine liberis*, ſi fideicommiſſum præſtandum ſit poſt mortem heredis inſtituti: ſecus ſi heres rogatus ſit in vita, puta pure, vel in diem certum reſtituere hereditatem; *gloſſ. in l. ex facto*, §. *ſi quis rogatus*, infr. *ad Trebell. & in d. l. generaliter*, §. *cum autem*. Et ita ſentit Joannes vetus gloſſator in *d. l. acutiſſimi*. Optima ratione, quia ſi teſtator fideicommiſſarium prætulit ipſis filiis, multo magis liberorum liberis, quia liberi non debent eſſe deterioris conditionis, quam liberi liberorum; *l. pen. verſ. nam licet*, *C. de bon. maternis*. Conditio fideicommiſſi tacita vel expreſſa, *ſi ſine liberis*, non deficit relictis naturalibus liberis, ſed relictis legitimis & naturalibus liberis tantum; *l. generaliter in fin.* illo loco: *ſine juſta ſobole*, exploſo jure veteri, quo liberi naturales faciunt deficere conditionem fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, & excludunt fideicommiſſarium ex voluntate teſtatoris; *d. l. ex facto*, §. *ſi quis rogatus* 4. *l. cum pater*, §. *volo*, *de legat.* 2. Multo minus conditio non deficit relictis liberis adoptivis; *l. fideicommiſſum*, ſupr. *h. tit.* vel liberis legitimatis reſcripto Principis; *arg. ejuſd. l. gloſſ. in d. l. ex facto*, §. *ſi quis rogatus*. Si fideicommiſſum relictum ſit ſub conditione, *ſi ſine liberis*, conditio fideicommiſſi deficit relictis liberis ſuperſtitibus, etiam ſi vivo fideicommiſſario deceſſerint; ſemel enim defecta conditio non reſumitur; *l. heredibus*, *in pr.* infr. *ad Trebell. l. filiusf.* §. *cum erit rogatus*, ſupr. *de legat.* † 1. *l. quod certatum*, *C. de poſth. hered. inſtit.* Fideicommiſſo relicto ſub conditione, *ſi ſine liberis*, fideicommiſſario incumbit onus probandi exſtitiſſe conditionem fideicommiſſi, ſi is, qui de fideicommiſſo convenitur, objiciat, heredem gravatum reliquiſſe liberos ſuperſtites. Quod ſi ii ſimul cum patre periiſſe dicantur, ita ut non appareat quis prior deceſſerit, in dubio conditio fideicommiſſi exſtitiſſe videtur; *l. ex facto*, §. *ſi quis autem*, infr. *ad Trebell.* id eſt pater intelligitur ſupervixiſſe liberis, ne fideicommiſſarius excludatur. Quod intelligendum eſt ſi liberi ſint impuberes, quod ſi filius ſit pubes, intelligitur ſupervixiſſe patri; *l. qui duos*, §. *ult. l. ſi mulier*, *l. cum pubere*, ſupr. *de reb. dub.* Tacit. 16. annal. (cap. 11.) de nece L. Veteris & Pollutiæ ipſius filiæ: *Servavitque ordinem fortuna; ac ſenior prius, tum cui prima ætas, extinguuntur*. Et ſi fideicommiſſum ab herede relictum ſit ſub conditione, *ſi ſine liberis*, & is reliquerit nepotem ex filia, conditio fideicommiſſi deficit, quia qui reliquit nepotem ex filia non deceſſit ſine liberis; *l. 1. C. de condit. inſert. l. jubemus*, §. † *pen. C. ad Trebell.* Si quis uxorem heredem inſtituerit, & rogaverit eam poſt mortem reſtituere hereditatem Seio, *ſi ſine liberis deceſſerit*, conditio fideicommiſſi intelligitur; ſi deceſſerit ſine liberis communibus ſuſceptis ex ipſo teſtatore, quia teſtator non videtur cogitaſſe de liberis ſuſceptis ex alio matrimonio; *gloſſ. in d. l. ex facto*, §. *ſi quis rogatus*: & ſi quis rogatus ſit reſtituere hereditatem, ſi ſine herede deceſſerit, videtur rogatus reſtituere, ſi ſine liberis deceſſerit; *d. l. ex facto*, §. *ult.* quia vix eſt ut quis ſine herede moriatur.

L. 103.

SI Titio centum legata ſint poſt decem annos præſtanda, ſub conditione, *ſi ſatis ab herede non exegerit*, quæ conditio hodie habens vim remiſſionis cautionis, olim non fuit pro remiſſione cautionis, ſed pro conditione, quæ omnino implenda fuit: cautio enim legati conditionalis vel in diem ſervandi a teſtatore heredi remitti non potuit ante Conſtitutionem D. Marci; *l.* 2. *C. ut in poſſeſſ. legat.* & Titius deceſſerit intra decimum anno, non exacta ſatisdatione, ad heredem transmittit legatum, quia moriente eo conditio exſtitit, ex *hac l.* id eſt certum eſſe cœpit, tandem non exacturum cautionem; con-

ditio

ditio enim, quæ conſiſtit in non faciendo, non impletur niſi morte legatarii ; *l. Titio fundus*, ſupr. *h. tit.* Legati conditionalis propria ſunt hæc, quod ſi legatum relictum ſit ſub conditione, & interim pendente conditione legatarius deceſſerit, legatum extinguitur ; nec transmittitur ad heredem legatarii ; *l. intercidit*, ſupr. *h. tit. l.* 4. *&* 5. inſr. *quand. dies leg. cedat.* Item legatario conditionali pendente conditione cavere heres debet ex edicto prætoris, ſe legatum præſtaturum quum dies vel conditio exſtiterit ; *l.* 1. *& tot. tit.* inſr. *ut legat. ſerv. cauſ. caveat.* Et in legatis conditionalibus ſpectatur tempus evenientis conditionis ; *l. prox.* inſr. *h. tit. d. l. intercidit*, *l. cum pater*, *§. hereditatem filius*, *de legat.* 2. Et hoc differt legatum conditionale a ſtipulatione conditionali, ſtipulatio enim conditionalis transmittitur in heredem ſtipulatoris, mortuo ſtipulatore ante eventum conditionis ; *§. ſub conditione*, *inſt. de V. O. l. is, cui*, inſr. *de oblig. & act. l. conditionales*, *de V. S.* quia ſtipulatio conditionalis vires accipit ex præſenti tempore ; *l. uſusfructus*, inſr. *de ſtipulat. ſerv.* in ſtipulatione conditionali ſpectatur tempus contractus ; *l. ſi fidiuſſ.* inſr. *de V. O.* Conditionali creditori ita verum eſt nihil deberi, ut nec ei cavendum ſit pendente conditione ; *l. Fulcinius*, *§. ſi in diem*, *quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* Unde etiam nata eſt illa differentia, quod legatarius conditionalis ſi ei non caveatur, ex edicto prætoris mittitur in poſſeſſionem bonorum heredis, creditor autem non mittitur in poſſeſſionem bonorum debitoris, quia pendente conditione debitoris bona venire non poſſint, is mittitur, qui poteſt bona ex edicto prætoris vendere ; *l.* 1. *eod. tit.*

L. 104.

SI fideicommiſſum ab herede Titio relictum ſit ſub conditione, & interim pendente conditione, poſt mortem teſtatoris poſt apertas tabulas teſtamenti, legatarius deportatus ſit in inſulam ob delictum, & beneficio Principis reſtitutus ſit ante eventum conditionis, exiſtente conditione poſtea legatum conſequi poteſt, cum conditio exſtitit poſtquam reſtitutus eſt ; in legatis enim conditionalibus capacitas ſpectatur tempore exſtentis conditionis, id eſt cum quæritur, an legatarius capax ſit, nec ne, ſpectatur tempus evenientis conditionis, ex *hac lege l. intercidit*, ſupr. *h. tit. l. cum pater*, *§. hereditatem filius*, *de legat.* 2. *l. intervenit*, inſr. *de legat. præſtand. contr. tab. l. ſi uxorem*, *C. de condit. inſert.* In legato pure vel in diem certum relicto ſpectatur tempus teſtamenti facti ; *l. cum filius*, *§. ſervus*, *de legat.* 2. In inſtitutione pura vel conditionali ſpectantur tria tempora, tempus teſtamenti, tempus mortis, & tempus aditionis hereditatis, media tempora non nocent ; *l. ſi alienum*, *§. in extraneis*, ſupr. *de hered. inſtituend.* *§. in extraneis*, *inſt. de hered. qualit. & different.* Inde fit, ut ſi heres inſtitutus ſub conditione pendente conditione deportatus ſit, & reſtitutus ſit tempore exiſtentis conditionis, heres fiat ; *l. liber homo*, *§. ſi heres*, ſupr. *de hered. inſtituend.*

L. 105.

SI res legetur ſub conditione, interim pendente conditione res manet in dominio heredis, ut ſi ſervus legatus ſit ſub conditione, interim eſt heredis, nec quod conditio exiſtens efficit ut deſinat eſſe heredis, pendens facit ne interim videatur ejus eſſe ; *l.* 1. *§. ſervi*, ſupr. *ad Silan. l. generaliter*, *§.* 1. inſr. *qui & a quib. manumiſſ.* Et ſi heres fundum a teſtatore legatum Seio ſub conditione, pendente conditione alii legaverit, exiſtente conditione dominium non recedit, id eſt receſſiſſe non videtur a priori legatario, ex *hac l. & l. ſi fundum* 81. ſupr. *de legat.* 1. nec locum religioſum poteſt heres facere inſe-

rendo mortuum, nec ſervitutem imponere, cum effectu ſc. & impoſita ſervitus finietur exiſtente conditione, ex *hac l. & l. is, cui*, §. *heres*, ſupr. † *quemadm. ſervit. amitt. l. ſi ſub conditione*, *quib. mod. uſusfruct. amitt. l. 4. de religioſ.* Si heres rem a teſtatore Seio legatam alii legaverit, exiſtens conditio facit, ne videatur res diſceſſiſſe a priori legatario, exiſtente conditione legatum perinde debetur, ac ſi pure ab initio relictum eſſet, nec tam ejus temporis, quo conditio exſtitit, quam quo teſtator mortuus eſt ratio habetur: unde fit, ut ſi fundo legato mihi ſub conditione, pendente legati conditione heres me heredem inſtituat, ac poſtea legati conditio exiſtat, in falcidiæ ratione fundus non jure hereditario, ſed legati meus eſſe intelligatur; *l. fundo*, infr. *ad l. falcid.* Hoc intereſt inter conditionem caſualem & poteſtativam, quod conditio caſualis quandocumque exiſtens retro trahitur, & recurrit in teſtamentis ad tempus mortis, ex *hac l. & l. quod dicitur*, ſupr. *de teſtam. milit.* in contractibus ad tempus contractus; *l. neceſſario*, *de pericul. & commod. rei vendit. l. potior*, §. 1. *qui potior. in pignor. l. ſi filiusf. de V. O. l. donationes 25. C. de donat. int. vir. & uxor.* ſecus conditio poteſtativa non retro trahitur in præjudicium tertii, cui medio tempore jus quæſitum eſt, quia legatum conditionale, vel ſtipulatio conditionalis pro pura habetur eum in poteſtate debitoris ſit conditionem implere; *l. jure civili*, ſupr. *h. tit. l. qui balneum*, §. 1. ſupr. *qui potior. in pignor.* ſi res ſub conditione legata vel per fideicommiſſum relicta ſit, interim pendente conditione heres non prohibetur eam alienare vel obligare, quia interim res manet in dominio heredis; *l. ſi heres*, §. *ſi heres*, infr. *ad Trebell.* ſed exiſtente conditione alienatio ab initio in irritum deducitur, id eſt perinde eſt, ac ſi ab initio alienatio nulla & irrita fuiſſet, ita ut interim uſucapio vel præſcriptio non procedat contra legatarium, vel fideicommiſſarium; *l. 3. §. ſin autem*, *C. commun. de legat.* Sic & ſtatuliber, id eſt ſervus, cui libertas relicta eſt ſub conditione, pendente conditione pignori vel hypothecæ obligari poteſt, ſed exiſtente conditione pignus evaneſcit; *l. grege*, §. 1. *de pignorib.*

L. 107.

ALiquando legatum ſub conditione relictum pro puro habetur, puta ſi legatum Seio relictum ſit ſub eadem conditione, ſub qua Titius heres inſtitutus eſt, & Titius pure inſtitutus inveniatur, ut oſtenditur *init. h. l.* conditio, quæ pendet ex inſtitutione, vel refertur ad inſtitutionem, ſi ea pura inveniatur, non facit legatum conditionale: relativum adjectum verbo futuri temporis facit quidem conditionem, ſed ſi jungatur verbo præteriti aut præſentis temporis facit demonſtrationem, non conditionem; *l. Stichum*, *qui meus erit*, *de legat. 1. l nuper*, *de legat. 3. l. ſcribit*, §. *ult. de aur. & argent. legat.* Item legatum relictum ſub conditione, quæ tacite ineſt legato, veluti ſub hujusmodi conditione, *ſi heres ſcriptus adierit hereditatem*, non facit legatum conditionale, ex *h. l.* conditiones, quæ tacite inſunt, etiam ſi expreſſæ non ſint, non faciunt legatum conditionale; *l. conditiones*, ſupr. *h. tit.* Ex diverſo interdum legatum pure relictum videtur conditionale, veluti ſi legatum pure relictum adimatur ſub conditione, ſub conditione datum intelligitur, ex *hac l. in fin. l. ſi legatum*, *l. legata inutiliter*, † ſupr. *de adimend. legat. l. quod pure*, *quand. dies legat. ced. l. ſi quis* † *ita*, §. *ult.* inſtr. *de ſtatulib.* Unde fit, ut quod ſub una conditione datum eſt, ſub contraria conditione ademptum intelligitur; *arg. h. l. & l. ſi legatum*, *de adimend. legat. cap. olim cauſam*, *de reſtit. ſpoliat.*

Digitized by Google

L. 108.

TEſtator omnibus libertis legavit domum, ſub conditione, aut potius ſub modo, ut liberti in ea habitent, nec de nomine exeat: nimirum interdum modus conditionis appellatione continetur, ut in *hac l. & l. Titio centum*, §. 1. ſupr. *h. tit.* & pro conditione obſervatur; *l.* 1. C. *de his, quæ ſub mod.* & eo amplius eisdem libertis fundum legavit: quæſitum eſt, an conditio appoſita priori legato, ne de nomine exiret, cenſeatur repetita in poſteriori? Scævola reſpondit, conditionem tacite intelligi repetitam; conditio enim appoſita priori legato, per verba, & hoc amplius, cenſetur repetita in ſecundo; *l. ſi pure*, *l. in repetundis*, *de legat.* 3. Idemque juris eſt in inſtitutione; *l. cum ſervus*, §. 1. ſupr. *de condit. inſtitut.* Si fideicommiſſum familiæ relictum ſit, vel ne de nomine exeat, fideicommiſſum graduale inducitur, ita ut ſucceſſive & gradatim de uno ad noviſſimum uſque perveniat, ex *hac l. & l. cum ita*, al. *l. omnia* 32. §. *in fideicommiſſo*, ſupr. *de legat.* 2. *l. ult.* C. *de verb. ſignificat.* & ſi fideicommiſſum familiæ relictum, vel ne de nomine familiæ exeat, deficientibus liberis & cognatis vocantur liberti; *d. l. ult. l. cum pater*, §. † *fidei heredum*, *de legat.* 2. Liberti cenſentur de familia patroni, unde nomen patroni ferebant; Tertull. de reſurr. carnis: *Atquin & veſtis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine, ac tribu menſaque honoratur.* Et eo pertinet quod dicitur in *hac l. & d. l. cum pater*, fideicommiſſum libertis a patrono relictum, ne de nomine exiret.

L. 109.

SEius heres ex parte inſtitutus, & rogatus, acceptis centum, partem hereditatis Titiæ coheredi reſtituere, adita hereditate deceſſit, ſimiliter & Titia deceſſit antequam daret centum: quæſitum eſt, an heres Titiæ offerendo centum, ex cauſa fideicommiſſi partem hereditatis conſequi poſſit? Scævola reſpondit, heredem conditioni parere non poſſe. Conditio enim poteſtativa, quæ in dando vel faciendo conſiſtit, ſi impleta non ſit mora aut impotentia implere debentis, deficit, nec jus implendi conditionem tranſit ad heredem; *l. pen.* §. 2. infr. *hoc tit.* ubi dicemus. Ratio eſt, quia conditiones ſui natura cohærent perſonæ; *l. qui Romæ*, §. *Agerius*, infr. *de V. O.* Ablativus abſolutus, veluti acceptis centum rogo reſtituas hereditatem, inducit conditionem fideicommiſſi, ut colligitur, ex *hac l. & l. fideicommiſſa*, §. *cum eſſet*, ſupr. *de legat.* 3. Idem eſt ſi libertas ſervo data ſit rationibus redditis, libertas data intelligitur ſub conditione, ſi rationes reddiderit; *l. qui libertatis*, §. *ſervus*, *de evict. l. Thais*, §. *libertatem*, infr. *de fideicomm. libert.* idem in *l. in ratione* 30. §. *tametſi*, *l. acceptis*, infr. *ad l. falcid. l. facta*, §. *reſcripto*, *ad Trebell.* & hujusmodi conditionis implendæ poteſtas non tranſit ad heredem: & ſic Scævolam magno ingenio, id eſt ſubtiliter de jure aperto, id eſt quaſi de jure aperto & indubitato, reſpondiſſe ſubnotat Claudius. (Is eſt Claudius Thryphoninus unus e diſcipulis & aſſeſſoribus Papiniani, qui paſſim in his libris laudatur ſub nomine Claudii tantum, & notas elegantes ſcripſit ad libros Scævolæ, ut colligitur ex *hac l. & l. qui negotiationem*, ſupr. *de adminiſtr. tut.* & aliis quampluribus.) Rem tamen dubitatione non caruiſſe recte ſenſit Thryphoninus, an in propoſito caſu his verbis, *acceptis centum*, magis induceretur modus, quam conditio: ſed in dubio conditionem magis, quam modum intelligi voluit, ex quo fit, ut onus offerendi injunctum in vim conditionis non tranſeat in heredem; *l. un.* §. *ſin autem*, C. *de caduc. tollend.* alias ſi eſſet injunctum in vim modi poſſet impleri ab herede; *l.* 1. C. *de his quæ*

ſub mod. Cujac. *in l. poſt emancipationem*, §. *ult. de legat.* 3. *& in l. acceptis, ad l. falcid.*

L. 110.

STatuliber, id eſt ſervus manumiſſus ſub conditione, ſi decem vel centum Titio dederit, pecuniam e peculio dando, etiam invito herede liber fit; *l.* 3. §. † 1. infr. *de ſtatulib. l. ſi filia*, alias *l. ſi uni*, §. *ult.* ſupr. *famil. erciſc.* quod favore libertatis introductum eſt, ne difficultas præſtandæ pecuniæ impediat aut moretur libertatem: vix enim aliunde ſervus pecuniam præſtare poteſt, quam de peculio, quod eſt quaſi proprium patrimonium ſervi; *l. peculium, & ex eo, l. quotiens*, §. *ult.* ſupr. *de pecul.* Sed ſi ſtatuliber juſſus ſit extraneo dare centum conditionis implendæ cauſa, remedii cauſa inductum eſt, ut conſulatur heredi, ut prohibere heres poſſit, ne ſtatuliber de peculio ſolvat, & ſi ſtatuliber invito & prohibente herede pecuniam Titio det de peculio, heredi datur actio in rem petitione hereditatis pecuniæ avocandæ cauſa adverſus accipientem, qui cum invito herede ſciens eam pecuniam, quæ erat hereditatis, acceperit, videtur pro poſſeſſore eam poſſidere, ex *hac leg.* nec eliditur hujuſmodi actio contraria actione in factum, quæ dicitur dari ei, qui accepit pecuniam, adverſus heredem, ut heres ſolvat de peculio, quod ſtatuliber conditionis implendæ cauſa dare debuit; *l.* 3. §. *ult. ff. de condict. cauſ. dat.* his verbis: *ſed is, quem teſtator accipere voluit, adverſum heredem in factum actione poteſt, ut teſtatori pareatur*, nam & hæc verba eſſe aſcititia, & merum commentum Triboniani, acute † obſervavit Anton. Faber, 8. *conjectur.* 7.

† V. notam ſupr. pag. 237.

L. 111.

STichus liber eſſe juſſus ſub conditione rationum reddendarum, non aliter liber efficitur, quam ſi rationes reddiderit, & reliqua præſtiterit, una & reſtituerit inſtrumenta actus ſui, ex priori parte *h. l. & l. Julius Paulus, l. cum ſervus*, ſupr. *h. tit.* ubi dixi, *l. qui filium, in fin.* infr. *de manumiſſ. teſtam.* id eſt codicem rationum accepti & expenſi: ut & tutor non liberatur periculo tutelæ, priuſquam rationes reddiderit & reliqua præſtiterit, & inſtrumenta pupillaria reſtituerit; *l. ult. C. de pericul. tutor. l. unic. C. ut cauſ. poſt pubertat.* Servus liber eſſe juſſus ſub conditione rationum reddendarum, in reddendis rationibus non præſtat debitores, cum quibus ipſe contraxit, fuiſſe idoneos in diem mortis domini: ſed eo tempore, quo his creditum eſt, ejus conditionis fuiſſe, ut diligens paterf. his crediturus fuerit, ut traditur in poſteriori parte *h. l.* id eſt ſervus actor rationes reddere juſſus, non præſtat periculum nominum, quæ contraxit in diem mortis domini, non præſtat nomina, quæ contraxit, eſſe idonea in futurum: ſed præſtat eſſe idonea eo tempore, quo contracta ſunt: & ſimiliter tutor vel curator præſtat periculum nominum, quæ contraxit; *l. tutor* 35. ſupr. *de adminiſtr. tut. l. debitoribus, C. eod. tit.* ita ſc. ſi minus idonea ſint tempore, quo contracta ſunt, non in futurum, niſi culpa ejus deteriora facta ſint, id eſt debitores facti ſint non ſolvendo eo ceſſante in conveniendis debitoribus; *l. periculum*, ſupr. *de reb. credit. l. ult.* §. † *pen. de adminiſtr. rer. ad civit. pertinent. l.* 2. *C. arbitr. tutel.* & pariter magiſtratus municipalis, qui tutorem dedit, præſtat eum idoneum fuiſſe tempore ſuſceptæ tutelæ, non in futurum; ſi enim poſtea lapſus ſit facultatibus, nihil eſt quod ei imputetur: magiſtratus caſus adverſamque fortunam pupillo non præſtat; *l.* 1. §. *ſi magiſtratus*, ſupr. *de magiſtrat. conveniend.*

L. 112.

Digitized by Google

L. 112. *in pr.*

SI duobus vel pluribus centum legata ſint ſub una & eadem conditione, *ſi monumentum fecerint*, & unus monumentum fecerit altero ceſſante, quæritur, an ille, qui monumentum fecit, ſolus admittatur ad legatum, excluſo collegatario, an vero admittatur cum collegatario, ita ut ejus diligentia proſit ſociis? Ulpian. in *l. ſi ita fuerit ſervis, in pr.* & §. 1. infr. *de manumiſſ. teſtament.* dubitavit, an altero opus faciente, omnes admittantur ad legatum, ita ut magis voluerit quæſtionem eſſe voluntatis, id eſt uno opus faciente, alios non admitti, niſi appareat de voluntate teſtatoris. Abſciſſius Pomponius *init. h. l.* ait, hujuſmodi conditionem, ſi monumentum fecerint, duobus vel pluribus injunctam, defeciſſe videri, niſi in omnibus ſimul exiſtat, id eſt niſi omnes ſimul opus fecerint, quia conditio, quæ conſiſtit in faciendo, eſt individua, unde ſi teſtator opus fieri juſſerit, ſinguli heredes tenentur in ſolidum; *l. in executione*, §. *ſecunda*, *de V. O. l. fideicommiſſa*, §. *pen. de legat.* 3. Aliud reſpondit Alfenus in *l. paterfamilias.*, *de hered. inſt.* duobus heredibus inſtitutis, ſub conditione monumenti faciendi, & omnibus exheredatis, ſi quis eorum non pareret conditioni, ſi unus omiſerit hereditatem nec monumentum fecerit, & alter adierit hereditatem & monumentum fecerit, ex aſſe heres erit, quod nemo ex alieno facto oneratur. Sed totum hoc immutavit Juſtinianus in *l. pen. C. de condit. inſert.* & cavit, ſi duobus vel pluribus legatum relictum ſit ſub una & eadem conditione, ſingulos neceſſe habere conditionem implere, & implendo eam, pro parte ferre legatum: ſed ſi unus ſolus conditioni paruerit aliis ceſſantibus, ſolum admitti ad legatum & ſolidum capere: quod ante obtinuit etiam in conditione dandi, quæ eſt dividua, ſi pluribus legatum ſit ſub conditione, ſi decem heredi dederint, ſi unus decem dederit, ceſſante altero, capiet integrum legatum, vel ſi dederit tantum quinque, capiet tantum partem legati, & pars ejus qui non dedit alteri adcreſcit cum ſuo onere; *l. ſi quis legata*, §. 1. *l. cui fundus*, ſupr. *h. tit.*

§. 1. *ejusd. l.*

SI Titio fundus legatus ſit ſub conditione, *ſi Sumphoro, & Januario centum præſtiterit*, Sumphoro mortuo, quæritur, an legatum extinguatur, veluti conditione defecta? Si ſpectemus jus ſtrictum, legatum deficit propter defectum conditionis, quia legatum non aliter relictum videtur Titio, quam ſi præſtet centum Sumphoro & Januario, dum quiſque eorum vivet; ſed benigna interpretatione dicendum eſt, ſi Sumphorus deceſſerit antequam Titius eſſet in mora, Titium partem legati conſecuturum, dando Januario partem centum, ex *hoc* §. quia conditio pro impleta habetur, ſi caſu deficiat, antequam legatarius ſit in mora implendi; *l. quæ ſub conditione*, §. *mortuo*, ſupr. *de condit. inſt. l. Thais*, §. *Spendophorus*, *de fideic. libert.*

§. *de illo*, *ejusd. leg.*

SI duobus fundus legatus ſit ſub conditione, ſi *certam pecuniam* dederit in funus impenſamque ſepulturæ cauſa deportandi corporis in aliam regionem, certe ſtricto jure neutri debetur legatum, niſi uterque pecuniam dederit. Sed humaniori interpretatione alter eorum dando partem, legatum conſequitur pro parte, quia conditio, quæ conſiſtit in dando, eſt dividua: inde ſi fundus legatus ſit duobus ſub conditione, ſi decem dederint, alter partem fundi conſequi poteſt dando quinque, ex *hoc* §. & *l. cui fundus*, *l. ſi quis legata*, §. 1. ſupr. *h. tit. gloſſ. in l. pen. C. de condit. inſert.*.

§. ult. ejuſd. l.

HUjus §. ſpecies hæc eſt. Stichus teſtamento manumiſſus eſt ſub conditione, *ſi rationes reddiderit*, quæritur ubinam rationes actus ſui reddere debeat, an ubi paterf. deceſſit, an ubi ipſe relictus eſt, id eſt ubi rationes geſſit tempore mortis domini, aut ubi voluerit? Priſcus, unus e veteribus prudentibus. (Eo cognomine tres fuere, nimirum Flavius Priſcus, Javolenus Priſcus, Neratius Priſcus; *l.* 2. §. 44. & §. *ult. de origin. jur.*) Priſcus, inquam, reſpondit, eum rationes reddere debere apud heredem, & hac de cauſa ad eum proficiſci, utique, id eſt maxime, ſi reipubl. cauſa abſit, ne qui reip. cauſa abeſt, a negotiis publicis avocetur propter res privatas: publica enim utilitas ſemper præferenda eſt privatæ; *auth. res quæ*, *C. commun. de legat.* Pomponius rejecta ſententia Priſci verius exiſtimavit, alias aliud ex perſona locoque æſtimandum, ex *hoc* §. id eſt, ut *gloſſa* recte interpretatur, arbitrio judicis relinquendum, quo loco rationes reddendæ ſint: puta ſi heres, cui rationes reddendæ ſunt, ſit nobilior perſona, vel longius domicilium habeat, ita ut congruentius ſit ſervum actorem ad dominum accedere rationum reddendarum cauſa, licet minime abſit reip. cauſa. Et hoc ſpeciale eſt in ſtatulibero id eſt ſervo manumiſſo ſub conditione rationum reddendarum. Alias tutor, vel curator, vel quilibet adminiſtrator, rationes reddere debet, & eo nomine conveniendus eſt apud judicem loci, ubi rationes geſtæ ſunt; *l. heres abſens*, §. 1. ſupr. *de judiciis*, *l.* 1. & 2. *C. ubi de ratiocin.* Ratio eſt, quia in loco adminiſtrationis facilior eſt copia probationum & inſtrumentorum rationum; *d. l.* 2.

L. 113. & ult.

FIlius heres inſtitutus a patre & rogatus hereditatem reſtituere Tirio, *ſi decederet priusquam res ſuas adminiſtrare poſſet*: deceſſit major 20. annis, minor 25. annis: quæritur, an fideicommiſſum debeatur Tirio? Paulus ait, reſcriptum eſſe, a Principe ſc. fideicommiſſum deberi. Ratio eſt, quia cum heres deceſſerit antequam major factus eſſet 25. annis, conditio fideicommiſſi, *ſi deceſſerit priusquam res ſuas adminiſtrare poſſet*, extitiſſe videtur, quia minor 25. annis non habet rerum ſuarum adminiſtrationem, etiam ſi rem ſuam bene gerat; *l.* 1. §. *ult.* ſupr. *de minorib.* Immo hujusmodi conditio non deficit, ſi forte heres, cui conditio adſcripta eſt, veniam ætatis a Principe impetraverit, quia in conditionibus, perinde ac in ſubſtitutionibus, & reſtitutionibus, id eſt fideicommiſſariis ſubſtitutionibus, ætas juſta legitima ſive perfecta ea intelligitur, quæ 25. annorum curriculo completur, non quæ beneficio Principis ſuppletur; *l. ult. C. de his, qui veniam ætat. l.* 2. *C. ſi mater indemnit. promiſ. l. quod Servius, de condict. cauſ. dat.* quia conditiones, quæ ſunt facti magis, quam juris, ſui natura fictionem non recipiunt, niſi in caſibus expreſſis a jure. Hæc *l. ult.* eſt ex libris decretorum ſeu imperialium ſententiarum in cognitionibus prolatorum, in quibus ſi dubitaretur, de eo conſultus Princeps reſcribebat, ut oſtenditur in *h. l.* Cujac. 2. *obſ.* 26. Quod ſi filiofamilias legatum relictum ſit, cum in tutelam ſuam pervenerit, legatum collatum videtur in tempus pubertatis, non in tempus quo paterfamilias erit, id eſt quo ſui juris erit morte patris vel emancipatione, niſi forte a matre, quæ ſuſpectum habebat maritum, legatum ſit, hoc caſu legatum videtur relictum in tempus quo paterfamilias & pubes erit; *l. cum filiofamilias*, *de legat.* 3.

AD

Digitized by Google

A D

Senatusconſult. Trebellian.

D I G.

L. 1. † *in princ.* §. 1. *factum eſt*, §. 2. *cujus verba*, §. 3. *ſublata*, §. 4. *quamquam*, §. 5. *hoc autem*, §. 6. *in filii*, §. 7. *bonorum*.

TITULUM ad *legem falcidiam* recte ſequitur titulus iſte ad *SC. Trebell.* quia ut *lege falcidia* quarta deducitur ex legatis & fideicommiſſis ſingularibus, quarta deducitur ex fideicommiſſo univerſali ex *SC. Trebelliano*, poſtquam conſtitutione Juſtiniani *SC. Pegaſianum*, ex quo ex fideicommiſſo univerſali quartæ detrahendæ poteſtas inducta eſt, ſublatum eſt, & in *Trebellianum* transfuſum; §. *ſed quia ſtipulationes*, *inſt. de fideic. hered.* & quia quarta *Pegaſiana* ſeu *Trebellianica*, quæ deducitur ex fideicommiſſo univerſali, introducta eſt exemplo quartæ *falcidiæ*, ut refert Juſtinian. in §. *ſed quia heredes*, *eod. tit.* inde ea quarta *falcidia* ſæpius appellatur; *l.* 1. §. *unde Neratius*, *l. mulier* 22. §. *ſi heres*, infr. *h. tit.* Et eadem quarta jure *falcidiæ* retineri dicitur *l. ſi patroni*, §. *qui fideicommiſſam*, *l. deducta*, §. *acceptis*, infr. *h. tit.* Sed & ſuperioribus titulis de legatis & fideicommiſſis ratio juris expoſcebat adnecti *tit. ad SC. Trebellianum*, quia *hoc SC.* eſt de fideicommiſſo univerſali, id eſt de fideicommiſſaria hereditate reſtituenda. Hunc ordinem ſecutus Ulpian. *init. h. l.* ait, ſe explicito tractatu de fideicommiſſis rerum ſingularum, transire ad interpretationem *SC. Trebelliani*. Eadem ratione *tit. inſt.* qui huicce reſpondet, merito inſcribitur de *fideicommiſſariis hereditatibus*, & *ad SC. Trebell.* quod *huic SC.* locus ſit tantum in fideicommiſſo univerſali.

Fideicommiſſa non ſunt profecta ex jure civili, ſed tota pendent ex jure prætorio, & continentur juriſdictione prætoris, qui fideicommiſſarius vocabatur; §. 1. *inſt. de fideic. hered.* & apud Ulpian. *libr. reg. tit.* 25. §. 12. *de fideic.* proinde uſusfructus non jure conſtituitur ex cauſa fideicommiſſi, ſed tuitione prætoris; *l.* 3. *ſi uſusfr. pet. l.* 4. *quib. mod. uſusfr. amitt.* Et de fideicommiſſis extra ordinem Romæ cognoſcebat prætor; Ulpian *d. loc. l. mulier* 22. §. *non eſt dubitatum*, infr. *h. tit. l. pecuniæ*, §. *actionis*, *de V. S. l.* 5. *C. de reb. credit.* Qua ratione actio, quæ datur fideicommiſſi nomine, non dicitur proprie actio, ſed perſecutio, quæ eſt extraordinaria, & juris ordinarii non habet executionem; *d. l. pecuniæ*, & Ulpian. *eod. loc.* ſcilicet fideicommiſſa non per formulam, id eſt per actionem peti apud judicem datum & addictum formulæ, ſeu legitimæ actioni, ſed extra ordinem cognitione prætoris. Sed quia nimis durum videbatur, totum jus fideicommiſſorum pendere ex juriſdictione prætoris, fideicommiſſorum tuendorum gratia facta ſunt duo ſenatusconſulta, *Trebellianum* temporibus Neronis, & *Pegaſianum* temporibus Veſpaſiani.

SC. Trebelliano, cujus verba referuntur *in* † §. 2. *h. l.* cautum eſt, ut reſtituta hereditate ex cauſa fideicommiſſi, actiones, quæ heredi & in heredem competebant, id eſt actiones activæ & paſſivæ, transirent in fideicommiſſarium, quod inde repetitum eſt in §. † & *Neronis*, *inſt. de fideic. hered.* Senatusconſulto opus fuit, ut reſtituta hereditate actiones hereditariæ transferrentur in fideicommiſſarium, quia reſtituta hereditate ex fideicommiſſo, actiones, quæ ſemel conſtiterant in perſona heredis, manebant apud heredem; reſtituta enim hereditate, is, qui reſtituit hereditatem, nihilominus heres permanet; §. re-

Digitized by Google

ſtituta, *inſt. eod.* Et generaliter qui ſemel heres exſtitit, numquam deſinit heres eſſe; *l. alt. prætor*, *§. ſed quod Papinianus*, *de minorib. l. ei*, *qui ſolvendo*, *de hered. inſtit. l. ex facto*, *§. ult. de vulgar. & pupillar.* At beneficio *SC. Trebelliani* effectum eſt, ut reſtituta hereditate ex fideicommiſſo, actiones hereditariæ activæ & paſſivæ ab herede transferuntur in fideicommiſſarium, ne heredi ſua fides damnoſa foret, ut ſcriptum eſt *in* † §. 2. *h. l.* id eſt ne reſtituta hereditate heres diſtringeretur actionibus hereditariis, quibus obligatus manebat. Reſtituta hereditate ex *SC. Trebelliano* actiones hereditariæ transferuntur in fideicommiſſarium, non directæ, ſed utiles; quum enim directæ actiones manerent apud heredem, poſt *SC. Trebellianum* prætor utiles actiones ei & in eum, cui reſtituta eſſet hereditas, quaſi heredi & in heredem dare cœpit; *d. §.* † *& Neronis*, *verſ. poſt quod*: qua de cauſa etiam poſt reſtitutionem fideicommiſſi heres non prohibetur agere in creditores hereditarios, vel poteſt conveniri a creditoribus hereditariis: ſed ſi agat, vel conveniatur, adjuvatur, vel repellitur exceptione reſtitutæ hereditatis; *d. §.* † *quamquam*, *h. l. l. ita tamen*, *§. qui ex Trebelliano*, infr. *h. tit. l. ult.* ſupr. *de tranſact.* Itaquod dicitur *in* † §. 2. *h. l.* actiones, quæ heredi & in heredem dantur, non dari ei vel in eum, qui fideicommiſſum ſicut rogatus eſſet reſtituiſſet, accipiendum eſt de efficacibus actionibus; quia heredi & in heredem etiam poſt reſtitutionem fideicommiſſi dantur quidem actiones, ſed ineſſicaces, quod elidantur exceptione reſtitutæ hereditatis. Reſtituta hereditate beneficio *SC. Trebelliani*, actiones transferuntur in fideicommiſſarium, vl ipſa *SC.* ſine ceſſione, ſine mandato: nam quod dicitur in *l. ſi mulier* 59. §. 1. ſupr. *de jur. dot.* heredem rogatum in hoc teneri, ut hereditatem reſtituendo transferat actiones, id intelligendum eſt fieri ope *SC.* ſine facto & ceſſione heredis. Reſtituta hereditate ex *SC. Trebelliano*, actiones, quæ heredi & in heredem competebant, dantur fideicommiſſario & in fideicommiſſarium, quod ſit heredis vice; *d. §.* † *& Neronis*. Fideicommiſſarius enim vere heres non eſt, ſed quaſi heres; *l. poſtulante*, §. 1. infr. *h. tit.* Ac proinde reſtitutione hereditatis, actiones directæ ab herede non transeunt in fideicommiſſarium, ſed utiles dumtaxat, ut modo dictum eſt, nec poſt reſtitutionem fideicommiſſi fideicommiſſarius vere dominus efficitur, ſed tantum incipit res fieri in ejus bonis; *l. facta*, infr. *h. tit. l. 3. ſi uſusfr. petat.*

Poſt reſtitutionem fideicommiſſi ex *SC. Trebelliano*, actiones hereditariæ ab herede transferuntur in fideicommiſſarium; etſi pater ipſi filio rogatus ſit reſtituere; *d.* † §. 2. *& §. ſi filio*, infr. *h. l.* Opponitur, quod ſi pater ipſi filio rogatus ſit reſtituere hereditatem, non utitur falcidia, quoniam ex perſona ſua ſibi filius obligari non poteſt, ac pater non ut heres, ſed ut pater rogatus videtur; *l. cum filioſ.* ſupr. *de legat.* 1. ut vero *SC. Trebelliano* locus ſit, non ſufficit de hereditate rogatum eſſe, ſed quaſi heredem rogari oportet; *l. mulier* 22. §. *ult.* infr. *h. tit.* Verum hoc ſpeciale eſt quoad quartæ deductionem; ſed nihil obſtat quominus, etiam ſi pater ipſi filio rogatus ſit reſtituere hereditatem, actiones ex *Trebelliano* a patre transferantur in filium, ut *gloſſa* ſenſit *hoc loco*. Ex *SC. Trebelliano* actiones ab herede dantur ei & in eum, cui ex teſtamento fideicommiſſum reſtitutum fuerit, ex ipſis verbis SC. quæ referuntur *in* † §. 2. *h. leg.* Senatusconſultum loquitur tantum de herede ex teſtamento, ſed tamen ex interpretatione prudentum *SC. Trebelliano* locus eſt ſive heres ex teſtamento ſive ab inteſtato rogatus ſit reſtituere hereditatem; *d.* † §. *hoc autem*, *h. l. l. recuſare*, *§. meminiſſe*, infr. *h. tit. l. 3. C. eod. l. filiusf.* ſupr. *ad l. falcid.* quia fideicommiſſum non tantum teſtamento, ſed etiam ab inteſtato, puta codicillis ab inteſtato factis, relinqui poteſt, & is, qui vult decedere inteſtatus, codicillis ab inteſtato factis, poteſt rogare legitimum heredem, ut bona ſua alicui reſtituat; *§. præterea*, *inſt. de fideic. hered.*

l. 4.

l. 4. C. de codicill. Huic *SC. Trebelliano* locus eſt etiam in teſtamento filiiſ. militis de caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio ; *d.* †. §. *in filii*, *h. l.* Hoc verum eſt quoad translationem actionum ab herede in fideicommiſſarium : ceterum quoad alia non eſt locus in teſtamento militis, in eo enim ceſſat quarta Trebellianica ; §. *denique*, infr. *h. l. l. Marcellus*, §. *quod autem*, infr. *h. tit.* ſecus in teſtamento filiiſ. veterani, ſi patrem roget, ut peculium ſuum caſtrenſe reſtituat, pater ut heres quartam deducit, quia quaſi patriſ. bona reſtituere cogitur ; *l. filiusf. ad leg. falcid.*

§. *de illo.*

REStituta hereditate per heredem ex SC. Trebelliano, actiones utiles transferuntur in fideicommiſſarium : quod ſi fideicommiſſarius cui reſtituta ſit hereditas, rogatus ſit reſtituere hereditatem alteri, quæſitum eſt, an reſtituta hereditate a priore fideicommiſſario, ex eodem *SC.* actiones tranſeant in fideicommiſſarium ? Et hac de re dubitatum eſt apud veteres. Ulpian. conſtituendum eſſe ſuper his putavit, ut refert Juſtinian. in *l. pen. in fin. C. h. tit.* id eſt rem indigere conſtitutione Principis, quaſi nihil hac de re conſtitutum eſſet lege, vel SC. vel conſtitutione. Rationem dubitandi movere poterat, quod *SC. Trebellianum* loquitur de actionibus transferendis ab herede in fideicommiſſarium, quare non erat producendum a priore fideicommiſſario in ſecundum, quia in fideicommiſſis, quæ ſunt onera & gravamina, non fit extenſio de perſona ad perſonam, vel de caſu ad caſum ; tum etſi fideicommiſſarius ſit heredis vice, non per omnia utitur jure heredis, nec enim quartam retinet ; *l. ex aſſe*, *in fin. l. ſi patroni*, §. *qui fideicommiſſam*, infr. *h. tit.* Alia erat ſententia Juliani & Mæciani, reſtituta hereditate a priore fideicommiſſario ex *SC. Trebelliano* actiones transferri in ſecundum fideicommiſſarium ; ex *hoc* §. Ratio eſt, quod fideicommiſſarius ſit heredis loco, & ab eo, quaſi ab herede primo loco inſtituto, actiones transferantur in fideicommiſſarium. Reſtituta enim hereditate, fideicommiſſarius ſecundus ſubintrat in locum primi, & ſubſtitutus ſubſtituto videtur ſubſtitutus inſtituto ; *l. ſi Titius*, ſupr. *de vulgar. & pupillar.* Quod igitur dicitur ex Ulpiano *hic* ſibi placere ſententiam Juliani, & Mæciani, liquido eſt Triboniani : aliud ſentiebat Ulpian. vel ſaltem quaſi novo caſu emergente, de quo nihil conſtitutum eſſet, putabat rem egere conſtitutione principali. Tandem vero hæc veterum controverſia ſopita eſt conſtitutione Juſtiniani in *l. pen. C. h. tit.* qua ſancitum, ut ſi primus fideicommiſſarius rogatus ſit alteri hereditatem reſtituere, ipſo jure actiones utiles transferantur a primo fideicommiſſario in ſecundum.

§. *ſed & quoties.*

EX *SC. Pegaſiano*, quod conſtitutione Juſtiniani abolitum eſt & transfuſum in *Trebellianum*, heres inſtitutus & rogatus reſtituere hereditatem, ſi ſuſpectam hereditatem diceret, & recuſaret adire quaſi damnoſam, cogebatur poſtulante fideicommiſſario adire & reſtituere, nec detracta quarta ; §. † 6. *verſ. ſed ſi recuſabat*, *inſt. de fideic. heredit.* Quod ſi duobus vel pluribus rogatus ſit reſtituere hereditatem, vel uno ex iis poſtulante, ex *SC.* cogitur univerſam hereditatem adire & reſtituere : puta, ſi quis rogatus ſit duobus reſtituere hereditatem, alteri pure vel in diem, alteri ſub conditione, & ſuſpectam hereditatem dicat, poſtulante eo, cui erat rogatus pure vel in † diem reſtituere, interim, id eſt pendente conditione, ſub qua rogatus eſt alteri partem hereditatis reſtituere, univerſam hereditatem reſtituet ex *SC.* Exiſtente autem conditione, actiones pro parte ipſo jure transferentur in alium fideicommiſſarium, ſi velit

partem ſuam ſuſcipere, ex *hoc* §. *l. cogi*, §. *ſi quis*, *l. ex aſſe*, §. 1. *inſr. h. tit.* Ratio dubitandi erat, quod heres videbatur poſſe retinere partem non cogentis pendente conditione, & fideicommiſſarium partis, poſtulantem univerſam hereditatem adiri & ſibi reſtitui, repellere oppoſita exceptione doli, quod dolo faceret, qui peteret, quod mox redditurus eſſet; *l. dolo facit*, *de dol. & met. except. l. in condemnatione*, §. *ult. de R. J.* Sed verum eſt, heredem vel uno ex fideicommiſſariis poſtulanti cogi poſſe ex *SC.* adire & reſtituere hereditatem in ſolidum, quia hereditas non poteſt adiri pro parte, pro parte ſuſpecta dici & repudiari; *l.* 1. ſupr. *de adquir. heredit.* Ac proinde his, qui duobus vel pluribus rogatus eſt reſtituere hereditatem, vel uno ex iis poſtulante cogi poteſt ex *SC.* adire & reſtituere hereditatem, & quartæ retentionem amittit, etiam in aliorum portionibus, qui id non deſideraverint, quod reſtituta hereditate, vel uno cogente, actiones hereditariæ in ſolidum transierint in eum, qui coegit; *d. l. cogi*, §. *idem Mæcianus*. Ergo reſtituta hereditate in fideicommiſſarium partis, pure tranſeunt actiones in ſolidum, quæ, exiſtente poſtea conditione pro parte ſua, tranſeunt in alium fideicommiſſarium, ſi velit partem ſuam ſuſcipere. Si enim partem ſuam ſibi reſtitui nolit, maneret apud fideicommiſſarium, cui reſtituta eſt univerſa hereditas; jus enim adcreſcendi locum habet inter fideicommiſſarios univerſales, quia heredum vice ſunt; *l. Scævola*, *inſr. h. tit.*

§. *ſi filio*, † §. *idem eſt*, §. *ſed & ſi tutor*.

Filio vel ſervo herede inſtituto, & rogato reſtituere hereditatem, hereditas per filium vel ſervum adquiritur patri vel domino cum onere fideicommiſſi, quia quicquid filiusf. vel ſervus adquirit, id adquirit patri vel domino; §. 1. *inſt. per quas perſ. cuiq. adquir.* Unde ſi filius vel ſervus heres inſtitutus ſit, non poteſt adire hereditatem injuſſu patris vel domini, ne invitum æri alieno obliget; *l. ſi quis mihi bona*, §. *juſſum*, ſupr. *de adquir. hered.* Reſtituta hereditate per patrem vel dominum, ex *SC. Trebelliano* actiones ipſo jure transferuntur in fideicommiſſarium, ex *hoc* §. Filio vel ſervo herede inſtituto & rogato, pater vel dominus reſtituit hereditatem, & transfert actiones in fideicommiſſarium, quia hereditas ita ei quæſita eſt ex perſona filii vel ſervi, ut ne momento quidem hæſerit in perſona filii vel ſervi; *l. placet*, ſupr. *de adquir. heredit.* Idem juris eſt, ſi pater vel dominus ſuo nomine rogati ſint reſtituere, ex *hoc* §. id eſt ſi filio vel ſervo herede inſtituto, pater vel dominus ſuo nomine rogati ſint reſtituere, reſtitutione patris vel domini actiones ex *Trebelliano* transferuntur in fideicommiſſarium, quia filio vel ſervo herede inſtituto, hereditas ſtatim adquiritur patri vel domino, & ab eo, ſi rogatus ſit tamquam vero herede, actiones transferuntur in fideicommiſſarium reſtituta hereditate; filio enim vel ſervo herede inſtituto fideicommitti patris vel domini poteſt, id eſt a patre vel domino fideicommiſſum relinqui poteſt quaſi ab herede inſtituto; *l. cum filiof. de legat.* 1. Idem eſt ſi ipſi filio pater rogatus ſit reſtituere, ut ſubjicitur in *hoc* §. † *idem eſt*. Si pater filio rogatus ſit reſtituere hereditatem non deducit quartam, quia non ut heres, ſed ut pater rogatus videtur; *d. l. cum filiof.* Sed tamen ſi pater ipſi filio rogatus ſit reſtituere, reſtituta hereditate ex *SC. Trebelliano* actiones a patre transferuntur in filium, ex *hoc* §. Et SC. etſi locus non ſit quoad deductionem quartæ, huic tamen locus eſt quoad translationem actionum. Sed & pupillo vel adulto vel furioſo herede inſtituto, tutor pupilli, vel curator adulti vel furioſi ſi rogatus ſit reſtituere hereditatem, reſtituta hereditate per tutorem vel curatorem ipſo jure ex *Trebelliano* transferuntur actiones in fideicommiſſarium, ex *h.* §. † *ſed & ſi tutor*, & *l. cum heres* 35. infr. *h. tit.* Obſtare videbatur *l. reſtituta*, §. 11 infr. *h. tit.* ubi pupillo herede inſtituto, pupillus ipſe debet re-

reſtituere tutore auctore, non tutor ſine pupillo, niſi infans ſit: ſed in *hac lege* pupillus ipſe debet reſtituere tutore auctore, quia fuit rogatus reſtituere. Tutor vel curator reſtituit, & transfert actiones in fideicommiſſarium, quia ipſe fuit rogatus, & reſtituendo obſequitur voluntati defuncti. At ex *SC. Trebelliano* reſtituta hereditate, ita demum actiones transferuntur in fideicommiſſarium, ſi heres reſtituat, ſicut rogatus eſſet, ex verbis SC. §. † 2. ſupr. *h. l. l. ſed* † *etſi ante*, infr. *h. tit. l. ſi mulier* 59. §. *ex aſſe*, ſupr. *de jur. dot.* Conſtitutione etiam Juſtiniani ſi pupillus, qui aut fari non poteſt, aut abſens eſt, aut furioſus rogatus fuerit de reſtituenda hereditate, eamque vel pater pupilli, vel curator adulti vel furioſi reſtituerit, actiones hereditariæ ipſo jure transferuntur in fideicommiſſarium; *l. pen. C. h. tit.*

§. *fuit quæſitum*, † §. *curatori*.

PUpillus non poteſt adire hereditatem, niſi tutore auctore; *l. pupillus*, ſupr. *de adquir. heredit.*, *l. potuit*, *C. de jur. deliber.* nec reſtituere hereditatem fideicommiſſariam, niſi tutore auctore; *l. reſtituta*, §. *pupillus*, infr. *h. tit.* Quod ſi pupillus rogatus ſit ipſi tutori hereditatem reſtituere, quæſitum eſt, an ipſo tutore auctore reſtitutionem facere poſſit? Et a D. Severo decretum eſt, pupillum non poſſe tutori reſtituere hereditatem ipſo tutore auctore, quia tutor non poteſt eſſe auctor in rem ſuam, ex *h.* §. † *fuit quæſitum*, quæ regula traditur & in *l.* 1. † *l. pupillus*, *l. quod* † *dicimus*, *l.* † *ſi ſervus communis*, ſupr. *de auctor. tut.* Quod ſi adultus rogatus ſit curatori reſtituere, poterit ipſi reſtituere hereditatem, quoniam neceſſaria non eſt curatoris auctoritas ad reſtitutionem, ex *h.* §. † *curatori*. Ratio dubitandi erat, quod minor videbatur non poſſe contrahere cum ſuo curatore ſine auctoritate alterius curatoris, quia non poteſt contrahere cum alio ſine conſenſu curatoris; *l. ſi curatorem*, *C. de in integr. reſt. min.* Sed minor poteſt reſtituere hereditatem ſine conſenſu curatoris, quia reſtitutione fideicommiſſi non obligatur, ſed liberatur: reſtitutio enim fideicommiſſi eſt ſolutio; *l. non enim*, infr. *h. tit.* Quærunt *hoc loco* DD. an filiusf. patri mortis cauſa donare poſſit, videbatur non poſſe, quia filiusf. non poteſt donare ſine conſenſu patris; *l. filiusf.* §. *pari autem*, *de donat. l. tam is*, §. 1. *de mort. cauſ. donat.* Ergo non poteſt conſenſum interponere in rem ſuam, qua ratione non poteſt quiſpiam auctor eſſe in rem ſuam: ſed receptior eſt ſententia, filium familias mortis cauſa donare poſſe ipſi patri conſentienti, quia hic non requiritur auctoritas patris, quæ eſt actus legitimus & ſolemnis, in quo nemo poteſt eſſe auctor in rem ſuam: ſed requiritur nudus conſenſus, quem pater poteſt interponere etiam in rem ſuam, quia conſenſus juris ſolemnitatem non deſiderat.

§. *ſi autem*.

SI collegium vel corpus rogatum ſit reſtituere hereditatem ſingulis ipſius collegii, poteſt ſingulis inſpecta eorum perſona reſtituere hereditatem, nec enim videtur quis horum, qui ſunt de collegio, ipſi ſibi reſtituere, ex *hoc* §. Ratio dubitandi erat, quia a ſe ipſo ſibi legari vel fideicommitti non poteſt; *l. plane*, §. *ſi duobus*, *l. legatum* 116. §. 1. ſupr. *de legat.* 1. At ubi collegium rogatum eſſet reſtituere ſingulis de collegio, videbatur fideicommiſſum a ſemetipſo ſibimet ipſi relinqui, cum collegium conſtituatur ex ſingulis, qui ſunt in collegio. Sed verius eſt valere fideicommiſſum a collegio relictum quibuſdam vel ſingulis de collegio, quia differentia eſt inter collegium ſeu corpus, & collegiatos vel corporatos: aliud univerſitas, aliud ſinguli, unde quæ ſunt univerſitatis, non ſunt ſingulorum; *l. in tantum*, §. 1. ſupr. *de diviſ. rer. l.*

Digitized by Google

ſed ſi hac, §. *qui manumittitur*, *de in jus voc.* Et ſi quid univerſitati debetur, ſingulis non debetur, nec quod debet univerſitas ſinguli debent; *l.* 7. §. *ſi quid univerſitati*, ſupr. *quod cujuſcumq. univerſit.* Itaque ſi fideicommiſſum a collegio relictum ſit ſingulis vel quibusdam ipſius collegii, non videtur ſibi quisque horum reſtituere, quia non ut ſinguli reſtituunt, ſed ut univerſi. Et collegium reſtituit ſingulis inſpecta eorum perſona, id eſt ut privatis, non ut univerſis, unde reſtitutio non fit ſine decreto collegii, ut nominatim ſcriptum eſt in *hoc* §. ut intelligas ſc. univerſitatem ſeu collegium reſtituere non ſingulos ſibi ipſis.

§. *ſi heres.*

SI heres, præcepto fundo quartæ vice, rogatus ſit reſtituere hereditatem, ex *Trebelliano* reſtituet hereditatem, ita ut fundus præceptus imputetur in quartam, nec multum facit, id eſt neque obſtat, quod fundus pignori datus eſt, neque enim æris alieni perſonalis actio fundum ſequitur, id eſt poſſeſſorem, ſed fideicommiſſarium, cui ex *Trebelliano* hereditas reſtituta eſt: & hoc eſt quod dicitur in *l. ſi fideicommiſſum*, §. *pen.* ſupr. *de judic.* æs alienum non eſſe loci, ſed univerſarum facultatum, id eſt non eſſe onus fundi ſingularis, ſed univerſæ hereditatis. Actio enim perſonalis non datur adverſus ſingularem ſucceſſorem; *l. ult. C. de heredit. act.* quia actio hypothecaria, quæ eſt in rem, datur in quemlibet etiam tertium poſſeſſorem; *l.* 1. *&* 2. *C. ſi unus ex plurib. hered. creditor. vel debit.* Ex contractu pignoris ſc. naſcuntur duæ actiones, perſonalis, & hypothecaria, & ſubmota perſonali actione, durat hypothecaria; *l.* 2. *C. de luit. pignor.* Et heres rogatus reſtituere hereditatem præcepto fundo, reſtituta hereditate, retento fundo, poteſt conveniri hypothecaria a creditoribus hereditariis. Heres rogatus deſiderabat ſibi caveri datis fidejuſſoribus a fideicommiſſario, ut ſi forte fundus obligatus, actione hypothecaria evinceretur a creditore, ei cautum eſſet de evictione, & hoc remedio quidam heredi ſuccurrendum putabant, quorum ſententia proponitur in illis verbis, *ſed cavendum eſt heredi*, *&c.* Diverſa fuit ſententia Juliani, fideicommiſſarium non poſſe compelli cavere heredi de evictione, ſed fundum æſtimandum eſſe quanti valeat, id eſt quanti venire poſſit ſine cautione, id eſt quanti vendi poteſt cum periculo evictionis, & cum onere hypothecæ: res enim tanti æſtimatur, quanti vendi poteſt; *l.* † *ſi ſervus*, *in pr. verſ. quod ſi*, ſupr. *de condict. furtiv. l. mortis cauſa* 18. *in fin. de mort. cauſ. donat.* & res æſtimanda eſt inſpecta qualitate, quantitate, & onere; *auth. hoc jus* † *porrectum*, *in fin. C. de SS. eccleſ.* Et fundus obligatus eo minus æſtimatur propter hypothecam, & pluris æſtimaretur, ſi fideicommiſſarius caviſſet. Et ſi fundus tanti æſtimetur abſque cautione, quanti eſt quarta, ex *Trebelliano* tranſeunt actiones in fideicommiſſarium: quod ſi minoris æſtimetur, quod deeſt ſupplebitur ex aliis bonis hereditatis, & eo retento, ſimiliter ex *Trebelliano* † reſtitutio fit. Et hanc ſententiam probat Ulpianus in *fin. h.* §. quod hæc ſententia multas quæſtiones dirimat; id eſt multas quæſtiones, quæ oriri poſſent inter heredem & fideicommiſſarium occaſione cautionis, quia difficile eſt invenire idoneos fidejuſſores, & multæ lites naſcantur circa idoneitatem fidejuſſorum; *l. omnes*, §. *præterea*, *C. de Epiſc. & cleric.* Ratio dubitandi erat, quod non ſatis ſuccurſum videbatur heredi per æſtimationem, quod fundus maneret obligatus creditori, & per æſtimationem non tolleretur periculum evictionis, quinimmo id heres in ſe reciperet; & tutius eſſet heredi caveri a fideicommiſſario: quo remedio conſulitur emptori, ſi res evincatur ante pretii ſolutionem, ut non poſſit compelli ad reſidui vel totius pretii ſolutionem, niſi prius ei ſatis offeratur; *l. ſi poſt perfectam*, *l.* †† *ex prædiis*, *C. de evict.* Sed Juliani ſententia obtinuit, heredem non poſſe cogere fideicommiſſarium, ut ſibi

†† l. *ex* (*his*) *prædiis*, & v. ſi facit. Add. *l. ult.* §. 1. *ff. de reſcind. vendit. l. pen. in fin. ff. de peric. & commod. rei vend.*

bi caveat de evictione fundi, quem retinet quartæ loco, quod ſatis cautum videatur heredi per æſtimationem faciendam cum ſuo onere, ac periniquum ſit ſupervacua cautione onerari fideicommiſſarium; *l. hac ſtipulatio*, §. 1. *ut legat. vel fideic. ſerv. cauſ. caveat.*

§. *ſi is, qui quadringenta.*

HEres vel legatarius non poteſt onerari fideicommiſſo ultra vires hereditatis vel legati; §. † 1. *verſ. hoc ſolum*, *inſt. de ſingul. reb. per fideic. relict. l. filiuſf.* §. *apud Marcellum*, *de legat.* 1. *l.* 1. §. *ſciendum*, *de legat.* 3. *l.* † *ex facto*, §. *non tantum*, infr. *h. tit.* quod comprobatur & in *hoc* §. cujus ſpecies hæc eſt. Titius CCCC. in bonis habebat: is teſtamento facto Sempronio legavit CCC. Caium heredem inſtituit, eundemque rogavit, deductis ducentis, Seio reſtituere hereditatem: quæſitum eſt, an fideicommiſſarius teneatur præſtare ſolidum legatum CCC. Sempronio, an vero non ultra teneatur, quam quatenus ad eum ex hereditate pervenit? Et Juliani ſententia fuit, quam comprobat Ulpianus *hic*, fideicommiſſarium ſtricto jure teneri ſolvere CCC. quia onus legatorum ſequitur fideicommiſſarium: ſed ex æquitate, non dari in eum actionem in plus quam in ducenta, in heredem autem in centum, ita ut heres alia centum retineat ſibi pro quarta. Ratio ſubjicitur, quia fideicommiſſarius non debet ultra onerari, quam ad eum ex hereditate pervenit; ſicut enim is, cui nihil relictum eſt, non poteſt onerari fideicommiſſo, juxta regulam, quem non honoro gravare non poſſum; *l. ab eo*, *C. de fideicommiſſ.* ita & is, cui aliquid relictum eſt, non poteſt in plus gravari, quam ei datum ſit. In hoc tamen durior eſt cauſa fideicommiſſarii, quam heredis, quod fideicommiſſarius non detrahit quartam de legatis, & hoc eſt quod voluit Ulpianus his verbis, *quamvis falcidia ceſſet*, quia quarta *Pegaſiana* ſeu *Trebellianica*, quæ *falcidiæ* appellatione paſſim intelligitur, ſemel detrahitur tantum ab herede inſtituto & rogato, non autem a fideicommiſſario, ne per plures deductiones quartæ hereditas exhauriatur, ex *hoc* §. & *duob. ſeq.* inſfr. *hac l. l. ſi patroni*, §. *qui* † *fideicommiſſam*, inſfr. *h. tit. l. lex falcidia* 47. §. 1. *ad leg. falcid.*

§. *denique.*

EX teſtamento militis heres non tenetur ultra vires hereditatis, tamen non detrahit quartam *falcidiam* vel *Trebellianicam* de legatis vel fideicommiſſis a ſe relictis, ex *hoc* §. *l. Marcellus*, §. 1. infr. *h. tit. l. in teſtamento*, *C. de teſt. milit.* & hoc favore militiæ. Ratio eſt, quia utraque quarta *falcidia* & *Trebellianica* detrahitur contra voluntatem teſtatoris, & favor militis in eo verſatur, ut legata & fideicommiſſa ſine detractione ſolvantur, ſecundum voluntatem defuncti. Idem in fideicommiſſario, cui ex cauſa fideicommiſſi reſtituta eſt hereditas. Ex teſtamento militis fideicommiſſarius non tenetur ultra vires fideicommiſſi, nec tamen quartam deducit, ex *hoc* §. fideicommiſſarius non detrahit quartam de fideicommiſſis a *SC.* relictis, quia ex *SC. Pegaſiano* ſoli heredi licet quartam detrahere, non etiam fideicommiſſario, & *SC.* quod locutum eſt de herede, non producitur ad fideicommiſſarium quoad quartæ detractionem.

§. *inde Neratius.*

CUm plures gradus fideicommiſſi fiunt, fideicommiſſarius prior quartam non detrahit fideicommiſſario ſecundo, quarta enim ſemel detrahitur ab herede, & ubi ſemel quarta detracta eſt per heredem, alia non poteſt detrahi per fideicommiſſarium, ne fideicommiſſum exhauriatur tot detractionibus. Ac pro-

Digitized by Google

inde ſi heres rogatus eſt reſtituere univerſam hereditatem, non deducta *falcidia*, & fideicommiſſarius prior rogatus ſit & ipſe alii reſtituere, non detrahit quartam fideicommiſſario ſecundo, niſi duobus caſibus. Primus eſt, ſi heres liberalitatem ad priorem fideicommiſſarium tantum voluit pertinere, ex *hoc* §. id eſt ſi heres ipſe omiſerit quartam, quod eſt genus liberalitatis in gratiam prioris fideicommiſſarii, quo caſu fideicommiſſarius quartam detrahit, non ex perſona ſua, ſed ex perſona heredis, nec in dubio heres præſumitur remiſiſſe quartam, ut gratificaretur fideicommiſſario, quia in dubio heres, qui reſtituit totam hereditatem non detracta quarta, præſumitur id feciſſe, ut plenam fidem exhiberet voluntati defuncti; *l. ſi ſponſus*, §. † 15. *de donat. int. vir. & uxor. l. patrem, de his, quæ in fraud. cred. l.* 1. *C. ad leg. falcid.* ut recte exiſtimavit Ripa *hic.* contra Azonem. Alter caſus eſt, ſi heres quartam deducere non potuit, forte quia hereditatem ſuſpectam dixit, & coactus adiit jubente fideicommiſſario, tunc fideicommiſſarius habet jus deducendæ quartæ; *l. Marcellus, in pr. verſ. quod ſi ſuſpecta*, infr. *hoc tit.* Obſtare videbatur *l. ſi patroni*, §. *qui † fideicommiſſam*, infr. *h. tit.* ubi fideicommiſſarius, qui heredem coegit ſuſpectam hereditatem adire & reſtituere, ſi ipſe quoque rogatus ſit alii reſtituere, totam reſtituet non deducta *falcidia*: ſed hæ *leges* non ſunt pugnantes. Huic enim *legi* locus eſt in legatis ab ipſo fideicommiſſario relictis: ſed aliud eſt in legatis ab herede relictis, quia fideicommiſſarius non detrahit *falcidiam* ex legatis a ſe relictis quaſi legatarius, ſecus *falcidiam* detrahit ex legatis ab herede relictis, quia tunc fideicommiſſarius *falcidiam* detrahit, non ex perſona ſua, ſed ex perſona heredis, ut ſubjicitur in *d.* §. *qui † fideicommiſſam, & l. facta*, §. *ſi cum ſuſpectam*, infr. *h. tit.* fideicommiſſarius autem non detrahit *Trebellianicam* ſecundo fideicommiſſario, non ea ratione, quod heredi in *hoc* §. prohibita eſſet deductio *Trebellianicæ*, quia hoc jure quarta *Trebellianica* prohiberi non potuit; *l. qui totam*, infr. *h. tit.* ſed alia ratione, ea ſc. ne ſi plures fideicommiſſi gradus fiant, fideicommiſſum exhauriatur, ut modo dictum eſt.

§. *pen. & ult.*

SI heres rogatus ſit reſtituere quotam hereditatis, puta dimidiam, onus legatorum dividitur inter heredem & fideicommiſſarium pro quota, ita ut heres quartam integram habeat, id eſt ſolutam onere legatorum, quia quarta falcidia ſolvitur omni onere legatorum. Finge teſtator cum quadringenta in bonis haberet, ducenta legavit Titio, & heredem rogavit, partem dimidiam hereditatis Sempronio reſtituere, onus legatorum ſcinditur inter heredem & fideicommiſſarium, ita ut centum petantur ab herede, & alia centum fideicommiſſario, id eſt a fideicommiſſario, quia ſecundum hanc rationem heres integram quartam habet, id eſt ſolutis centum pro parte legati, centum, quæ continent quartam, remanent apud heredem; §. *pen. & l.* 2. C. *h. tit.* ubi indubitati juris eſſe dicitur, fideicommiſſarium, cui pars hereditatis reſtituta eſt, pro rata teneri ad legata, & alia onera hereditaria. Quod ſi heres rogatus ſit reſtituere hereditatem deducta quarta, vel re, quæ quartam tantum æquet, non tenetur legatis, ſed eorum onus ſpectat ad ſolum fideicommiſſarium. Nunc finge, quæ eſt ſpecies §. *ult.* teſtator, qui quadringenta in bonis habebat, condito teſtamento trecenta legavit Titio, & heredem rogavit, ut hereditatem deductis centum Sempronio reſtitueret: reſtituta hereditate deductis centum, quæ quartam tantum contineant, actiones legatorum in ſolidum dantur in fideicommiſſarium, quia reſtituta hereditate onus legatorum non pertinet ad heredem, ſi amplius apud eum non remanet, quam quarta: & hoc eſt quod dicitur in §. *ſi quis, inſtit. de fideic. hered.* ſi heres deducta re certa, quæ quartam con-

continet, rogatus ſit reſtituere hereditatem, reſtituta hereditate deducta re, actiones ex *Trebelliano* in ſolidum transferuntur in fideicommiſſarium, & res manet apud heredem ſine ullo onere hereditario, quaſi ex legato ei adquiſita. Quod ſi heres rogatus ſit reſtituere univerſam hereditatem, non detracta quarta, reſtituta hereditate ſine detractione, actiones legatorum vel fideicommiſſorum particularium transferuntur in fideicommiſſarium; *l. ult. C.* † *h. tit.* Et in hoc differt onus legatorum ab onere æris alieni, quod ſi heres rogatus ſit reſtituere hereditatem deducta quarta, vel certa re, tenetur creditoribus pro modo quartæ, etiam ſi non excedat quartam, quia æs alienum ipſo jure minuit quartam; *l. etſi ſine ſcriptura, C. h. tit. l. irritum, C. ad leg. falcid.* Igitur ſi heres rogatus deducta quarta dodrantem fideicommiſſario reſtituerit, quod creditoribus hereditariis ſolverit, pro dodrante tantum a fideicommiſſario petere poteſt; *l. 1. C. h. tit.*

L. 2. & 3. *init.*, & † §. 1.

Ex *SC. Pegaſiano* ſi heres rogatus ſuſpectam hereditatem dicat & adire recuſet, poſtulante fideicommiſſario a prætore compellitur adire & reſtituere, & quartæ deducendæ commodum amittit; §. † *6. verſ. ſed ſi recuſabat, inſtit. de fideic. heredit. l. cogi*, §. *cum quidam*, *inf. h. tit.* Et herede coacto adire & reſtituere, fideicommiſſarius legatis non tenetur in plus, quam heres teneretur, ſi ſponte adiiſſet, & ſi *falcidiæ* locus ſit, quartam deducit de legatis ab herede relictis; quarta enim, quam perdit qui coactus adivit, non cedit legatariis, ſed fideicommiſſario, qui heredem coegit adire & reſtituere. Finge, teſtator, cum quadringenta in bonis haberet, Titio legavit CCC. & heredem rogavit, ut Sempronio hereditatem reſtitueret: heres rogatus cum ſuſpectam hereditatem diceret, poſtulante fideicommiſſario juſſu prætoris adiit & reſtituit: quærebatur, quid legatario fideicommiſſarius dare deberet? Celſus in *h. l.* † 2. primum tentat monendo & dubitando, ut recte ſubodoratur Azo *hic*, tota trecenta fideicommiſſarium Titio præſtare debere, non una ratione. Prior eſt, quod præſumatur teſtatorem voluiſſe, fideicommiſſum reſtitui cum onere legatorum. Altera quod heres rogatus intelligitur, ut fideicommiſſarium ſuo loco conſtituat, quo ſc. eidem reſtituat, quod ſolutis legatis & aliis oneribus, reliquum apud eum maneret, ſi non eſſet rogatus reſtituere: cum ergo heres, a quo trecenta legata erant de hereditate, quæ tota conſiſtebat in quadringentis, non amplius haberet quam centum, ſi ſponte adiiſſet hereditatem, hæc centum fideicommiſſario reſtituere rogatus intelligitur. Tandem Celſus concludit, ſic eundem eſſe legis *falcidiæ* rationem, quaſi heres trecenta Titio dare damnatus ſit, Sempronio centum nomine legati ſc. Sicut ergo ſi heres ſua ſponte adiiſſet Titio daret ducenta viginti quinque, & Sempronio ſeptuaginta quinque, detracta quarta de utroque; ſi heres coactus ſit adire & reſtituere, conſequens eſt, fideicommiſſarium non plus debere Titio legatario, quam ſi heres injuſſu prætoris, id eſt ſponte ſine coactione adiiſſet hereditatem, id eſt detrahere quartam de trecentis, quod eſt ſeptuaginta quinque. Et hæc eſt ſententia *h. l.* † 2. Ratio eſt, quod herede coacto adire & reſtituere, fideicommiſſarius, qui coegit heredem adire & reſtituere, detrahat quartam de legatis ab herede relictis, quod eodem jure utatur, quod heres habiturus eſſet, ſi ſponte adiiſſet, & reſtituiſſet, ut dicitur in *h. l.* † 2. & abſurdum eſſet legatarium plus ferre herede coacto adire, & reſtituere, quem laturus eſſet, ſi heres ſponte adiiſſet, quæ ratio petitur ex proxima *l.* 3. quæ *huic* conjungenda eſt. Hujus *leg. initii* ſpecies hæc eſt. Teſtator, cum quadringenta in bonis haberet, Titio legavit trecenta, & expreſſim cavit, ut ea pertinerent ad onus heredis, heredem ſcriptum rogavit hereditatem reſtituere Sempronio: heres ſpon-

Digitized by Google

te adiit, & reſtituit hereditatem: quæritur quomodo debeat falcidiæ ratio computari? Marcellus ſcripſit, falcidiæ rationem ita iniri debere, ac ſi quadringenta per fideicommiſſum eſſent relicta Sempronio, trecenta vero legata Titio, ita ut trecenta illa in ſeptem partes dividantur, e quibus quatuor partes ferat fideicommiſſarius, tres partes legatarius. Quod ſi heres, cum ſuſpectam hereditatem diceret, coactus adierit & reſtituerit, fideicommiſſarium primum † retinere quartam, quam habiturus eſſet heres ſi ſponte adiiſſet & reſtituiſſet, hoc eſt centum de quadringentis. Nam herede coacto adire & reſtituere, fideicommiſſarius detrahit quartam, quam heres detracturus eſſet, ſi ſponte adiiſſet, & reſtituiſſet; *l. facta*, §. *ſi* † *cum ſuſpectam*, infr. *h. tit.* Reliquorum autem trecentorum eandem diſtributionem fieri, ut ex his quatuor partes ferat fideicommiſſarius, reliquas tres legatarius: iniquiſſimum enim eſſet, legatarium plus ferre herede coacto adire & reſtituere, quam ſi ſponte adiiſſet, ut eleganter dicitur *init. h. l.* Quod enim ex *SC. Pegaſiano* heres rogatus, ſi ſuſpectam hereditatem dicat, compellitur adire & reſtituere, inſtitutum eſt, ne fideicommiſſum intercidat non adita hereditate; §. *ſed quia heredes*, † *& ſeq. verſ. ſed ſi recuſabat*, *inſt. de fideic. hered.* utpote non valeret heres reſtituere hereditatem, quam non haberet: atque ita quod introductum eſt in gratiam fideicommiſſarii, fideicommiſſi conſervandi cauſa, non debet detorqueri in ejus necem & in gratiam legatariorum, de quibus SC. non cogitavit: unde heres rogatus non poteſt cogi adire hereditatem & reſtituere a fideicommiſſario ſingulari, qui pro legatario habetur, ſed tantum a fideicommiſſario univerſali, qui eſt heredis loco; *l. nam quod*, *& duab. ſeqq.* infr. *h. tit.* Quod dictum eſt in ſuſpecta hereditate, nempe quod heres coactus adire & reſtituere hereditatem amittit quartam *Pegaſianam* ſeu *Trebellianicam*. Idem locum habet in iis teſtamentis, in quibus falcidia ceſſat; † §. 1. *h. l.* 3., ut in teſtamento militis; *l. in teſtamento*, *C. ad l. falcid.*

§. † *item Pomponius*.

SI heres inſtitutus ſit, & rogatus reſtituere hereditatem deductis legatis, quæritur, an quartam detrahat, tam ex legatis, quam ex fideicommiſſo, an ſolida legata præſtet, & quartam detrahere poſſit ex ſolo fideicommiſſo? & Pomponius ex Ariſtone reſpondet, quartam ex omnibus detrahendam, hoc eſt tam ex legatis, quam ex fideicommiſſo, ex *hoc* §. Ratio dubitandi erat, quod teſtator videtur voluiſſe, integra legata ſolvi non deducta quarta *Trebellianica*, herede rogato hereditatem reſtituere deductis legatis: tamen quod heres rogatus eſt hereditatem reſtituere deductis legatis, non † impedit deductionem quartæ *Trebellianicæ* ex legatis: ſed hunc tantum parit effectum, ut in ejus electione ſit, in reſtituenda hereditate deducere legata, & ea præſtare ſua manu, vel totum quod eſt in hereditate vel legatis reſtituere; *l. cogi*, §. *inde quæritur*, infr. *h. tit.*

§. *res, quæ*.

JUre veteri res fideicommiſſo ſubjectæ pendente conditione fideicommiſſi alienari poterant, ita ut ab emptore revocari non poſſent exiſtente conditione fideicommiſſi, ſalva fideicommiſſario fideicommiſſi perſecutione actione ex fideicommiſſo contra heredem, ut res alienatas reſarciret; *l. ſi heres inſtitutus*, §. *ſi heres*, infr. *h. tit.* & hoc ipſum comprobatur conſtitutione Juſtiniani in *l.* 3. §. *ſed quia*, *C. comm. de legat.* ex qua abrogato jure veteri, alienatio rerum fideicommiſſarum in poſterum irrita declaratur, præmiſſa ſolemni conteſtatione, ne heres putet res ſubſtitutioni vel fideicommiſſo obnoxias ſecundum veterem diſpoſitionem juris in poſterum alienare, vel obligare ſibi licere. Jure veteri va-

valebat alienatio rerum fideicommiſſo ſubjectarum, ita ut revocari non poſſet, ſi modo facta non eſſet fideicommiſſi intervertendi cauſa ; *l. Titius*, infr. *h. tit. l. ſed & ſi*, §. *quod autem* 16. ſupr. *de petit. heredit.* Puta ſi res alienatæ non excederent quartam, quo caſu alienatio rerum fideicommiſſarum valet usque ad modum quartæ & res alienatæ heredi imputantur in quartam, ex *hoc* §. Quod ſupra quartam alienatum eſſet, id fideicommiſſarius ab emptore revocabat, ut colligitur ex *hoc* §. ex quo rerum fideicommiſſarum alienationem valere tantum usque ad modum quartæ intelligere datur, quod res alienatæ heredi imputentur in quartam, alias etiam alienatio rerum fideicommiſſarum, ſi forte modum quartæ excederet, ſuſtinebatur propter probabilem ignorantiam heredis provenientem ex facto teſtatoris, ut in caſu *l. ult.* §. *ult.* ſupr. *de legat.* 2. ubi ſi maritus heredem uxorem inſtituerit, cujus poſt mortem aperiri codicillos præcepit, & uxor prædium hereditarium, infructuoſum rationi ſuæ exiſtimans, nondum apertis codicillis vendiderit, Scævola reſpondet, non poſſe venditionem poſt mortem mulieris revocari, ab iis, quibus hereditas codicillis per fideicommiſſum data deprehenderetur : ſed propter juſtam ignorantiam tam mulieris, quam emptoris, heredem mulieris, ut fundus apud emptorem remaneat, fideicommiſſario pretium dare debere. Conſtitutione Juſtiniani res fideicommiſſo ſubjectæ, pendente conditione non poſſunt alienari, & ſi alienentur alienatio nulla & irrita eſt, ita ut interim neque uſucapio, neque longi temporis præſcriptio ulla contra fideicommiſſarium procedat ; *l. ult.* §. *ſed quia*, §. *ſin autem*, *C. commun. de legat.* Præſcriptio enim non poteſt currere contra fideicommiſſarium ante eventum conditionis, antequam de fideicommiſſo agere poſſit : non valenti agere non currit præſcriptio. Igitur conſtitutione Juſtiniani, rerum fideicommiſſo ſubjectarum alienatio nulla & irrita eſt ipſo jure. Excipiuntur certi caſus. Primus eſt, ſi heres rogatus res quasdam ex hereditate alienaverit, nam valet alienatio usque ad modum quartæ, & res alienatæ heredi imputantur in quartam, ex *hoc* §. Secundus caſus eſt, ſi res alienentur ex cauſa dotis vel donationis propter nuptias, bona enim reſtitutioni obnoxia poſſunt alienari pro dote vel donatione propter nuptias, pro modo congruo qualitati perſonarum, & hoc ſi is, qui rogatus eſt, ſit ex liberis, & legitima & *falcidia*, ex quo duplicis quartæ detractio permiſſa eſt, non ſufficiat doti, nec donationi propter nuptias ; *auth. res quæ*, *C. commun. de legat.* Nec diſtinguunt interpretes, an bona alienentur pro dote, vel donatione propter nuptias conſtituenda, vel reſtituenda, dummodo is, qui rogatus eſt, ſit ex deſcendentibus teſtatoris, qui fideicommiſſum impoſuit : hic eſt favor liberorum, ut res reſtitutioni obnoxiæ poſſint alienari pro dote vel donatione propter nuptias, quia hoc voto patris congruit ; *l. mulier* 22. §. *pen.* infr. *h. tit. l. pater filiæ*, *in fin.* ſupr. *de evict.* Non idem admittimus in extraneis ſeu collateralibus, quibus non permittitur alienatio rerum fideicommiſſarum pro dote, vel donatione propter nuptias, ſed tantum usque ad quartæ *Pegaſianæ* ſeu *Trebellianicæ* modum. Tertius caſus eſt, ſi res fideicommiſſo ſubjectæ alienentur ex cauſa neceſſaria, puta æris alieni teſtatoris ſolvendi cauſa, valet omnimodo alienatio, nam ſubſtitutio pariter atque prohibitio alienationis, non impedit alienationem neceſſariam ; *l. filiusf.* §. *divi* 14. *de legat.* 1. *l. peto*, §. *prædium*, *de legat.* 2. *l. pater filium*, *in princ. de legat.* 3. *l. alienationes*, *famil. erciſc. l.* 1. *de fund. dotal.* Ideo ſi creditor rem pignori obligatam a teſtatore, qui eam per fideicommiſſum reliquit, vendiderit, venditio non retractatur ex cauſa fideicommiſſi, licet emptor emerit ſciens fideicommiſſum ; *l. qui ſolidum*, §. *ult. de legat.* 2. Valet alienatio rerum fideicommiſſarum, ita ut revocari non poſſit, & res alienatæ heredi imputentur, niſi alienatio dolo facta ſit in fraudem & necem fideicommiſſarii : puta ſi heres res luculentiores hereditatis alienaverit, quia quarta *Trebellianica* debet detrahi in

Digitized by Google

mediocribus ; *l. legato*, *de legat.* 1. *l.* 3. §. *ſed & ſi quis*, *C. comm. de legat. l. ſi quis argentum*, §. 2. *C. de donat.* ſimiliter non revocatur alienatio rerum fideicommiſſi facta æris alieni hereditarii ſolvendi cauſa, niſi facta ſit dolo ultra modum æris alieni, vel res pretioſior tradita ſit, cum aliarum rerum emptor inveniri poſſet, & ex earum venditione æs alienum lui poſſet ; *l. ſi in emptionem*, *ff. de minorib. l. lex quæ*, *C. de adminiſtr. tut.*

§. *quidam liberis.*

QUæſtio *h.* §. eſt, an prælegata veniant in reſtitutione fideicommiſſi? Prælegatum ſeu præceptio eſt legatum, quod uni ex heredibus relinquitur præter portionem hereditariam, & quod pro parte capitur a ſemetipſo jure hereditario, pro parte capitur a coherede jure legati ; *l. legatum eſt*, *de legat.* 1. *l. in quartam*, *ad leg. falcid.* unde idem dicitur præceptio *hic*. Nunc finge, quæ eſt ſpecies *h.* §. Titius tres habens liberos, eos heredes inſtituit ex diſparibus partibus, ſingulis eorum datis præceptionibus, forte æqualitatis inter eos conſtituendæ cauſa, ita ut maximam partem patrimonii, inter liberos per modum præceptionum diviſerit ; & poſtea heredes invicem rogavit, ut quicumque ex his ſine liberis decederet, portionem ſuam, nulla facta mentione hereditatis, ſuperſtitibus fratribus reſtitueret: uno ex heredibus defuncto ſine liberis, quærebatur, an præceptiones venirent in reſtitutionem fideicommiſſi? Et Ulpian. reſpondet, Imperatorem ſuum (quo Antoninum Caracallam intelligit, ut & in *l. cum hic ſtatus*, *de donat. int. vir. & uxor. l.* 2. §. 4. *de vulgar. & pupillar. l. licet Imperator*, *de legat.* 1. *l. in bello*, §. † *ergo de metallo*, *de captiv. & poſtlim. reverſ.*) reſcripſiſſe, præceptiones quoque fideicommiſſo contineri, quia in portionem ſimpliciter acceptam cadunt præceptiones, hæ vicem portionum obtinent, & pater eas fecit filiis quaſi portiones. Igitur prælegata veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, ſi heres portionem ſimpliciter reſtituere rogatus ſit: idem locum habet ſi heres rogatus ſit reſtituere bona vel partem bonorum. Quod ſi heres ſcriptus ex parte, cui etiam prælegatum relictum eſt, & rogatus reſtituere hereditatem, omiſerit hereditatem, ſubſtitutus non capit prælegatum jure ſubſtitutionis ; *l. Sextiam*, *de legat.* 3. quia hoc caſu capit totum legatum non diverſo jure, id eſt partem a coherede jure legati, partem a ſemetipſo jure hereditario, ſed totum a coherede jure legati ; *l. qui filiabus*, §. *ult. & l. ſeq. l. quæſitum*, §. *duobus de legat.* 1. *l. cum reſponſo*, *C. de legat.* Sed ſi heres rogatus ſit reſtituere hereditatem, vel portionem hereditatis, vel portionem hereditariam, prælegata non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi ; quia hereditatis appellatione legata & fideicommiſſa non continentur, ut patet ex *hoc* §. *& l. ſi Titius ex parte*, *de legat.* 3. Si heres ſc. rogatus ſit, portionem hereditatis reſtituere, prælegatum non cadit in reſtitutionem fideicommiſſi pro ea parte, quæ legati jure capitur a coherede, ſed pro ea parte, quam a ſemetipſo heres capit jure hereditario ; *l. in* † *fideicommiſſaria*, §. *ult.* infr. *h. tit.* Sane ſi heres rogatus ſit reſtituere quicquid ad eum ex hereditate pervenerit, prælegata veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi ; *l. cum virum*, *C. de fideicommiſſ.* quia qui totum dicit nihil excludit, prælegatum non in hereditate, ſed ex hereditate eſt. Quod ſi teſtator heredem prius rogavit de reſtituenda hereditate, & poſtea eidem prælegavit, prælegatum non venit in reſtitutionem fideicommiſſi ; *l. Titia*, *ad leg. falcid.* quia non videtur teſtator rogaſſe de eo, quod nondum dederat, id eſt non videtur voluiſſe, ut prælegatum, quod uni ex heredibus relictum eſt poſt injunctum onus fideicommiſſi, fideicommiſſario reſtitueretur. Quod ſi prælegata abſorbeant majorem partem hereditatis, ex conjectura voluntatis veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, licet heres rogatus ſit tantum reſtituere hereditatem, vel

vel partem hereditatis, ex *hoc* §. quia pater videtur, officio arbitri functus, diviſiſſe hereditatem inter liberos per modum præceptionum, & voluiſſe eas venire in reſtitutionem fideicommiſſi. Et prælegata non tamquam legata, ſed potius tamquam portiones hereditariæ ſpectantur, & in fideicommiſſis voluntas magis, quam verba intuenda ſunt. Quod ſi heres inſtitutus ex parte, præcepto fundo, rogatus ſit reſtituere partem hereditatis, ſi *falcidiæ* locus ſit, partem prælegati, quam capit a ſe jure hereditario, & partem quam capit a coheredibus jure legati, imputat in *falcidiam*. Et quod eſt ultra quartam ex fideicommiſſo reſtituere tenetur *; l. filium, quem*, C. *famil. erciſc.* Cujac. *ad l.* 68. *de legat.* 2.

§. *ult.*

SI dominus a familia occiſus dicatur, *ex SC. Silaniano* heres ſcriptus prohibetur aperire tabulas teſtamenti & adire hereditatem ante quæſtionem habitam de familia, alioquin ſi tabulas teſtamenti aperuerit, vel hereditatem adierit ante quæſtionem habitam de familia, vel inultam mortem defuncti, hereditas fiſco vindicatur *; l. 3. §. non tantum, l. neceſſarios, §. non alias, ad Silanian. l. 3. C. de his, quibus ut indign.* & bonis publicatis ob delictum heredis, fiſcus hereditatem adquirit cum ſua cauſa & onere, puta cum onere fideicommiſſi, ut in *hoc* §. *l.* † *ex facto*, §. *ex facto*, infr. *h. tit. l.* 2. §. *ſi* † *fidei ejus, ſi quis aliq. teſtar. prohib. l. Statius Florus*, §. *Cornelio, de jur. fiſc.* cum onere legatorum, & æris alieni hereditatis *; l. ſi ſervus* 50. §. † *ſi quis, de legat.* 1. *l. res, quæ*, §. 1. *de jur. fiſc.* quare fiſcus in reſtituenda hereditate quartam detrahit, quam heres habiturus eſſet, ſi bona publicata non eſſent, & reſtituta hereditate, actiones ex *Trebelliano* transeunt in fideicommiſſarium, ut additur in *hoc* §. Quoties fiſcus ex cauſa confiſcationis ſuccedit, jus quartæ detrahendæ ad eum transit, quia fiſcus heredis loco habetur *; l.* 2. § † *ſi fidei, l. inter eos*, §. *ult. de fidejuſſ. l.* 2. C. *ad leg. Jul. de vi public. vel priv.* † §. iſte deſideratur.

L. 4.

EX SC. *Pegaſiano*, quod transfuſum eſt in *Trebellianum*, ſi heres inſtitutus & rogatus ſuſpectam hereditatem dicat, & velut damnoſam adire recuſet, poſtulante fideicommiſſario adiri ſuo periculo & reſtitui, compellitur a prætore adire & reſtituere, & quartæ commodum amittit; cum alieno periculo adeat hereditatem, merito omni commodo caret, ex *hac l.* & *l. cogi*, §. *cum quidam*, infr. *h. tit. l. ſi quis omiſſa, ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* §. † 6. *verſ. ſed ſi recuſabat, inſt. de fideic. heredit.* nec enim ferendus eſt qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſet *; l. unic.* §. *pro ſecundo*, C. *de caduc. tollend.* Ratio dubitandi erat, quod non eſt quisquam cogendus adire damnoſam hereditatem *; l. nec emere*, C. *de jur. deliber.* Sed hæc regula fallit in herede rogato, quia coactus adit hereditatem periculo cogentis, non ſuo, atque ob id merito compellitur hereditatem ſuſpectam adire, ne fideicommiſſum intercidat, utpote non valente herede hereditatem reſtituere, quam prius non adiiſſet. Heres, qui ſuſpectam dicit hereditatem, cogitur eam adire, nec refert hereditas ſit ſolvendo, nec ne, ex *hac l.* id eſt non poteſt heres recuſare adire hereditatem hoc prætextu, quod aperte damnoſa ſit, quia non adit eam ſuo periculo. Sed hodie coactio illa adeundæ hereditatis, tamquam ſupervacua, ex uſu ſublata eſt, quia herede recuſante adire, poteſt fideicommiſſarius adire hereditatem, neque per heredis manus eam reſtitui neceſſe eſt *; nov.* 1. *cap.* 1. §. 1. *de hered. & falcid.*

L. 5.

SEnator, vel alius cujuscumque dignitatis ſit, heres inſtitutus, etiam ab arenario, vel a muliere, quæ corpore quæſtum fecit, poſtulante fideicommiſſario cogitur adire & reſtituere hereditatem, † ex *h. l.* Ratio dubitandi erat, quod ſi quis heres inſtitutus ſit, ſub conditione ferendi nomen turpe & famoſum, puta nomen veſpillionis, conditio ei remittitur, quia dignitatis ratio habenda eſt *; l. ſed ſciendum*, *l. facta* §. *ſi vero*, infr. *hoc tit.* Ergo videbatur dicendum, virum dignitate præditum, inſtitutum a turpi & famoſa perſona, qualis eſt arenarius & meretrix, (Arenarii, qui quæſtus cauſa in arena deſcendunt, ſunt infames & capite minuti *; l.* 2. §. *ult. de his, qui not. infam.* Tertull. *de ſpectac. cap.* 22.) non eſſe cogendum adire & reſtituere hereditatem, quaſi dedecori ſit heredem inſtitui a turpi perſona : ſed tamen onus ferendi inhoneſti nominis remittitur, ut conſulatur pudori & verecundiæ ejus, cui injungitur : ſed coactio adeundæ & reſtituendæ hereditatis, etiam arenarii vel meretricis, non remittitur, quia hereditatis aditio & reſtitutio non eſt gravis & moleſta, etiam favor fideicommiſſorum id extorſit, ne fideicommiſſum intercidat.

L. 6. init.

SI heres inſtitutus & rogatus ſuſpectam hereditatem dicat & eam recuſet adire, decreto prætoris cogitur adire & reſtituere. Recuſari vero hereditas poteſt, non tantum verbis, ſed etiam re, id eſt facto, & alio quovis judicio voluntatis *; l. recuſari*, ſupr. *de adquir. hered.* Et hereditas recuſari poteſt, non ſolum inter præſentes, ſed etiam inter abſentes, puta per nuntium vel epiſtolam *; init. h. l. l. ille a quo*, §. 1. infr. *h. tit.* Ratio dubitandi erat, quod hereditas per procuratorem adquiri non poteſt *; l. Paulus*, alias *l. per curatorem*, ſupr. *de adquir. heredit.* Neque per procuratorem hereditas repudiari poſſe videtur, quia hereditatis repudiatio eſt actus ſolemnis, qui ſolemnitatem juris deſiderat, & in jure fieri debet *; l.* 3. *&* 4. *C. de repud. vel abſtinend. hered.* Ergo videbatur & recuſationem aditionis hereditatis non poſſe fieri inter abſentes per epiſtolam vel per nuntium, ſed tantum inter præſentes, actu ſolemni in jure, ut aditionem vel repudiationem hereditatis. Sed hereditatis recuſatio quocumque modo fieri poteſt, quia eſt actus minus ſolemnis, eſt nuda declaratio heredis ſcripti, ſe nolle adire hereditatem tamquam ſuſpectam & damnoſam. Eademque ratione decretum coactionis adeundæ & reſtituendæ hereditatis interponitur a prætore, etiam contra abſentem, ut ſubjicitur in *princ. h. l.* nempe ſi per contumaciam ſit abſens ; nam ſententia adverſus abſentem contumacem ferri poteſt, ſi tribus edictis, vel uno pro tribus, quod peremptorium appellatur, evocatum, judicio per contumaciam deſit *; l. & poſt edictum*, *de judic. l. properandum*, §. † *ſin autem* 3. *C. eod.*

§. *meminiſſe*, † §. *ſed & ad filium*.

NOn ſolum heres inſtitutus, ſed etiam heres ab inteſtato, ſi rogatus ſit reſtituere hereditatem, ſi ſuſpectam dicat, officio prætoris compellitur adire & reſtituere, ex *hoc* §. Ratio dubitandi erat, quod SC. loquatur tantum de herede inſtituto, & teſtamenti mentionem facit, ut liquet ex verbis SC. *l.* 1. ſupr. *h. tit.* Et hæc eſt dubitandi cauſa, quæ proponitur *initio h.* §. *meminiſſe autem oportebit, de herede inſtituto ſenatum loqui*: ſed verum eſt, hoc SC. etſi conceptum ſit de herede ex teſtamento, per interpretationem prudentum ad heredem ab inteſtato, bonorum poſſeſſorem, & quemcumque alium ſucceſſorem pro-

produci, ut additur in *hoc* §. † *meminiſſe*, *& in l.* 1. §. *hoc autem*, ſup. *h. tit.* quia qui inteſtatus decedit, facile videtur teſtari, & ſponte ſua bona relinquere ſuccedentibus ab inteſtato; *l. conficiuntur*, §. 1. *l. ſi quis, cum*, ſupr. *de jur. codicill. l.* 1. §. *ſciendum*, *de legat.* 3. Neceſſarii heredes inſtituti, & rogati, a prætore coguntur ſe immiſcere hereditati & reſtituere, & reſtituta hereditate, actiones ex *hoc SC.* transferuntur in fideicommiſſarium, ut ſequitur in *h.* §. † *ſed & ad filium*. SC. *Trebelliano* locus eſt, etiam in ſuis & neceſſariis heredibus, quo reſtituta hereditate actiones ex eo transferantur in fideicommiſſarium; *l.* 1. §. *hoc autem*, ſupr. *h. tit.* Opponitur *l. ita tamen*, §. *ſi pater*, infr. *h. tit.* ex qua ſi filiusf. a patre inſtitutus ſit, & rogatus reſtituere hereditatem, iſque ſuſpectam dicat, poterit hereditas reſtitui ex *SC. Trebelliano*, ita ut, etſi ſe non immiſcuerit hereditati, actiones ex *hoc SC.* transferantur in fideicommiſſarium: cur enim ſuus heres compelletur adire, vel ſe immiſcere, ſi citra immixtionem hereditas reſtitui, & actionum translatio fieri poteſt? Sed quod proponitur in *h.* §. † *ſed & ad filium*, ceteros heredes neceſſarios, ſi ſuſpectam hereditatem dicant, compelli eam adire & reſtituere, pertinet ad ſervum heredem inſtitutum, non ad filium, qui eſt in poteſtate, & verba, *ſed & ad filium*, *qui in poteſtate eſt*, non ſunt conjungenda cum his, quæ ſequuntur, de ceteris neceſſariis heredibus, ſed referenda ſunt ad præcedentia, ut primus obſervavit Anton. Faber, 7. *conject.* 7. Et hoc ſpeciale eſt in filiof. herede inſtituto, ut ſi ſuſpectam hereditatem dicat, non cogatur ſe immiſcere, & nihilominus poſſit hereditatem reſtituere, etſi ſe non immiſcuerit, quia filiusf. etſi ſit neceſſarius heres, habet beneficium abſtinendi, quod ſervo denegatur; §. 1. §. *ſui autem*, *inſt. de hered. qualit. & diff.*

§. *ſi fiſco*.

Lege *Julia* bona vacantia, quæ ſc. nullum heredem inveniunt, fiſco deferuntur; *l. quidam*, §. *quotiens*, *l. filiusf.* §. *qui inteſtato*, *de legat.* 1. *l.* 1. *l. vacantia*, *C. de bon. vac. libr.* 10. Si heres inſtitutus & rogatus hereditatem reſtituere non adeat hereditatem, hereditas tamquam vacans & deſtituta herede fiſco defertur cum onere fideicommiſſi. Sed ſi fiſcus recuſet bona agnoſcere & fideicommiſſario reſtituere, non eſt cogendus adire: fiſci privilegium eſt, ne invitus cogatur adire hereditatem, quæ tamquam vacans ad ſe pervenit: ſed placet fiſcum bona reſtituere, quaſi ea vindicaverit, perinde ac ſi ea cognoverit, ex *hoc* §. Quoties fiſcus ſuccedit bonis vacantibus fideicommiſſo ſubjectis, non eſt compellendus adire & reſtituere, quia fiſcus non ſuccedit ut heres, ſed rem occupat lege *Julia*, quocirca fiſcus non dicitur adire, ſed vindicare vel agnoſcere bona vacantia, ut in *hoc* §. *& d. l.* 1. *C. de bon. vacantib.* Et fiſcus, etſi bona vacantia occupet non confecto inventario, non tenetur creditoribus ultra vires bonorum; *l.* 1. §. *an bona*, *de jur. fiſc.* ſed bonis vacantibus fiſco delatis, ſi fiſcus recuſet ea agnoſcere & reſtituere fideicommiſſario, fictione legis hereditas pro agnita & adita habetur, & citra agnitionem reſtitutio fit, perinde ac ſi adita fuiſſet. Dubitatum eſt, an fiſcus cum bona vacantia occupat, teneatur onere fideicommiſſi, quod ex teſtamento, ex quo non ſit adita hereditas, ex quo nullus heres exiſtat, neque legata, neque fideicommiſſa, neque aliud quicquam debetur; *l. ſi nemo* 9. *de teſt. tutel. l. ſi nemo*, *de R. J. l. eam quam*, *C. de fideic.* ſed ſemper ſuccedit ut privatus cum ſua cauſa & onere; *l. non poſſunt*, *de jur. fiſc.*

dus eſſet, ſi ultro adiiſſet hereditatem : ſed hoc caſu ſi heres ſuſpectam hereditatem dicat, cogitur adire & reſtituere hereditatem alio loco, in pœnam non aditæ ultro hereditatis: nec eſt quod queratur, quia non tenetur ſumptus itineris de ſuo facere, ſed eos deducit ex bonis hereditatis, & impendiorum itineris ratio habetur *; l. 7.* Notandum eſt quod traditur in hoc §. *ult.* ſi quis alio loco hereditatem reſtituere juſſus ſit, cogendum eum, ſimilemque eſſe ei qui in diem rogatus eſt reſtituere, & ſuſpectam hereditatem dicat, cogi poteſt adire & reſtituere. Opponitur *l. ſed & ſi ante*, infr. *h. tit.* ſi ante diem vel conditionis eventum reſtituatur hereditas, non transferuntur actiones, quia non ita reſtituitur hereditas, ut teſtator voluit: hoc enim verum eſt reſtituta hereditate ante diem vel impletam conditionem non transferri actiones in fideicommiſſarium, cum heres ſponte adiit & reſtituit: ſed cum heres coactus adiit, etiam ante diem reſtituitur hereditas, ſtatim actiones transferuntur in fideicommiſſarium : pœna coactæ aditionis eſt damnum temporis, repræſentatio fideicommiſſi, & præmatura translatio actionum. Heres rogatus poſt mortem ſuam hereditatem reſtituere, poteſt ante diem defuncti judicio ſatisfacere & hereditatem reſtituere *; l. poſt mortem, C. de fideicommiſſ.* Et ſi fideicommiſſum ante diem reſtituerit, non poteſt condicere quaſi indebitum ſolutum *; l.* † *fideicommiſſum, de condict. indeb.* Nec creditores poſſunt revocare reſtitutionem fideicommiſſi tamquam in fraudem eorum factam, quia heres, reſtituendo fideicommiſſum ante diem, non videtur fraudaſſe creditores, ſed plenius obſequium exhibuiſſe voluntati defuncti *; l. patrem, quæ in fraud. creditor.* Et præmortuo fideicommiſſario, res hereditatis ante diem reſtitutæ non redeunt ad heredem quaſi ultro donatæ, quia etſi repræſentatio fideicommiſſi dicatur donatio *; l. cum pater*, §. *a filia, de legat.* 2. non eſt proprie donatio, ſed potius remiſſio *; l. etiam, C. ad Vellejan.* & plenior ſeu maturior executio voluntatis defuncti. Quod dictum eſt, heredem rogatum poſt mortem ſuam hereditatem reſtituere, ante tempus mortis poſſe reſtituere, hoc verum eſt ſi rogatus ſit reſtituere certæ perſonæ, puta uni e liberis quem volet : non poteſt alias reſtituere cui e liberis ante mortem, quia jus fideicommiſſi his quæſitum eſt, qui ſuperſtites erunt tempore mortis, ac incertum eſt quis ſuperſtes futurus ſit tempore purificatæ conditionis: itaque ſi fideicommiſſum repræſentaverit cui ex liberis, eo præmortuo non erit ea res fraudi ceteris, qui ſuperſtites reperientur tempore mortis *; l. filiusf.* §. *divi* 11. *de legat.* 1. *l.* † *cum pater*, §. *hereditatem*, §. *a filia, de legat.* 2. *l. uxorem*, §. *Seium maritum, de legat.* 3. *gloſſ. in d. l. poſt mortem.* Nec modo ſi heres inſtitutus rogatus ſit alio loco hereditatem reſtituere, ſi ſuſpectam dicat, non cogitur adire & reſtituere dicto loco, niſi ſumptus ad explicandum iter neceſſarii ei præſtentur : ſed etiam ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione, ſi Titio decem dederit, idemque rogatus ſit reſtituere hereditatem Seio, non aliter cogeretur adire & reſtituere, quam ſi ei pecunia offeratur *; d.* † *l. 7. l. facta*, §. † *ſi dandæ*, infr. *h. tit.* †† ne heres, qui coactus adiit, damno afficiatur. Sed ſi heres inſtitutus rogatus ſit alio loco, puta Alexandriæ, hereditatem adire & reſtituere, valetudinis, ætatis, & juris, an eo ire liceat, ratio habetur: puta ſi heres, qui morbo laboret, infans aut ſenior, vel alicubi relegatus, juſſus ſit eo loco adire & reſtituere, conditio ei remittitur *; d. l. 7. & 8.* Et generaliter ſi fideicommiſſum certo loco reſtitui juſſum ſit, fideicommiſſo tacite ineſt dies, quo ad eum locum perveniri poſſit *; l. 6.* §. †† *ult. l. eum, qui* 41. §. † 1. *l. interdum* † *pura* 74. infr. *de V. O.*

†† §. iſte deſideratur. Adde *l.* 137. §. 2. *eod. tit. l.* 2. §. 6. *de eo, quod cert. loc. l.* 24. *de oper. libert.* §. 5. *inſt. de V.O.*

L. 9. † *&* §. *1.*

SI legatus provincialis vel municipalis, qui reip. cauſa abeſt, heres inſtitutus & rogatus alio loco hereditatem reſtituere, ſuſpectam hereditatem dicat, etiam tempore legationis cogitur adire & reſtituere hereditatem, ubi abeſt. Quod ſi non ſuſpectam hereditatem dicat, ſed petierit tempus ad deliberandum, & impetraverit, (petenti enim datur tempus ad deliberandum de adeunda hereditate, etiam poſt conſtitutionem Juſtiniani; *l. ſcimus*, §. † *& hæc quidem*, *verſ. ſed quia quidam*, *C. de jur. delib.*) & is poſt deliberationem adeat & reſtituat hereditatem, non videtur coactus adire & reſtituere; *ex h. loco*, *l. ſi legatus*, *in princ.* infr. *h. tit. l.* † *ſed & ſi* 28. §. 1. *de judic.* Itaque hereditate poſt deliberationem adita, non amittit commodum quartæ, nec enim coactus adiit, ſed ultro poſt deliberationem; *d. l. ſi legatus*. Abſens reip. cauſa, ſi hereditatem ſuſpectam dicat, ſtatim cogitur adire & reſtituere, & commodum quartæ amittit; *l. ita tamen*, §. *qui ſuſpectam*, infr. *h. tit.* ſed ſi petierit tempus ad deliberandum, interim quidem tempore legationis cogitur adire, ſed non prius tenetur reſtituere, quam domum reverſus ſit: tunc ei integrum eſt, vel totam hereditatem reſtituere, † vel *falcidiæ* ſeu *Trebellianicæ* beneficio uti; *d. l. ſi legatus*. Quiſquis enim deliberat de adeunda hereditate, interim quidem cogi poteſt adire poſtulante eo, qui ſuo periculo velit adiri hereditatem: verum non ſtatim compellitur reſtituere, ſed impleto tempore deliberationis poteſt uti commodo teſtamenti, id eſt beneficio quartæ, perinde ac ſi ſponte adiiſſet, vel totam hereditatem reſtituere ſi expedire ſibi putaverit; *l. omnes* infr. *h. tit.*

§. *quod ſi ſuſpectam.*

SI heres inſtitutus & rogatus hereditatem reſtituere ſuſpectam dicat, non tenetur dicere cauſam, puta quod non ſit ſolvendo: ſed profiteri ſeu declarare debet, ſe nolle adire hereditatem, quod non putet ſibi expedire, *ex hoc* §. Non eſt cogendus heres cauſam dicere, cur recuſet adire hereditatem, quia variis cauſis moveri heres potuit, ne adiret hereditatem: puta ne litibus vel æri alieno implicaretur, etiam ſi hereditas ſolvendo videretur; vel ne offenſam ſeu invidiam potentioris contraheret; vel ut gratificaretur ei, cui hereditas ex fideicommiſſo reſtituenda erat; *l.* 4. ſupr. *h. tit.* Idonea cauſa non adeundæ hereditatis eſſe poteſt, metus litium; ut minori 25. annis, juſta cauſa in integrum reſtitutionis eſt, non ſolum cum aliquid de ejus bonis deperiit, ſed etiam cum ejus intereſt litis ſumptibus non vexari; *l. 6. de minorib.*

§. *ult. & l.* 10.

REſtituta hereditate ex *SC. Trebelliano*, non aliter transferuntur actiones in fideicommiſſarium, quam ſi eo modo reſtituatur hereditas, quo teſtator voluit; *l.* 1. *& l.* 10. *hic*. Ideo ſi heres inſtitutus rogatus ſit ſub conditione vel in diem hereditatem reſtituere, ante diem vel conditionis eventum hereditatem reſtituerit, actiones non transferuntur in fideicommiſſarium; §. *ult. & d. l.* 10. *l. ſi mulier* 59. §. *ex aſſe*, ſupr. *de jur. dot.* Sed ſi exiſtente die vel conditione, heres, qui reſtituit, ratam habeat reſtitutionem, tunc videntur translatæ actiones in fideicommiſſarium ab ipſo tempore, quo ei reſtituta eſt hereditas; *d. l.* 10. quia per ratihabitionem translatio actionum retro trahitur ad tempus reſtitutæ hereditatis; *l. donationes*, *C. de donat. int. vir. & uxor.* Quod dicitur, reſtituta hereditate ante diem vel conditionem non transferri actiones, ac-

Digitized by Google

accipiendum eſt de fideicommiſſo in diem incertum, qui pro conditione habetur; *l.* 1. §. 1. *l.* † *dies, de condit. & dem.* Hujus rei argumentum eſt, quod in §. *ult. l. praced.* 9. dictum eſt, ſi quis ſub conditione heres ſcriptus ſit, pendente conditione nihil agere, ſi paratus ſit reſtituere hereditatem; & mox ſubjungitur in *h. l.* 10. ante diem vel conditionem reſtituta hereditate non transferri actiones. Ex quo ſatis intelligitur, cum dies & conditio comparantur, intelligi de die incerto, qui pro conditione habetur; nam ſi heres rogatus ſit in diem certum hereditatem reſtituere, & interim fideicommiſſarius deceſſerit, fideicommiſſum ad heredem ejus transmittitur; *l. Seius Saturninus*, infr. *h. tit.* Si heres inſtitutus & rogatus ſub conditione vel in diem hereditatem reſtituere, ante conditionem exiſtentem vel ante diem reſtituat, actiones non transferuntur in fideicommiſſarium, ſi præmatura reſtitutio alteri damnum adferre poſſit: ut ſi quis ſub conditione fratris ſui filiis hereditatem reſtituere rogatus ſit, ante conditionem exiſtentem, dum adhuc in patris poteſtate ſunt, neque volentibus recte reſtituet, cum poſſint conditionis exiſtentis tempore vel ſui eſſe juris, vel etiam eorum aliquis mortem obiiſſe; *l. filiusfamilias*, §. *divi* 11. *de legat.* 1. *l. uxorem*, §. *Seium maritum*, *de legat.* 3. Alias poſt mortem ſuam reſtituere rogatus, ante mortem reſtituere non prohibetur; *l. poſt mortem*, *C. de fideicommiſſis*.

L. 11. *in princ.*

Heres, qui ſuſpectam hereditatem dixit, & coactus adiit poſtulante fideicommiſſario, quartæ commodum amittit, quia alieno periculo adiit, non ſuo; *l.* 4. ſupr. *h. tit.* nec modo quartam amittit, ſed & omne commodum, quod ex ea hereditate habuit ex voluntate & judicio teſtantis: puta ſi heres rogatus ſit hereditatem reſtituere, præcepto id eſt retento fundo, & coactus adierit & reſtituerit, non poteſt fundum retinere; *l. ita tamen*, §. *ſi præceptis*, infr. *h. tit.* Quid ſi heres inſtitutus ſit & rogatus hereditatem reſtituere, & eidem legatum certæ quantitatis relictum ſit? In hunc caſum ſi heres non eſſet, ſi ſuſpectam hereditatem dixerit, & coactus adierit & reſtituerit, non amittit legatum, quinimmo non prius cogitur adire & reſtituere hereditatem, quam ei præſtetur legatum a fideicommiſſario. Et ſi coactus adierit & reſtituerit hereditatem priusquam accepiſſet legatum, non poteſt petere legatum a coherede quaſi non adiiſſet, & non adeuntis portio adcreviſſet coheredi. Licet enim coactus adierit, re vera adiit hereditatem. Aditio etiam coacta aditio eſt, quia voluntas coacta voluntas eſt; *l. ſi mulier*, §. † *penult. quod met. cauſ. l. ſi patre, cogente, de rit. nuptiar.* Sed a fideicommiſſario legatum ei præſtandum eſt, ex *init. h. l. l. ita tamen*, §. *ſed ſi eidem*, infr. *h. tit.* Quamvis coactus heres adierit & reſtituerit hereditatem, retinet legatum ſibi relictum ſub conditione, ſi heres non eſſet, nec prius cogitur adire & reſtituere hereditatem, quam legato præſtito, quia non videtur indignus heres, qui coactus adiit, qui legatum retineat, cum nec omnino cogendus videretur adire hereditatem, contra voluntatem defuncti, qui legando heredi in hunc caſum, ſi heres non eſſet, in ipſius arbitrio & poteſtate poſuit, ut non adiret; *l. debitor*, *in fin. princ.* infr. *h. tit.* Quæſitum eſt, an heres, cui legatum relictum eſt, ſi heres non eſſet, & coactus adiit, an hoc caſu retineat quartam? Et videbatur, quartam non amittere, quod non ſit coactus præciſe, ſed cauſative: ſed quartam non retinet ex ſententia Hugonis veteris gloſſatoris, quia alieno periculo adiit, non ſuo, ut notat *gloſſ. in hac l.* Dubitatum eſt, an heres qui coactus adiit & reſtituit, retineat quod conditionis implendæ cauſa datum eſt? Et videbatur, heredem coactum non poſſe retinere quod conditionis implendæ cauſa datum eſt, quia quisquis hereditatem ſuſpectam dixit, & eam coactus adiit & reſtituit,

Digitized by Google

nullum commodum ex ea retinet ; *l.* 4. *l. ita tamen* , §. † *qui ſuſpectam* ; *l. ſi patroni*, §. *qui* † *fideicommiſſam* , & *paſſim* , *h. tit.* Et quod conditionis implendæ gratia datur heredi, ſi non ex ea hereditate, ſaltem occaſione hereditatis capitur. Sed benignius eſt nihil ei auferri , ut diſerte ſcribit Paulus in *l. qui heredi* , §. † *ſed cum ſuſpectam* , ſupr. *de condit. & dem.* quod enim conditionis implendæ cauſa datur , non ex teſtamento & voluntate defuncti , ſed magis ex voluntate ejus, qui dat, & mortis cauſa capitur ; *l. ſi quis ſub conditione*, *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. l. Mævius* , *de condit.* & *dem. l. inter mortis* , *de mort. cauſ. don.* Non abs re objicitur *l. is* , *cui* , *de condict. indebit.* ex qua ſi heres coactus adierit & reſtituerit acceptis decem , quod conditionis implendæ cauſa datum eſt a fideicommiſſario, repetitur condictione indebiti ſoluti. Sed *hæ leges* ita conciliantur ab Accurſio , ut dicat diverſas eſſe ſententias juriſconſultorum : ſententiam Juliani , quæ extat in *d. l. is*, *cui* , eſſe de juris rigore, Pauli de æquitate & benignitate , ut diſerte annuunt ipſa verba *l. qui heredi* , † §. *ſed cum ſuſpectam* , vel , quod probabilius diſtinguendum eſt , an quod conditionis implendæ cauſa datur heredi , datum ſit ab ipſo fideicommiſſario, an a legatario, vel alio extraneo ; ut ſi a fideicommiſſario datum ſit, danda ſit ipſi condictio contra heredem, qui coactus adiit ; ſi autem ab extraneo, maneat apud heredem etiam coactum.

§. *idem Julianus*.

PAter, qui habebat filium impuberem , duos extraneos , Titium & Seium heredes inſtituit cum filio impubere. Eoſdemque coheredes filio ſubſtituit pupillariter , & ſecundis tabulis coheredes eoſdemque ſubſtitutos filio impuberi rogavit, ut impuberis hereditatem reſtituerent Caio. Mortuo filio impubere priuſquam impubes vel quiſquam ex coheredibus adiiſſet hereditatem , ſi extranei heredes inſtituti , iidemque ſubſtituti filio impuberi, non adeunt hereditatem ex teſtamento patris , fideicommiſſarius poteſt cogere unum ex heredibus adire hereditatem patris , ut aditione confirmetur teſtamentum paternum , & per conſequens confirmentur ſecundæ tabulæ. Deſerto enim teſtamento paterno, pupillare evaneſcit ; *l.* 2. §. *quiſquis*, ſupr. *de vulg. & pupill.* Et hoc facto uterque cogi poterit ex ſubſtitutione adire & reſtituere hereditatem pupillarem , ex *hoc* §. Heres inſtitutus a patre, & ſubſtitutus filio impuberi exheredato , & pupillaribus tabulis rogatus reſtituere Titio hereditatem pupillarem, mortuo pupillo cogitur hereditatem patris adire , ut aditione confirmetur teſtamentum paternum , ac per hoc teſtamentum pupillare , & fideicommiſſum in eo relictum convaleſcat : ſed vivo pupillo non cogitur hereditatem patris adire , quia fideicommiſſum ſub conditione relictum eſt , ſub ea ſc. ſi filius impubes deceſſerit; & improbus eſt , qui ſollicitus eſt de hereditate viventis ; *l. ita tamen* , §. *a patre* , infr. *h. tit.* & *d. l.* 2. §. *interdum* , *de vulgar.* & *pupillar.*

§. *utrum autem* , *l.* 12. & 13. *init.* † & §. 1.

HEreditas non poteſt adiri per procuratorem ; *l. per curatorem* , ſupr. *de adquir. hered.* Certe bonorum poſſeſſio per procuratorem peti poteſt ; *l. ſi quis alicui*, *eod. tit.* quia aditio hereditatis eſt actus legitimus & civilis, qui majorem ſolemnitatem deſiderat , quam bonorum poſſeſſio , quæ eſt juris prætorii. Hereditas quoque fideicommiſſaria abſenti per procuratorem reſtitui poteſt, niſi heres rogatus ſuſpectam hereditatem dicat , cogi poteſt poſtulante fideicommiſſario per procuratorem adire & reſtituere hereditatem , ut diſerte traditur in §. *utrum autem*, & *l. reſtituta*, infr. *h. tit.* Opponitur *l. ſi mulier* 59. §. *ex aſſe* , ſupr. *de jur. dot.* ubi ſi heres ex aſſe inſtitutus & rogatus mulieri do-

dodrantem hereditatis reſtituere, juſſu ejus quod debet † doti promiſerit marito, verendum eſt, ut non ſit obligatus: ſed hæc nullatenus pugnant invicem: fideicommiſſarius, cui reſtituenda eſt hereditas, alium delegare non poteſt, cui ſe heres obliget, quia hereditas non alii reſtituenda eſt, quam fideicommiſſario, prout teſtator voluit: at fideicommiſſarius procuratorem conſtituere poteſt, cui reſtituatur hereditas, ſi ſponte adita fuerit, vel qui, ſi heres ſuſpectam dixerit, cogat eum adire, vel reſtituere. Si heres inſtitutus, rogatusque hereditatem reſtituere puellæ cum nubilem ætatem impleſſet, ſuſpectam dicat, cogitur ſtatim ante diem vel conditionis eventum, etiam per procuratorem poſtulante fideicommiſſario, hereditatem adire & reſtituere; & ſi fideicommiſſarius ante deceſſerit, quam ei reſtituatur hereditas, nempe ſi decedat tunc herede, heredi, qui coactus adiit & reſtituit, ex reſcripto D. Pii ſuccurritur a prætore, ne damno afficiatur, permiſſa diſtractione bonorum nomine defuncti, ac ſi nullus heres ei extitiſſet, ita ut bona veneant a creditoribus hereditariis per curatorem bonis datum *; d. §. utrum autem*, *l.* 1. *§. ſed ſi quis ſuſpectam*, infr. *de ſeparat.* Si heres rogatus in diem vel ſub conditione hereditatem reſtituere, ſuſpectam dicat, ſtatim ante diem vel conditionis eventum cogitur adire & reſtituere *; d. §. utrum autem*, *& l. poſtulante*, *in princ.* infr. *h. tit.* quia non expectanda eſt dies vel conditio cum heres, qui coactus adit, alieno periculo adeat & reſtituat *; l.* 4. ſupr. *h. tit.* fruſtra expectaretur eventus diei aut conditionis, quæ, etſi deficeret, non eo hereditas maneret penes heredem, qui coactus adiit: & hoc ipſum eſt quod ſignificavit Ulpian. *init. l.* 13. cum ait, illum, a quo ſub conditione fideicommiſſum relictum eſt, quid cauſari non poſſit, ne conditio deficiat, & hæreat actionibus, id eſt non poſſit eo prætextu recuſare adire & reſtituere hereditatem, quod evenire poteſt, quod conditio fideicommiſſi deficiat, & periculum ſit ne actionibus hereditariis & litium moleſtiis diſtringatur: hærere enim eſt *hic*, laborare, deficere, quod Græcis *ἀπορεῖσθαι*, 2. *Cor.* 4. cum, inquit, nullum damnum ſit futurum, id eſt nullum damnum ſentire poſſit ex coacta aditione; heres enim qui coactus adiit & reſtituit, nullum commodum vel incommodum fert ex ea hereditate, ſed reſtituta hereditate, actiones omnes transeunt in fideicommiſſarium, qui coegit *; d. l.* 4. *& l. cogi*, *§. idem Marcianus*, infr. *h. tit.* Unde non eſt quod vereatur heres, qui cogitur adire & reſtituere ante diem vel conditionis eventum, ne hæreat actionibus, quæ ſtatim reſtituta hereditate transeunt in fideicommiſſarium. Quod ſi ab herede pro parte inſtituto fideicommiſſaria hereditas relicta ſit ſub conditione, idem D. Pius reſcripſit, non eſſe locum conſtitutioni ſuæ, neque pupillum extra ordinem juvandum, præſertim ſi novum beneficium cum alterius injuria poſtularetur *; l.* 12. id eſt ſi heres ex parte tantum inſtitutus, puta ex ſemiſſe, adjecto ei coherede in alium ſemiſſem, & is rogatus ſit reſtituere hereditatem pupillo, ut in ſpecie *l. præced.* non cogitur ſtatim adire & reſtituere hereditatem ante conditionis eventum, nec pupillus extra ordinem juvandus eſt beneficio Principis, quod eſt extraordinarium auxilium, ut compellere poſſit heredem ex parte inſtitutum ad adeundam hereditatem, & repræſentandum fideicommiſſum, quod relictum eſſet ſub conditione. Sicut enim injuria fieret coheredi ex parte inſtituto, quem ponas ſponte adiiſſe, quod ei jus adcreſcendi auferretur, ex quo portio deficientis adcrevit coheredi *; l. unic. C. quand. non pet. part.* ita tamen quod portio illa, quæ adcrevit coheredi cum onere fideicommiſſi, poſſit fieri libera ab onere fideicommiſſi, ſi fideicommiſſarius decederet ante conditionis eventum: nec audiendus eſt pupillus, qui beneficium poſtulet a Principe in alterius injuriam *; l.* 12. beneficium enim Principis non conceditur in cujusquam injuriam *; l. impuberi*, *de adm. tut. l. nec avus*, *C. de emancipat. liber.* Inde ſemper conceſſum intelligitur ſalvo jure tertii.

Digitized by Google

§. *ſi de teſtamento*, † §. *quid ergo*.

SI heres ſcriptus & rogatus reſtituere hereditatem ſuſpectam dicat, & recuſet eam adire & reſtituere, eo prætextu, quod dubitet de jure teſtamenti, non erit audiendus, ita ut cogatur adire & reſtituere hereditatem, † ex *h.* §. *ſi de teſtamento*. Quod ſi de viribus fideicommiſſi tractetur, & cognitio prolixiorem tractatum deſideret, compellendus eſt heres adire & reſtituere hereditatem, ne prius decedens fideicommiſſarium decipiat, ut ſcriptum eſt in *h.* §. † *quid ergo*. Neque obſtat, quod ſi filius emancipatus præteritus jam bonorum poſſeſſionem contra tabulas acceperit, id eſt impetrarit, non eſt compellendus heres adire & reſtituere hereditatem, nec ea quidem ratione, ut notat Marcellus, quod periculum ſit, ne intercidat fideicommiſſum mortuo herede inſtituto, & omiſſa a filio emancipato præterito bonorum poſſeſſione contra tabulas; *l. ita tamen*, §. *quotiens*, infr. *h. tit.* quia in *hac lege* heres ſcriptus & rogatus merito non compellitur adire & reſtituere hereditatem, quod ei jam mota ſit controverſia de hereditate a filio emancipato præterito petita bonorum poſſeſſione contra tabulas: at in *hoc* §. *quid ergo* placet, heredem compelli adire hereditatem & reſtituere, quia de viribus teſtamenti non quærebatur ab alio, quam ab ipſo herede, qui dicebat ſe nolle adire hereditatem ex teſtamento, tamquam minus ſolemni, nec eſt audiendus heres, qui dicit teſtamentum nullum & irritum, ne cogatur adire & reſtituere hereditatem, ſilentibus ceteris, nec quoquam impugnante judicium defuncti. Plane ſi de viribus fideicommiſſi quæſtio ſit, id eſt ſi heres recuſet adire & reſtituere hereditatem eo obtentu, quod fideicommiſſum a ſe relictum non valeat, prius a prætore quæritur de viribus fideicommiſſi, quam heres cogatur adire & reſtituere hereditatem, ſi res ſummarie expediri poſſit. Quod ſi altiorem indaginem requirat, finge verba fideicommiſſi de longinquo petenda, id eſt obſcuriora eſſe, & interpretationem deſiderare, (in fideicommiſſis enim magis ſpectatur voluntas quam verba; *l. cum virum*, *C. de fideicommiſſ.*) vel tabulas, quibus continetur fideicommiſſum, peregre eſſe, puta in provincia, quæ juſta eſt cauſa, propter quam interdum litis cognitio differatur; *l. interdum*, *de judic.* vel ſi quærendum ſit, quæ ſit quantitas in fideicommiſſo, tunc heres compellitur adire & reſtituere hereditatem, hac ratione ne prius decedens fideicommiſſarium decipiat, id eſt fruſtretur fideicommiſſo. Jure veteri enim ſi heres inſtitutus & rogatus reſtituere hereditatem, ante aditam hereditatem, & ante coactionem adeundæ hereditatis decedat, fideicommiſſum extinguitur, ut *hic & d. l. ita tamen*, §. *quotiens*. Sed ſi ante aditionem decedat, poſt coactionem, heres heredis cogitur adire & reſtituere hereditatem; *l. non juſtam*, *C. h. tit.* Sed & ſi heres poſt aditionem decedat, ante reſtitutam hereditatem, onus reſtituendæ hereditatis tranſit ad heredem heredis; *l. quamvis*, §. 1. *l. ſi ejus*, §. *ſi quis rogatus*, infr. *h. tit.* Quinimmo ſi heres poſt aditam quidem hereditatem, ſed ante eam reſtitutam decedat ſine herede, actiones ipſo jure transferuntur in fideicommiſſarium; *l. ſancimus*, §. 1. *C. h. tit.*

§. *tempeſtivum*.

EX *SC. Pegaſiano* ſi heres inſtitutus, & rogatus reſtituere hereditatem, ſuſpectam dicat, & recuſet eam adire & reſtituere, poſtulante fideicommiſſario cogitur per prætorem adire & reſtituere hereditatem; §. † 6. *verſ. ſed ſi recuſabat*, *inſt. de fideic. hered.* *l.* 4. ſupr. *h. tit.* Quod ſi heres inſtitutus ſit prætor, aut conſul, & ſuſpectam hereditatem dicat, non poteſt cogi a prætore vel conſule adire & reſtituere, quia par in parem vel minor in majorem non

non habet imperium, niſi ultro ſe ſubjiciat illius jurisdictioni, ut *hic*: in his enim, quæ ſunt contentioſæ jurisdictionis, major vel æqualis poteſt ſe ſubjicere jurisdictioni alterius; *l. eſt receptum*, ſupr. *de jurisd.* ſecus in his, quæ ſunt voluntariæ jurisdictionis, ut in manumiſſionibus, prætor apud collegam non poteſt manumittere; *l. apud*, *de manumiſſ. l. apud* 18. §. 1. *de manumiſſ. vindict.* hac ratione, quod prætor apud ſe ipſum id facere poſſit: fruſtra igitur apud alium faciat, quod apud ſe ipſum facere poſſit: quod enim major, vel par magiſtratus, ſubjiciat ſe jurisdictioni alterius, id fieri non poteſt ſine aliquo detrimento dignitatis, quæ quantum fieri poteſt ſalva & incolumis tuenda eſt. Quid ſi heres inſtitutus ſit prætor, & ſuſpectam hereditatem dicat? Ipſe ſe cogere non poteſt, ut adeat, quia triplici officio fungi non poteſt, & ſuſpectam dicentis, & coacti, & cogentis: ſed hoc caſu adeundus eſt Princeps, qui cogat eum adire & reſtituere, ex *hoc* §. & *l. itaque*, infr. *de fideic. libertat.* Extra ordinem Princeps ſubvenit in cauſis neceſſariis; *l.* 1. §. *ex hoc reſcripto*, *de inſpic. ventr.* Ubi deficit jurisdictio prætoris, prætor non poteſt ſe ipſum cogere, ne triplici officio fungatur, & ſuſpectam dicentis, & coacti, & cogentis; etſi enim qui ſuſpectam dicit hereditatem, & coactus, ſit eadem perſona, nimirum heres, qui ſuſpectam dicit hereditatem, & cogitur adire & reſtituere, atque ita duplici officio tantum fungi videtur, potius quam triplici; tamen non abſone dicitur functurus triplici officio, ſi id faceret, quia idem heres duplici officio fungi videtur, uno quatenus hereditatem ſuſpectam dicit, altero quatenus eſt coactus adire & reſtituere: heres enim ſuſpectam dicit hereditatem, ne adeat, & poſtea juſſu prætoris coactus adit & reſtituit hereditatem: quod etſi coactus faciat, videtur maluiſſe hereditatem adire; coacta enim voluntas voluntas eſt: quare cum in iſtis tam ſibi contrarius videatur, duplici officio fungi videtur; & aliud eſſe officium ſuſpectam dicentis, aliud coacti, & tertium eſt officium cogentis, id eſt fideicommiſſarii, qui cogit heredem ſuo periculo adire & reſtituere hereditatem.

§. *ult.* & *l.* 14. *in princ.*

SI pater heres inſtitutus, & rogatus reſtituere hereditatem, eam ſuſpectam dicat, filius, qui eſt in ejus poteſtate, ſi prætor ſit, poteſt adiri, ut cogat patrem adire & reſtituere hereditatem, quia filiusf. in his, quæ ad jus publicum pertinent, non ſequitur jus patriæ poteſtatis; §. *ult.* & *l.* 14. *hic*, *l.* 6. *quod cujuscumq. univerſit.* Ea enim, quæ ſunt juris publici, exercet tamquam magiſtratus, non tamquam filiusf. & in cauſis publicis filiusf. pro patref. habetur; *l. filiusf. de his*, *qui ſui vel alien. jur. ſunt*. Et hoc eſt quod eleganter dicebat Taurus Philoſophus apud Gellium libr. 2. cap. 2. *In publicis* † *locis atque muneribus atque actionibus patrum jura cum filiorum*, *qui in magiſtratu ſunt*, *poteſtatibus collata interquieſcere paululum & connivere*.

§. *ſed & qui repudiavit*, † §. *plane*.

MAjor 25. annis, qui ſemel repudiavit hereditatem, non poteſt ad eam redire; *l. ſicut*, *C. de repud. vel abſtinend. hered.* niſi ſit ſuus heres, quo caſu datur ei regreſſus ad bona paterna, dummodo res in integro ſint, id eſt ſi nondum bona diſtracta ſint a crediroribus hereditariis; *l. ult. C. eod. l. ſi quis ſuus*, ſupr. *de jur. delib.* Et hoc verum eſt, eum, qui ſemel repudiavit hereditatem, non poſſe eam rurſus adire, ſui commodi gratia. Si enim heres inſtitutus repudiaverit hereditatem, quam rogatus erat pupillo reſtituere, poſtulante fideicommiſſario cogendus eſt adire & reſtituere hereditatem, dummodo res ſint integræ, id eſt non ſint diſtractæ; nam ſi bona venierint, prætor ne pupillum quidem in integrum reſtituere debet, niſi ex cauſa, ut re-

ſcripſit D. Pius, ex † *his* §§. *&* *l.* 2. §. *ult.* infr. *de ſuis & legitim.* nempe quod id fieri non poſſet citra injuriam eorum, qui res hereditarias publice ſub haſta emiſſent. Non ſolum qui ſuſpectam dicit hereditatem, & recuſat eam adire, poteſt cogi adire & reſtituere; *l.* 4. ſupr. *h. tit.* ſed & qui jam repudiavit hereditatem, quam rogatus erat reſtituere, cogi poteſt eam adire & reſtituere, quia repudiatio hereditatis pro non facta habetur, ſi fideicommiſſarius poſtulet ſuo periculo adiri & reſtitui hereditatem: quare inepti potius interpretis, quam juriſconſulti eſſe videtur, quod additur *hoc loco*, ſi juſtæ cauſæ allegentur; nec enim aliam cauſam a fideicommiſſario allegari neceſſe eſt, quam quod velit ſuo periculo adiri & reſtitui hereditatem, ut recte monet Accurſ. *hoc loco*, ex *d. l.* 4. Qui repudiavit hereditatem, cogitur eam adire ac reſtituere, perinde ac ſi ſuſpectam tantum dixiſſet, niſi fideicommiſſarius ſerius id poſtulet, puta bonis jam diſtractis a creditoribus hereditariis; hoc enim caſu non eſt cogendus adire & reſtituere hereditatem, etiam fideicommiſſarii pupilli gratia, niſi ex cauſa: puta ſi pupilli interſit rem ſervari, quod majorum ejus fuerit; *l. ſi in emptionem*, *de minorib. l. libertus*, *qui ſolvendo*, infr. *de bon. libertor.* maxime ſi ſit domus paterna, in qua defecit pater, minor crevit, in qua majorum imagines aut non videre fixas, aut revulſas videre ſatis eſt lugubre; *l. lex quæ*, *C. de adm. tut.* Alias bonis diſtractis, nec pupillus in integrum reſtituetur, ut cogat heredem, qui repudiavit, adire & reſtituere hereditatem, cum nec minor ipſe, qui repudiavit hereditatem ſibi delatam, in integrum reſtituatur adverſus repudiationem, ſi modo jam res hereditariæ diſtractæ ſint; *l. quod ſi minor*, §. *Scævola*, *de minor.*

§. *ſi quis compulſus*.

TEſtator Titium & filium ſuum impuberem heredes inſtituit, & eodem teſtamento legata reliquit, & libertatem ſervis quibuſdam, & Titium rogavit, ut partem hereditatis Seio reſtitueret, & pupillaribus tabulis ad teſtamentum factis, filio impuberi Caium ſubſtituit: mortuo teſtatore, Titius cum ſuſpectam diceret hereditatem, coactus adiit & reſtituit: pone filium impuberem deceſſiſſe, non adita hereditate ex teſtamento paterno: quæritur, an per hujuſmodi aditionem, coactam factam a Titio ex teſtamento, pupillares tabulæ confirmentur? Et reſpondet Julianus, Titio etiam coacto adeunte hereditatem, etiam pupillares tabulas confirmari, & legata & libertates ex teſtamento deberi, perinde ac ſi Titius ultro hereditatem adiiſſet, ex *hoc* §. Ratio dubitandi erat, quod non adita hereditate ex teſtamento patris per filium impuberem, tabulæ pupillares evanuiſſe videbantur, ut inſinuant verba *ipſius* §. ſed verius eſt, adita hereditate per unum ex coheredibus ex teſtamento patris, etiam coacte, pupillares tabulas & cetera, quæ teſtamento continentur, confirmari, quia adita hereditate ex teſtamento patris, pupillare confirmatur; *l. ſi patroni*, §. *qui fideicommiſſam*, infr. *h. tit.* *l.* 2. §. *quiſquis*, ſupr. *de vulgar. & pupillar.*

§. *qui compulſus*.

QUi coactus adiit hereditatem, quam rogatus erat reſtituere, quartæ commodum amittit; *l.* 4. ſupr. *h. tit.* quia indignus eſt judicio defuncti, qui ſupremam ejus voluntatem deſtituit; *l. ſi patroni*, §. † *quid ergo*, *verſ. ſed nec illud*, infr. *h. tit.* Adeoque qui coactus adiit hereditatem, omne commodum hereditatis amittit, ita ut nec pœnitendo poſſit quartam retinere, ut reſcripſit Imperator, ex *hoc* §. id eſt qui hereditatem ſuſpectam dixit, & juſſum prætoris de adeunda hereditate ſuſtinuit, non poteſt pœnitere, dicendo ſe paratum eſſe ultro adire & reſtituere hereditatem, ut quartam conſequatur, ut expli-

Digitized by Google

explicat Paulus Caſtrenſis *hoc loco*. Contumacia heredis non purgatur pœnitentia poſt interpoſitum juſſum prætoris ; ut in delictis ſola pœnitentia non purgat crimen , nec liberat pœna eum , qui commiſit in legem ; *l.* † *quis ſit fugitivus* , §. 1. *de ædilit. edict. l. qui ea mente* , *de furt. l. pen. vi bonor. rapt.* Sane ſi heres rogatus ſub conditione hereditatem reſtituere, pendente conditione ſuſpectam dixerit , & coactus adierit , exiſtente conditione falcidiam pœnitendo poteſt inducere ; *d. l. ſi patroni* , *loc. cit.* Nec non patronus ex parte debita , quæ olim erat dimidia , hodie tertia ſine onere ; §. *ſed noſtra* , *inſt. de ſucceſſ. libert.* heres inſtitutus , rogatusque reſtituere hereditatem , ſi ſuſpectam dicat , cogi poteſt a prætore adire , & reſtituere hereditatem , ſed ſi pœniteat mutata voluntate , poteſt eam partem hereditatis retinere : ſed hoc ſingulare eſt in patrono , qui capit eam partem quaſi æs alienum , nec olim poterat gravari aliis eam partem reſtituere , quam liberis & parentibus liberti ; *l. cum patronus* , ſupr. *de legat.* 2. *l.* 4. *de condit. & dem.* Et ſi nimis gravaretur , poterat omittere eam ex teſtamento , & capere ab inteſtato , citra fraudem edicti ; *l. quia autem* , §. *ſi patronus* , ſupr. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.*

§. *non omnis* † §. *quare* , §. *proinde* ; §. *ult.* & *l.* 15. & *l. cogi* 16. *init.*

NOn omnis fideicommiſſarius poteſt cogere heredem adire & reſtituere hereditatem , ſed is demum , in quem actiones transeunt , id eſt fideicommiſſarius univerſalis , in quem transeunt actiones hereditariæ reſtituta hereditate ; cum ſit heredis vice , non autem fideicommiſſarius particularis : neque enim æquum eſt ad hoc quem compelli adire & reſtituere hereditatem , ut hereditatem refundat , ſeu reſtituat , ipſe vero † oneribus hereditariis obſtrictus remaneat , ut diſerte dicitur in *h.* §. † *non omnis* , id eſt æquum non eſt heredem cogi adire hereditatem poſtulante fideicommiſſario particulari , ne reſtituta hereditate , oneribus hereditariis obligatus remaneat , quia actiones hereditariæ non transeunt in ſingularem ſucceſſorem , puta legatarium , vel fideicommiſſarium particularem ; *l.* 1. §. *ſi heres* , ſupr. *h. tit. l. ult. C. de hereditar. act.* quod legatarius vel fideicommiſſarius particularis juris ſucceſſor non ſit ; §. † *legatariis* , *inſt. de teſtam.* Quare heres rogatus reſtituere rem vel certam quantitatem , non eſt compellendus adire & reſtituere , tametſi indemnitatis cautio ei offeratur , ex *h.* §. † *quare* , & *d. l. cogi* 16. §. & *generaliter* , *l. ſi patroni* , §. *qui fideicommiſſam* , infr. *h. tit. l. ſi quis omiſſa* , *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Ratio eſt , quia cautio incerta fragilis eſt ; *d. l. cogi* , §. *idem quærit* , *l. qui ita* , §. 1. infr. *h. tit.* Quod ſi heres rogatus ſit reſtituere hereditatem , vel partem hereditatis per modum quotæ , vel univerſitatem bonorum , puta bona , vel familiam , pecuniam , patrimonium , cenſum , vel peculium , cogendus eſt reſtituere , *ex* † *his* §§. *proinde* , & *ult. l.* 15. & *d. l.* 16. *init.* & §. & *generaliter* , & *d. l. ſi quis omiſſa*. Et generaliter *SC. Trebellianum* locum habet quoties quis totam hereditatem vel pro parte fidei heredis committit ; *l. ita tamen* , §. *Trebellianum* , infr. *h. tit.* Et ut *Trebelliano* locus ſit , non ſufficit de hereditate rogatum eſſe , ſed quaſi heres rogatus ſit oportet , hoc eſt , ut nomine hereditario reſtituat ; *l. mulier* 22. §. *ult.* infr. *h. tit.* Si heres rogatus ſit reſtituere pecuniam generaliter vel peculium , cogendus eſt adire & reſtituere hereditatem , quia de ſucceſſione ſeu hereditate univerſa rogatus intelligitur . In fideicommiſſo peculii minor erat dubitatio , quia plerique patrimonium ſuum *ὑποκοριστικῶς* , peculium vocitant , ut eſt in *d. l. cogi* , *in princ.* & peculium accipitur etiam pro patrimonio † liberi hominis ; *l. ſi chorus* , ſupr. *de legat.* 3. In fideicommiſſo pecuniæ major erat dubitandi cauſa , & Mæciani ſententia fuit , quæſtionem voluntatis eſſe , utrum de pecunia tantum , aut de ſucceſſione teſtator ſenſerit : ſed in dubio magis de ſucceſſione reſtituenda cogitatum eſſe dicendum eſt , ne fideicommiſſum interci-

† Puſillo patrimonio ſc. *l.* 5. §. 3. *de pecul.* & *cit. l. cogi init.*

dat ; *d. l. cogi*, *in princ.* Et pecuniæ nomine intelligitur univerſa hereditas, ut in *lege* 12. *tab. ſuper* † *pecunia tutelave ſua* ; *l. ſæpe*, *de V. S.* quod in pecunia robur omne patrimonii ponebant veteres ; *l. lex quæ*, C. *de adm. tut.* Dio Chryſoſtom. orat. 4. ἀργύριον ἐν βραχυτάτῳ τὴν τοῦ πλούτου δύναμιν.

† *ſuper pecuniæ tutelæve ſua*, dicitur in *h. l.* Melius, *ſuper pecunia tutelave ſua rei* in fragm. *tit.* 18.1.& apud Ulpian. 11. §. 14.

§. *ſed & ſi quis ita rogaverit*, *d. l.* 16.

SI heres rogatus ſit reſtituere quicquid ad eum ex hereditate bonisve pervenerit, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, cogetur eam adire & reſtituere, ut ſcriptum eſt in *hoc* §. Ratio dubitandi erat, quod videbatur non eſſe fideicommiſſum univerſale, & tale eſſe ac ſi relictum eſſet deductis oneribus hereditariis: perveniſſe enim cum effectu intelligitur, nec perveniſſe ad heredem intelligitur, niſi quod ſupereſt deductis oneribus hereditariis, ut ſubjicitur in *hoc* §. & *l.* 2. §. *perveniſſe*, ſupr. *de hered. vel act. vendit. l. nomen*, §. *ult. cum l. ſeq. de V. S.* Ratio decidendi eſt, quod etſi heres rogatus ſit reſtituere quicquid ad eum ex hereditate bonisve pervenerit, fideicommiſſum univerſale intelligitur, & coactioni locus eſt, quia heres rogatus intelligitur de univerſitate rerum reſtituenda, cum hereditas vel bona non intelligantur, niſi deductis oneribus.

§. *inde quæritur*, *ejusd. l.*

SI quis rogatus ſit hereditatem reſtituere deducto ære alieno & deductis legatis, & ſuſpectam dicat ; quæritur, an compelli poſſit eam adire & reſtituere? Ratio dubitandi, quam ponit ipſe Ulpian. in *hoc* §. eſt, quod licet ille fuerit rogatus reſtituere hereditatem, tamen cum ſit rogatus eam reſtituere deducto ære alieno & legatis, vi ipſa, id eſt re ipſa, magis videtur id quod ſupereſt ex hereditate, quam hereditatem ipſam reſtituere, atque ita potius videtur fideicommiſſarius particularis, quam univerſalis, quia potius certa res, vel quantitas dicitur ei relicta, quam univerſitas, & per conſequens non poteſt compelli adire. Sunt qui putant, ut Mæcianus, heredem rogatum reſtituere hereditatem deducto ære alieno, vel legatis, perinde compelli adire & reſtituere, ac ſi rogatus eſſet reſtituere hereditatem, nulla mentione facta deductionis æris alieni, vel legatorum, ea ratione, quod inutilis ſit deductio hæc, id eſt clauſula deducto ære alieno, & legatis, pro non appoſita habeatur, quod ex jure, id eſt univerſitate hereditatis, quæ eſt nomen juris, non poteſt deduci quantitas, quæ conſiſtit in corporibus. Non magis quam ſi quis rogatus ſit fundum reſtituere deducto ære alieno, vel legatis, neque enim fundus recipit æris alieni, vel legati minutionem, id eſt onus æris alieni non tranſit in fideicommiſſarium vel ſucceſſorem particularem ; *l.* 1. §. *ſi heres*, ſupr. *h. tit. l. ſi fideicommiſſum*, §. † *tractatum*, *de judic. l. ult. C. de hered. act.* Sed Julianus, cujus ſententiam probat Ulpianus, exiſtimavit *SC. Trebelliano* locum eſſe, ac per conſequens heredem rogatum reſtituere hereditatem deducto ære alieno & legatis, poſſe compelli adire & reſtituere, non ea ratione, qua utebatur Mæcianus, quaſi clauſula illa, deducto ære alieno & legatis, nihil operetur ; hæc enim clauſula non eſt inutilis, immo operatur, ut heres non poſſit compelli reſtituere hereditatem, niſi deducto ære alieno & legatis ; ſed meliori ratione, hac ſc. quod rogatus reſtituere hereditatem deducto ære alieno & legatis, cenſetur rogatus de univerſitate juris ; ideoque heres cum reſtituit hereditatem ex *Trebelliano*, prius deducit æs alienum & legata : debet tamen cavere fideicommiſſario eum defenſum iri, & indemnem ſervari adverſus creditores & legatarios, ne fideicommiſſarius duplici onere gravetur, puta ne patiatur deductionem ab herede æris alieni & legatorum, & poſtea conveniatur a creditoribus & legatariis, ex *hoc* §. quia nemo eſt gravandus duplici one-

Digitized by Google

onere; *l. fideicommiſſa*, §. *ſi quis decem*, *de legat.* 3.

§. *ſi quis heres*.

SI heres inſtitutus rogatus fuerit hereditatem, non totam, ſed partem reſtituere, vel rogatus ſit hereditatem duobus reſtituere, & ſuſpectam dicat, uno ex his partem ſuam repudiante, & altero poſtulante periculo ſuo hereditatem adiri & reſtitui, utroque caſu heres compellitur adire & reſtituere, & reſtituta hereditate exoneratur, & tota hereditas ex *Trebelliano* tranſit ad eum, qui adire coegit, ex *hoc* §. Ratio eſt, quia jus adcreſcendi locum habet inter fideicommiſſarios univerſales; *l.* 1. §. *ſed & quotiens*, ſupr. *h. tit.* quod fideicommiſſarius totius, vel partis hereditatis, ſit ſucceſſor juris, & in eum transeant omnia jura, quæ pertinent ad heredem.

§. *ſed* † *ſi quis*, *ejuſd. l.*

SI quis heredem ſuum rogaverit reſtituere hereditatem Seiæ, quæ ad eum pervenit, non autem hereditatem ſuam vel ejus partem, & ſuſpectam dicat hereditatem, cogendus eſt adire & reſtituere, cum & reſtituta hereditate, hoc caſu ex *Trebelliano* actiones tranſeant in fideicommiſſarium, ex ſententia Papiniani, quam probat Ulpianus *hic*. Ratio dubitandi erat, quod hereditas Seiæ, quæ ad teſtatorem pervenit, non eſt hereditas univerſalis, vel quota hereditatis, hereditas enim ſemel adita, non eſt amplius hereditas, ſed patrimonium heredis: & ſic videbatur, heres rogatus reſtituere hereditatem Seiæ, non eſſe cogendus adire hereditatem, nec *ſenatusconſultum* locum habere. Ratio decidendi eſt, quod ſi heres rogatus ſit reſtituere hereditatem Seiæ, videtur fideicommiſſum univerſale: unde ſi pater hereditatem, quæ ſibi obvenit, filiæ emancipatæ donaverit, filia tenetur creditoribus hereditariis; *l. hereditatem*, infr. *de donat.* Ac conſequenter heres rogatus reſtituere hereditatem Seiæ, compellendus eſt adire & reſtituere. Opponitur §. *ſed & ſi miles*, infr. *h. l.* ubi ſi heres rogatus ſit reſtituere hereditatem, bonaque, quæ a quopiam ei obvenerant, actiones ex *Trebelliano* non tranſeunt in fideicommiſſarium: ſed *hic* placet non videri fideicommiſſum univerſale, quod heres rogatus ſit reſtituere hereditatem, bonaque, quæ ab aliquo defuncto obvenerunt, non autem hereditatem, bonorum enim appellatio adjecta hereditati efficit, ut fideicommiſſum videatur potius particulare, quam univerſale.

§. *ſed & ſi miles*.

HEres inſtitutus teſtamento militis, & rogatus reſtituere res Italicas, vel provinciales, vel certas ſpecies bonorum, puta bona pagana, vel caſtrenſia, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, cogi poteſt adire & reſtituere, quia ſicut miles poteſt de certa re teſtari, & heredi inſtituto dantur actiones, ita ut inſtitutio facta a milite de certa re dicatur univerſalis, etſi non trahitur ad alia bona, ut patet in *l. ſi miles* 5. *l. ſi certarum*, ſupr. *de teſtam. milit. l.* 1. & 2. *C. eod.* ita & miles poteſt fideicommiſſum ab herede inſtituto relinquere de certis rebus, & reſtituta hereditate actiones ex *Trebelliano* tranſeunt in fideicommiſſarium, quaſi fideicommiſſum ſit univerſale, ex *hoc* §. & hoc ſpeciale eſt in milite: aliud in pagano, ſi quis rogetur reſtituere hereditatem Mævii, reſtituto fideicommiſſo ex *Trebelliano*, non tranſeunt actiones in fideicommiſſarium.

§. *cum quidam*.

TItius duos heredes inſtituit, eosque invicem ſubſtituit & rogavit eos, ſive uterque, ſive alter decederet ſine liberis, partem ſuam reſtituere Caio poſt quinquennium: heredes ſcripti ſi ſuſpectam dicant hereditatem, fideicommiſſarius poteſt cogere utrumque heredem, alterumve adire hereditatem, & ſibi reſtituere, & facta reſtitutione, etſi coacta, actiones dantur fideicommiſſario & in fideicommiſſarium, quaſi ex *Trebelliano* reſtituta hereditate, ex *hoc* §. Et quidem ſi heredes rogati poſt quinquennium reſtituere, ſuſpectam dicant hereditatem, ſtatim ante quinquennium coguntur adire & reſtituere; *l. apud Julianum*, §. *utrum autem*, ſupr. *h. tit.* & ita ſubintelligendum cenſet *gloſſ. hoc loco*, propter coactionem. Alioquin quænam fuiſſet ratio quærendi, an heredes rogati poſt quinquennium ſuſpectam dicentes hereditatem poſſent compelli adire & reſtituere, niſi fideicommiſſarius deſideraſſet eam ſibi reſtitui ante quinquennium?

§. *Macianus*.

SI quis rogatus ſit duobus vel pluribus hereditatem reſtituere, poſtulante vel uno ex fideicommiſſariis, poteſt cogi adire & reſtituere, & reſtitutione facta, actiones hereditariæ in ſolidum transferuntur in eum, qui coegit; aliis tamen fideicommiſſariis integra eſt actio fideicommiſſi pro partibus ſuis adverſus confideicommiſſarium, cui reſtituta eſt tota hereditas, & quarta, quam heres amittit propter coactionem, non cogenti tantum applicatur, ſed omnibus fideicommiſſariis: & hoc eſt quod dicitur in fin. *h.* §. *nec quartam eum retenturum adverſus fideicommiſſarios*. Ratio ſubjicitur, quia nec heres potuit; ſicut enim heres, qui coactus adiit & reſtituit, non retinet quartam, ita & quando unus ex fideicommiſſariis heredem coegit adire & reſtituere, aliis fideicommiſſariis petentibus partes ſuas fideicommiſſi, tenetur eas reſtituere non retenta quarta, niſi pro parte ſua, ex *hoc* §. Ratio dubitandi erat, quod in unum ex fideicommiſſariis cogentem actiones in ſolidum transferuntur in fideicommiſſarium, ut nominatim dicitur in *hoc* §. Ergo videbatur quartam, quam heres amittit, prodeſſe cogenti tantum. Reſpondetur, heredem rogatum duobus vel pluribus hereditatem reſtituere, vel uno ex fideicommiſſariis poſtulante, compelli poſſe adire & reſtituere, & actiones in ſolidum transferri in illum, qui coegit: ſed ſi alii fideicommiſſarii petant partes ſuas fideicommiſſi, teneri eas reſtituere; *l.* 1. §. *ſed & quotiens*, ſupr. *h. tit.* absque detractione quartæ pro partibus ſuis: nec enim pluris habet ſucceſſor, quam auctor, ut recte ait *gloſſa hoc loco*.

§. *idem Macianus*.

IS, qui duobus vel pluribus rogatus eſt reſtituere hereditatem, vel uno ex fideicommiſſariis poſtulante cogi poteſt adire, nec eo magis in horum, qui id non deſideraverint, portionibus falcidiæ beneficio uti poteſt, ſive ipſi quoque deſideraverint ſibi reſtitui, ſive alii in locum eorum ſucceſſerint: cum enim actiones in ſolidum transeant in eum, qui coegit, conſequens eſt, heredem, qui coactus adiit, quartæ retentionem amittere quoad omnes fideicommiſſarios. Plane ſi fideicommiſſarius coegerit heredem adire pro ſua parte tantum, tunc heres detrahit quartam aliis fideicommiſſariis ab eo petentibus ſuas partes. Quod ſi fideicommiſſarius coegerit heredem totam hereditatem adire & reſtituere, tunc ceſſat quartæ retentio, etiam pro partibus eorum, qui non coegerunt, ex *hoc* §. Lex ait, heredem rogatum reſtituere duobus vel pluribus, non detrahere quartam pro portionibus eorum, qui non coegerunt, ſive ipſi quo-

quoque deſiderent ſibi reſtitui, id eſt ſive unus e fideicommiſſariis ipſis deſideret ſibi reſtitui, vel mortuo fideicommiſſario ante reſtitutionem heres fideicommiſſarii. Nam jure civili quidem fideicommiſſum conditionale, vel in diem incertum, mortuo fideicommiſſario ante diem vel conditionis eventum, non transmittitur in heredem fideicommiſſarii; *l. unic. §. ſin autem*, C. *de caduc. tollend.* Tamen fideicommiſſum poſt diem fideicommiſſi cedentem, ante reſtitutionem heredis, transmittitur in heredem fideicommiſſarii, ut colligitur ex *hoc* §. de quo plura ſuo loco.

§. † *ſi pater.*

† Quæ dicuntur ſub *h.* §. pertinent etiam ad §. *ſed & ſi id*, & §. *ſed ſi ſervo*.

SI pater filio, quem in poteſtate habet, rogatus ſit hereditatem reſtituere, cogi poteſt per filium hereditatem adire & reſtituere, maxime ſi fideicommiſſum relictum ſit in peculio caſtrenſi. Sed dominus inſtitutus & rogatus reſtituere ſervo ſuo cum libertate directa, vel fideicommiſſaria, non poteſt compelli adire & reſtituere: quamvis ſi ſponte adeat, poſſet compelli præſtare fideicommiſſariam libertatem & reſtituere, ex *hoc* §. Ratio differentiæ eſt inter filiumf. & ſervum, quod filiusf. etiam jure civili non eſt omnino adquiſitionis incapax, & patre † nolente per filium ſibi adquiri, poteſt ipſe ſibi adquirere, unde poteſt cogere patrem, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, adire & reſtituere, quo fit, ut ſibi adquirat. At ſervus omnino eſt adquiſitionis incapax, ita ut quicquid adquirat, domino etiam invito † adquirit, pene ex omnibus cauſis; *l. etiam invitis*, infr. *de adqu. rer. domin.* Ideoque dominus rogatus reſtituere ſervo ſuo cum libertate, non poteſt cogi adire & reſtituere. Duplex *hic* occurrit ratio dubitandi. Prima, an fideicommiſſum a patre relictum filio exiſtenti in poteſtate valeat, quia a ſemetipſo legatum vel fideicommiſſum relinqui non poteſt; §. *an ſervo*, *inſt. de legat.* Secunda, an pater poſſit compelli reſtituere filio, quem habet in poteſtate, quia nullum poteſt eſſe judicium inter patrem & filium; *l. lis nulla*, *de judic.* & reſtitutio eſſet luſoria, quia ſtatim reſtituta hereditas readquireretur patri; *l. placet*, ſupr. *de adquir. hered.* Sed verum eſt, nullum eſſe judicium inter patrem & filium, quod diſceptetur per actionem ordinariam: ſed hoc non obſtat, quominus pater poſſit compelli adire & reſtituere filio, quia hoc fit extra ordinem officio judicis, & juſſu prætoris, ut recte adnotavit *gloſſa hoc loco*. Nec inanis eſt reſtitutio, quæ fit coacte per patrem filio exiſtenti in poteſtate, quia ſi pater rogatus reſtituere filio ſuſpectam dicat hereditatem, cogitur ſtatim reſtituere filio in pœnam coactæ aditionis. Non idem erat ſi pater pure rogatus reſtituere filio, ſponte adiiſſet, reſtitutio non fit prius, quam filius in poteſtate eſſe deſierit, & fideicommiſſum videtur collatum in id tempus, quo filius ſui juris erit, ut ſi pater rogatus ſit reſtituere filio, & facere, ut ad eum perveniat, fideicommiſſum videtur collatum in id tempus, quo filius cum eſſet in poteſtate capere poterit, id eſt ſui juris erit; *l. ubi pure*, infr. *h. tit.* Quam ob cauſam plerumque qui filiosf. heredes inſtituere vellent, eos inſtituebant ſub conditione emancipationis, vel patres rogabant hereditatem reſtituere liberis cum in poteſtate eſſe deſiiſſent; *l. quidam*, ſupr. *de hered. inſt. l.* 3. §. *& ſi heres*, *de minorib. l. ult. de petit. hered. l. utrum*, *de V. O.* Tranquill. in Vitellio cap. 6. *Hunc heredem a matre ſub conditione inſtitutum, ſi de poteſtate patris exiſſet, manumiſit.* Inde illud etiam fit, ut ſi quis filio ſuo, cum in poteſtate eſſe deſierit, hereditatem reſtituere rogatus ſit, in fraudem fideicommiſſi quid facere probetur, cogendus ſit ſtatim reſtituere, & repræſentare, inflicto damno conditionis; *l. Imperator*, infr. *h. tit.* Hodie ceſſat omnis quæſtio, ſi enim pater inſtitutus ſit, & rogatus reſtituere filio, patre recuſante, filius ſuo nomine poteſt adire hereditatem, & eam ſibi adquirit pleno jure, quoad proprietatem & uſumfructum, etiam ſi ſit in poteſtate patris; *l. ult.* C. *de bon. quæ liber.*

Digitized by Google

§. *ſed ſi ſervo*, † §. *idem quærit*.

SI heres ſcriptus rogatus ſit reſtituere hereditatem ſervo ſuo, cum libertate, ſive directa data ſit ſive fideicommiſſaria, non poteſt cogi a ſervo ipſo hereditatem adire: ſed ſi ſemel adierit hereditatem, cogitur reſtituere hereditatem, detracto ſui pretio, *hic & l. ita tamen*, §. *ult.* infr. *h. tit.*

§. *hi qui ſolidum*.

INcapaci legari poteſt, ut reſtituat capaci; *l. cum ei*, *qui*, *de legat.* 2. *l. ſi fidei*, *de legat.* 3. quia in pleriſque non interpoſita, ſed capientis perſona ſpectatur; *l. cum* † *dotem*, *ad l. falcid. l. Papinianus*, §. † *meminiſſe*, *verſ. eo autem*, *de inoff. teſtam. l.* 1. §. † 1. *verſ. ſed ſi legatum*, *ſi quis aliqu. teſtar. prohib.* Et incapax capit propter eum, qui capax eſt; *l. mortuo bove*, §. *pen. de legat.* 2. *l. ſi is*, *qui duos*, *de liber. legat. l. legatarius*, *de excuſat. tutor d.* † *l.* 1. *verſ. ſed ſi legatum*, *ſi quis aliqu. teſtar. proh.* Hoc jure is, qui ſolidum capere non poteſt, ex aſſe heres inſtitutus; & rogatus ſolidum reſtituere, cogitur adire; *l. Ariſto*, *in fin. quæ res pignor.* & reſtituere hereditatem, cum reſtituta hereditate nihil oneris ſit apud eum remanſurum, ex *hoc* §. Ratio dubitandi erat, quod incapacis inſtitutio pro non ſcripta habetur; *l.* 1. *C. de hered. inſtit.* ergo ſi ex ea non poteſt adiri hereditas, nec cogendus eſt heres ſcriptus adire & reſtituere hereditatem. Sed verius eſt, ab incapace fideicommiſſum relinqui poſſe, ut reſtituat capaci, & incapacem cogi poſſe adire & reſtituere ei, qui capere poteſt, quia incapacitas heredis nihil obſtat fideicommiſſario, cum omiſſa interpoſita, capientis tantum perſona ſpectetur; *d. l. cum* † *dotem*. Quod vero ſcriptum eſt de eo, qui ſolidum capere non poteſt, id eſt de incapaci ex parte, locum habet in incapace in totum; incapaci enim in totum, veluti ei, qui defunctum teſtari prohibuit, ſi legatum relictum ſit, idque reſtituere ſit rogatus, datur legatum, ut reſtituat capaci; *d. l.* 1. §. 1. † *verſ. ſed ſi legatum*, *ſi quis aliqu. teſtar. prob. gloſſ. in l. eam*, *quam*, *C. de fideicommiſſ.* Idque eadem ratione, quia incapax eſt nudus miniſter, quem nihil vetat capere, quod ſit translaturus ad alium, & non interpoſita, ſed capientis perſona ſpectanda eſt, ut in *l.* † *Sulpicius*, *de don. int. vir. & uxor.* ubi ſi mulier fundum viro tradiderit, ut poſt mortem ſuam communi filio reſtituerit, traditio rata eſt, ſi ſolo ejus miniſterio uſa eſt, ut res cum omni emolumento, id eſt fructibus medii temporis, poſt mortem patris ad filium transiret. Et hoc argumento, ſi mulier, quæ iteravit nuptias exiſtentibus liberis ex priori matrimonio, conjugem heredem inſtituerit, ut communi filio hereditatem reſtituat, valet fideicommiſſum, nihil obſtante *lege hac edictali*, quia maritus ſpectatur *hic* ut nudus miniſter, & tubulus ſeu canalis, per quem aqua ducitur, nec ibi hæret. Sic & ſi quis cum ſolidum lege capere non poſſet, puta *lege Papia* orbus & cœlebs, ex aſſe heres inſtitutus ſit ab eo, qui ſolvendo non eſt, ex aſſe heres erit; *legi* enim locus non eſt in ea hereditate, quæ ſolvendo non eſt; *l. ſi quis ſolidum*, *de hered. inſt.* quia incapax ſolidi heres ſcriptus ex aſſe hereditatem capit, ut bona veniant potius ſuo, quam defuncti nomine, & ita conſulatur memoriæ defuncti.

§. *ſi ego*, §. *ult.*

SPecies §. *ſi ego* hæc eſt. Seius inſtituit me heredem, & rogavit me, ut Stichum manumitterem, item rogavit me, ut reſtituerem hereditatem Titio. Deinde eodem teſtamento Titium rogavit, ut eandem hereditatem reſti-

tue-

tueret Sticho. Si ego hereditatem ſuſpectam dicam, & recuſem eam adire, Stichus me cogere poteſt adire & reſtituere hereditatem. Subaudi ſi Stichus Titio legatus ſit; & legatarius rogatus ſit Stichum manumittere. Opponitur *l. non eſt cogendus*, infr. *h. tit.* quæ ait, non eſſe cogendum heredem ſuſpectam hereditatem adire & reſtituere a ſervo, cui libertas per fideicommiſſum a legatario, hereditas ab herede, relicta eſt, cum ſtatus hominis, id eſt ſervi circa libertatem, pendeat ex legato, & nemo cogatur ſe adſtringere hereditariis actionibus propter legatum. Sed §. *ſi ego* loquitur de herede inſtituto ex aſſe, aliud eſt in herede inſtituto ex parte, de quo loquitur *l. non eſt cogendus*, ut notat *gloſſ.* His conjungenda eſt ſpecies §. *ult.* Pamphilus duos heredes inſtituit Symmachum Theodotum, & Titium Evariſtum, & Theodoto heredi ex parte inſtituto Hermiam ſervum prælegavit, & rogavit eundem, ut ſervum manumitteret. Item rogavit Titium coheredem, ut eidem ſervo reſtitueret partem hereditatis. Theodotus ſponte adiit hereditatem pro ſua parte, & poſtea manumiſit ſervum. Et ſic res perducta eſt in eum caſum, ut Pamphilus non poſſit decedere inteſtatus, nam & coherede non adeunte, non adeuntis portio adcreſceret coheredi. Titius ſuſpectam dixit hereditatem & recuſavit adire, Hermias manumiſſus poterit eum compellere adire & reſtituere hereditatem.

L. 17. init. † *uſq. ad* §. 3.

NOn poteſt heres rogari directo, ut aliquem, puta Titium, ſibi heredem faciat, ne tollatur libera facultas teſtandi, quod jus vetat; *l. ſtipulatio* 61. infr. *de V. O. l. licet*, *l. pactum* 15. C. *de pact.* ſed ex SC. hoc fideicommiſſum valet, & defenditur, quaſi teſtator rogaſſet, ut heres reſtituat hereditatem a ſe acceptam, *ut* † *hic*, & *l. qui* † *filium*, infr. *h. tit. l filiusf.* §. *ut quis heredem*, ſupr. *de legat.* 1. *l. Imperator*, §. *pen. de legat.* 2. Eadem interpretatione heres vel legatarius non poteſt rogari, ut aliquem adoptet, ſed ſi rogatus ſit non cogitur adoptare, ſed cogitur hereditatem reſtituere, quaſi tacite rogatus de hereditate reſtituenda; *l.* † *uxorem* 41. §. *ejus heres*, *de legat.* 3. Item heres poteſt rogari, ut hereditatem Titii reſtituat, id eſt hereditatem ab alio, quam a teſtatore acceptam, & eatenus fideicommiſſo obligatur, quatenus hereditas teſtatoris patitur, ſalva falcidia, *ut hic*, & *l. ita tamen*, §. † *Trebellianum*, infr. *h. tit. d. l. filiusf.* §. *quid ergo*, quia heres non poteſt onerari ultra vires fideicommiſſi; §. 1. † *inſt. de ſingul. reb. per fideic. relict. l.* 1. §. *ſi is, qui*, ſupr. *h. tit.* Et ſi heres ſcriptus ex parte, fundo prælegato, rogatus ſit, ut in fundo prælegato Titium heredem recipiat, perinde eſt ac ſi partem fundi ex fideicommiſſo rogatus eſſet reſtituere; *l. pater*, §. *ult. l. Lucius*, §. *ult. de legat.* 3.

§. *ſi quis rogatus* 4.

SI quis rogatus ſit, ſi ſine liberis deceſſerit reſtituere hereditatem, quæſitum eſt, an naturales filii, id eſt ex ancilla ſuſcepti, efficiant, ut conditio fideicommiſſi deficiat? Et Papinianus *libro* † 8. *reſponſorum* ſcripſit, etiam naturales filios efficere, ut conditio fideicommiſſi deficiat, quia filii naturales filiorum appellatione continentur; *l. cum pater*, §. *volo*, *l. Lucius*, §. *Dama*, *de legat.* 2. Sed Ulpianus exiſtimat, voluntatis quæſtionem eſſe de quibus liberis teſtator ſenſerit; ſed hoc accipiendum eſſe, ex dignitate, & ex voluntate, & conditione teſtatoris, ut ſcriptum eſt in *hoc* §. id eſt voluntas teſtatoris colligitur ex dignitate & conditione teſtatoris, dignitas & conditio teſtatoris ſpectatur, an ſit nobilis, patricius, nec ne: ſi enim ſit nobilior, filii naturales non excludunt ſubſtitutum, quia dignitas teſtatoris inducit præſumptionem,

Digitized by Google

eum noluiſſe naturales filios ſibi ſuccedere. Sed hodie poſt conſtitutionem Juſtiniani, ſublata diſtinctione perſonarum, filii naturales non faciunt deficere conditionem fideicommiſſi, ſed tantum liberi ſuſcepti ex legitimis nuptiis; *l. generaliter*, † *verſ. niſi ipſi liberi ſine juſta ſobole*, *&* *ibi gloſſ. C. de inſtit. &* *ſubſtit.* maxime in Gallia, ubi illegitimi ſunt inhabiles & incapaces ſuccedendi. Naturales non ſunt proprie filii, cum filii dicantur ſoli, qui nati ſunt ex juſtis nuptiis; *l. filium* † *eum definimus*, *de his qui ſui*, *vel alien. jur. ſunt.* Liberi legitimati quidem per ſubſequens matrimonium, faciunt deficere conditionem fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, quia in omnibus exæquantur legitimis & naturalibus; *l. cum quis*; *l. nuper*, *C. de natur. liber. cap. tanta eſt*, *qui fil. ſint legit.* Legitimati reſcripto Principis non excludunt ſubſtitutum, ex *gloſſ. hic* arg. *l. fideicommiſſum*, ſupr. *de condit. & dem. l. ſi ita quis*, *in fin. de legat.* 2. Si quis liberos heredes inſtituerit & rogaverit hereditatem poſt mortem reſtituere Titio, non adjecta conditione, *ſi ſine liberis*, ſubſtitutio evaneſcit, ſi liberi heredes inſtituti liberos juſtos reliquerint, quia conditio, *ſi ſine liberis*, tacite ineſt ſubſtitutioni factæ in deſcendentibus, quod præſumatur conjectura pietatis, patrem non facturum talem ſubſtitutionem, ſi de nepotibus cogitaſſet, ex celeberrimo reſponſo Papiniani; *l. cum avus*, *de condit. & dem. l. cum acutiſſimi*, *C. de fideicommiſſ. & d. l. generaliter.* Item conditio fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, etſi concepta ſit in plurali numero, deficit vel uno ſuperſtite relicto; *l. pater* † *Severianam*, §. † *ita*, *de condit. & dem.* † *l. jubemus*, §. *ſin autem*, *C. h. tit. l.* † 1. *C. de condit. inſert.* Non videtur deceſſiſſe ſine liberis, cui vel unus filius ſuperſtes eſt; *l. non eſt ſine liberis*, *de V. S.*

§. *ex facto*.

MUlier quædam heredem inſtituit filium ſuum, eundemque rogavit, ut ſi ſine liberis decederet, hereditatem reſtitueret fratri ſuo: is poſtea propter delictum in inſulam deportatus, & deportatione bona fiſco commiſſa, poſt deportationem liberos ſuſcepit: quærebatur, an fideicommiſſi conditio defeciſſet? Ulpian. hac de re conſultus reſpondit in *hoc* §. liberos conceptos quidem ante deportationem, licet poſtea editos, efficere, ut conditio fideicommiſſi deficiat: poſt deportationem vero ſuſceptos, quaſi ab alio, non prodeſſe: maxime cum bona deportati fiſco vindicentur cum ſua quodammodo cauſa, id eſt cum onere fideicommiſſi. Ratio dubitandi erat, quod liberi, qui ſunt in utero pro natis habentur, ut ſibi proſint, non alii; *l. qui in utero* 7. ſupr. *de ſtat. homin.* At liberi concepti ante deportationem, ſi pro natis habeantur, quo faciant deficere conditionem fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, non ſibi proſunt, ſed fiſco, cum ſubſtitutum excludant, & eo remoto bona remaneant apud fiſcum. Accurſius *hic* valde laboravit, nec aliud excogitavit, quam unum eſſe caſum, quo conceptus habetur pro nato in commodum alterius. Sed ratio decidendi eſt, liberos ante deportationem conceptos, pro natis haberi, maxime ob proprium commodum, quia etſi nati ſint poſt deportationem patris, naſcuntur legitimi. Alias poſt deportationem ſuſcepti quaſi ab alio, non proſunt id eſt non faciunt deficere conditionem fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, quia non ſunt juſti liberi: quippe jure veteri matrimonium ſolvitur deportatione; *l. ſi quis ſic ſtipuletur*, ſupr. *ſolut. matrim.* Hodie vero liberi etiam ſuſcepti poſt deportationem patris efficiunt, ut conditio fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, deficiat, quia deportatione matrimonium non ſolvitur poſt conſtitutionem Conſtantini; *l.* 1. *C. de repud.* quæ laudatur a Juſtiniano *nov.* 22. *de nupt. cap.* 13.

Digitized by Google

§. *ſi quis rogatus 6.*

SI quis rogatus fuerit filiis ſuis , vel cui ex his voluerit , hereditatem reſtituere , & poſtea ob delictum in inſulam deportatus ſit , deportatione non amittit jus eligendi cui liberorum fideicommiſſum reſtitui voluerit , ex reſponſo Papiniani , quod refertur ab Ulpiano *hic* , exſtatque in *l. cum pater* , §. *hereditatem* 4. *de legat.* 2. Deportatus ſc. non amittit jus eligendi , quoniam civitatem ſolam amittit , non libertatem . Et ſic deportatus amittit ea quæ ſunt juris civilis , non ea quæ ſunt facti ; *l. legatum* , ſupr. *de capit. minut.* Electio autem magis eſt facti , quam juris , quia eſt nudum miniſterium ; *l. unum ex familia* , §. *ſi falcidia* , *de legat.* 2. Proinde deportatus , etiam ſi non dum pœna liberatus ſit , jus eligendi retinet ; *d.* §. *hereditatem* . Ex quo recte Cujac. 3. *obſ.* 10. **) *& in d.* §. *hereditatem* animadvertit , reſtituendum eſſe *hunc locum* , cui liber factus fideicommiſſum reſtitui velit , nec enim expectari debet , quoad pœna ſolvatur , ut eligendi facultatem habeat , quia deportatus civitatem ſolam amittit retenta libertate : fruſtra ergo ait , cui liber factus , idque notavit etiam Accurſius . Et ex hoc reſponſo Papiniani apparet , deportatum non per omnia haberi pro mortuo , quia & poſt deportationem poteſt eligere , & ita quoque hujus fideicommiſſi conditio non exiſtit ante mortem naturalem heredis , licet deportatus ſit ; *d.* §. *hereditatem* , *l. Statius Florus* , §. *Cornelio Felici* , inſt. *de jur. fiſc.* atque ita donatio uxori facta deportatione mariti non confirmatur , quia deportatio non omnino ſimilis eſt morti ; *l. ſed ſi mors* , §. 1. ſupr. *de donat. int. vir. & uxor.* Et legatum non fit caducum deportatione legatarii , quia deportatus reſtitui poteſt ; *l. intercidit* , §. 1. *de condit. & dem.* Sed ſi heres rogatus reſtituere filiis , vel cui ex his vellet , ſervus pœnæ factus fuerit , puta damnatus in metallum , quæ eſt ſervitus pœnæ , quæ eſt maxima capitis diminutio , quæ omnino morti comparatur , jus eligendi amittit , & ſtatim liberis ejus , ſi quos habet , fideicommiſſi perſecutio competit , non expectata morte naturali patris : ſi vero tunc liberos non habeat , poſtea ſuscepti nullo modo admittuntur ad fideicommiſſum , ex *hoc* §. quia conditio fideicommiſſi , quæ ſemel defecit , non poteſt reſumi ; *l. pater Severianam* , §. *ult. de condit. & dem.* Exemplo damnati in metallum , damnatus ad triremes amittit jus eligendi , ex ſententia Fernandi , & aliorum recentiorum , quia damnatio ad triremes æquiparatur ſervituti pœnæ .

§. *ſi quis autem .*

MUltum intereſt utrum fideicommiſſum relictum ſit ſub conditione , *ſi ſine liberis deceſſerit* , an ſub conditione , *ſi liberos non habuerit* ; nam ſi quis per fideicommiſſum rogatus ſit hereditatem reſtituere , ſub conditione , *ſi liberos non habuerit* , ſuſceptis liberis ſtatim conditio purificatur , nec quicquam obſtat , ſi poſtea vivo patre decedant ; *l. heredibus* , *in princ.* infr. *h. tit. l.* 4. *C. quand. dies leg. vel fideic. cedat* , quia conditio ſemel impleta non reſumitur ; *l. ſi quis heredem* , *C. de inſtit. & ſubſtit.* Si vero quis rogatus ſit hereditatem reſtituere , ſub conditione , *ſi ſine liberis deceſſerit* , ſi liberos quidem ſuſceperit , verum vivus eos amiſerit , conditio fideicommiſſi non deficit , quia verum eſt ſine filiis deceſſiſſe , ex *hoc* §. Conditio fideicommiſſi , *ſi ſine liberis deceſſerit* , non deficit , niſi patri ſupervixerint liberi ; *l. filiusf.* §. *cum* † *erit rogatus* , *de legat.* 1. pater ſine liberis deceſſiſſe videtur , niſi extent tempore mortis patris . Si filius naufragio , ruina , vel quo alio caſu cum patre perierit , ſi conſtet filium ſupervixiſſe patri , conditio deficit : quod ſi non appareat quis prior deceſſit , in dubio conditio fideicommiſſi extitiſſe videtur ,

quia in dubio pater præſumitur ſupervixiſſe filio, ex *hoc* §. Et hoc intelligendum eſt, ſi filius ſit impubes, hoc caſu pater præſumitur ſupervixiſſe filio propter infirmitatem ætatis: ſecus ſi filius ſit pubes, qui & firmior, intelligitur ſupervixiſſe patri; *l. qui duos*, §. *ult. de reb. dub. l. inter ſocerum*, *de pact. dotalib.* Conditio fideicommiſſi, *ſi ſine liberis deceſſerit*, deficit ſi liberi ſupervixerint patri, etiam ſi illico deceſſerint, ex *hoc* §. quia, ut dixi, ſufficit conditionem fideicommiſſi ſemel impleri, & fideicommiſſum ſemel extinctum amplius non reviviſcit; arg. *l. qui res*, §. *aream*, *de ſolut.* Adeoque conditio fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, deficit, ſi patri ſuperfuerint liberi, etiam ſi ei heredes non extiterint; *d. l. filiusf.* §. *cum* † *erit rogatus.*

§. *ult.*

SI quis rogatus ſit hereditatem reſtituere, *ſi ſine herede deceſſerit*, hæc conditio accipitur de liberis, ex *hoc* §. quia vix contingit, ut quis decedat ſine herede, & heredum appellatione filii ſignificantur; *l. Seia*, *de mort. cauſ. donat.* Votum naturale parentum eſt, ut liberi ſibi heredes ſint, & infelices habentur, qui extraneo herede decedunt; Auguſtin. in illud pſalm. 48. (ſerm. 1. num. 14.) *Et relinquent alienis divitias ſuas. Quaſi eos poſuit in maledicto*, inquit, *qui cum mortui fuerint, alieni poſſidebunt res ipſorum. Ergo felices illi, qui relinquunt filios in poſſeſſione ſua, quibus ſui ſuccedunt. Habuit filios, non eſt mortuus.* Jure noviſſimo, ſi quis rogatus ſit hereditatem reſtituere, *ſi ſine liberis deceſſerit*, conditio ei remittitur, ſi monaſterium ingrediatur; *auth. niſi rogati*, *C. h. tit.* Si quis rogatus ſit hereditatem reſtituere, *ſi ſine liberis deceſſerit*, & ſe & ſua monaſterio devoverit, conditio fideicommiſſi deficit, quia non intelligitur ſine herede deceſſiſſe, qui monaſterium heredem inſtituit. Monaſterium eſt loco filii; *auth. ingreſſi*, *auth. ſi qua mulier*, *C. de ſacroſ. eccleſ. can. quia ingredientibus*, 19. *qu.* 3. *cap. in præſentia*, *de probat.* ſed hoc non ſervatur in Gallia. In ſucceſſione feudi & emphiteuſeos, heredis appellatio ad filios ſolum refertur; *cap.* 1. §. *& ſi* † *clientulus*, *de alienat. feud. in uſib. feudor.*, ut ſi conceſſero feudum vel emphyteuſim tibi, & tuis heredibus, de filiis videtur intellectum; *gloſſ. hic.*

L. 18. *init.* † *&* §. 1. *&* 2.

IN reſtitutione fideicommiſſi, hereditatis non veniunt fructus ab herede percepti pendente fideicommiſſi conditione, aut die, niſi heres fuerit in mora reſtituendi, aut ſpecialiter rogatus ſit & fructus reſtituere, ex *h. l. l. mulier* 22. §. *ſi heres*, *l. poſtulante*, §. *ſed in hujuſmodi*, infr. *h. tit. l. quod bonis*, §. *fructus*, ſupr. *ad leg. falcid.* In reſtitutione fideicommiſſi fructus poſt aditam hereditatem percepti non veniunt: quoties enim quis rogatur hereditatem reſtituere, id videtur rogatus reddere, quod fuit hereditatis; fructus autem non hereditati, ſed rebus ipſis accepto feruntur, ut ſubjicitur in † §. 2. *h. l.* id eſt fructus poſt aditam hereditatem percepti, non dicuntur hereditatis, quæ eſt nomen juris, non poteſt parere fructus, qui ſunt res corporales; *l. cogi*, §. † *inde maritus*, ſupr. *h. tit.* Et hereditas ſemel adita non eſt amplius hereditas, ſed eſt patrimonium heredis; *l.* 1. §. †† *veteres*, infr. *de adquir. poſſeſſ.* Fructus igitur non hereditati, ſed rebus ipſis, id eſt bonis unde percipiuntur, accepto feruntur; *l. qui ſcit*, §. 1. *de uſur.* perinde ac ſi percepti eſſent ex rebus ipſis hereditariis, non ex hereditate: ut fructus percepti ex rebus donatis, in donatione non computantur; *l. in ædibus*, §. 1. *de donat.* Opponitur *l.* 3. *de inſtruct. vel inſtrum. legat.* ubi Papinianus ait, fundo inſtructo per fideicommiſſum relicto, medii temporis augmenta † fœtuum & partuum, & detrimenta fatalium,

† §. iſte deſideratur.

†† v. *l.* 10. §. 2. *ff. de vulg. & pupillar.*

Digitized by Google

lium, id eſt quæ † fato deminuta ſunt, fideicommiſſo contineri. Sed addenda eſt negativa, ut notat Martinus *hic*. Certiſſimum enim eſt, fructus medio tempore perceptos non venire in reſtitutione fideicommiſſi: & hoc ita verum eſt, ut nec fructus pendente fideicommiſſi conditione percepti veniant in reſtitutione fideicommiſſi, tametſi heres rogatus ſit generaliter reſtituere quidquid ex hereditate boniſve defuncti ad eum pervenerit *; l. ſcribit*, *l. heredes mei*, *l. deducta*, *§. pen.* inſr. *h. tit. l. quod his verbis*, *de legat.* 3. quia fructus percepti poſt aditionem non ſunt hereditatis, aditione deſiit eſſe hereditas, in reſtitutione fideicommiſſi veniunt fructus ſi heres in mora fuerit, ut in *h. l.* & *in l. equis*, *de uſur.* In legatis & fideicommiſſis, ſicut in contractibus bonæ fidei, fructus & uſuræ debentur ex mora *; l. in minorum*, *C. in quib. cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſaria*. Actio enim ex teſtamento, quæ datur legati vel fideicommiſſi nomine, etſi ſtricti juris ſit, imitatur actiones bonæ fidei, quoad fructus & uſuras. Quod ſi heres non ſit in mora reſtituendi, ſed ipſe fideicommiſſarius negligens fuerit in petendo, tunc fructus percepti, negligentia non petentis, non reſtituuntur *; l. mulier* 22. *§. ſi heres*, inſr. *h. tit.* tametſi heres coactus adierit hereditatem *; l. ita tamen*, *§. ſi ſervum*, inſr. *h. tit.* Et hoc intelligitur, niſi mora, re ipſa ex lapſu temporis, ſine ulla interpellatione commiſſa ſit, ut ſi fideicommiſſarius ſit minor 25. annis *; d. l. in minorum*. In fideicommiſſi reſtitutione fructus percepti ante diem, vel conditionem fideicommiſſi cedentem, non veniunt, † niſi heres nominatim rogatus ſit & fructus reſtituere, ut in *h. l.* & *l. ſi ita relictum*, *§. Pegaſus*, *de legat.* 2. Ratio dubitandi erat, quod incivile videbatur, heredem rogatum fructus medii temporis reſtituere, cum æquum non ſit heredem alterius rem gerere, & alterius quaſi procuratorem conſtitui *; l. poſtulante*, *§. ſed in hujuſmodi*, inſr. *h. tit.* Sed injuria non fit heredi, qui rogatur rem reſtituere cum fructibus, quia in ejus poteſtate eſt agnoſcere vel repudiare hereditatem ſub eo onere relictam, & ſi ſemel eam agnoverit, de ſe tantum queri debet. Si fideicommiſſum in diem relictum ſit, multum intereſt ſcire, cujus cauſa dies adjectus ſit fideicommiſſo, an heredis, an fideicommiſſarii: ſi dies adjectus ſit fideicommiſſo heredis gratia, fructus medii temporis cedunt lucro heredis: quod ſi fideicommiſſarii gratia, puta ſi fideicommiſſum relictum ſit impuberi in tempus pubertatis, tunc fructus medii temporis fideicommiſſario reſtituuntur *; l. ſi ita relictum*, *§. Pegaſus*, *de legat.* 2. *l. liberto*, *§. filium*, *in fin. de ann. legat. l.* 3. *§. cum Pollidius*, *de uſur.* quia ille, a quo fideicommiſſum ita relictum eſt, non tam eſt heres, quam nudus miniſter ſeu depoſitarius, cujus fides electa eſt, unde fiduciarius heres dicitur *; l. Seius Saturninus*, inſr. *h. tit.* & inſtitutio hujuſmodi tutela dicenda eſt potius, quam fideicommiſſaria hereditas, & conſilium teſtatoris, qui lubrico tutelæ fideicommiſſi remedium prætulit, quo impuberi conſuleretur, ut eleganter dicitur in *d. §. cum Pollidius*, ne bona committantur lubrico tutelæ. Fructus inventi in hereditate tempore mortis defuncti veniunt in reſtitutione fideicommiſſi, quia hi fructus augent hereditatem, neque pro fructibus habentur, ſed pro parte hereditatis *; l. ita tamen*, *§.* 1. inſr. *h. tit. l.* † *centurio*, *de vulgar.* & *pupillar. l. in ſalcidia* 9. *ad leg. falcid.* & *gloſſ. in d. l. quod his verbis*. Fructus pendentes die fideicommiſſi cedente pertinent ad fideicommiſſarium, licet major pars anni præterierit *; l. Herennius*, *de uſur.* Ratio dubitandi occurrebat, quod fructus fundi dotalis ſoluto matrimonio dividuntur inter virum & uxorem pro rata anni *; l. fructus*, alias *l. divortio*, *§. Papinianus*, *ſolut. matrimon.* Ergo videbatur, fructus pendentes tempore reſtitutionis fideicommiſſi, non niſi pro rata temporis pertinere ad fideicommiſſarium. Sed ratio decidendi eſt, quod fructus ad heredem pertinent, qui ex defuncti judicio percipiuntur *; l. mulier* 22. *§. ſi heres*, inſr. *h. tit.* Ideoque reſtituto fideicommiſſo, nulla ex parte fructus ſpectare debent ad he-

redem, qui nullum amplius in re ipſa, aut ejus fructibus, jus habet : fructus fideicommiſſi percepti ante moram non veniunt in reſtitutione fideicommiſſi, ſed heredi imputantur in quartam, ex † §. 1. *h. l. l. quod bonis*, §. *fructus*, ſupr. *ad leg. falcid. l. cum pater*, §. *Titio*, *de legat.* 2. Hoc verum eſt in heredibus extraneis: ſed in filiis teſtatoris ſeu liberis primi gradus, fructus non imputantur in quartam, ſed quarta detrahitur ex corporibus hereditariis, nulla facta imputatione fructuum, etiam ſi pater hoc voluerit; *l. jubemus*, C. *h. tit.* Similiter fructus liberis non imputantur in legitimam, quia legitima detrahenda eſt ex ipſis corporibus hereditariis, non ex fructibus; *l. ſcimus* †, *in princ. verſ. repletionem*, C. *de inoffic. teſtam.* per quam correcta eſt *l. Papinianus*, §. *unde ſi quis*, *ff. eod.* per quam fructus imputantur in legitimam.

§. *ult.*

Dixi in *l. Marcellus*, §. *quidam liberis*, ſupr. *h. tit.*

L. 19. init.

UBi fideicommiſſum a patre pure relictum eſt filio, ſi adjectum ſit, *rogo des filio tuo*, *faciasque ut ad eum perveniat*, videtur in id tempus collatum, quo capere poterit, id eſt quo ſui juris erit; ex *h. l.* quia pater non poteſt cogi præciſe, ut emancipet liberos; *l. filiusf.* §. *ſed ſi liberos*, *de legat.* 1. Ratio dubitandi occurrebat, quod fideicommiſſum a patre relictum filio non valere videtur tamquam relictum a ſemetipſo; §. *an ſervo*, *inſt. de legat. l. legatum* 116. §. 1. *de legat.* † 1. Ratio decidendi eſt, quod etſi fideicommiſſum purum videatur, cenſetur tamen collatum in tempus, quo filius capere poterit, id eſt ſui juris erit, ne fideicommiſſum intercidat, niſi enim delatum intelligeretur non valeret, tamquam a ſemetipſo ſibi ipſi relictum.

§. † *te rogo*.

UBi heres rogatur hereditatem partiri cum Titio, rogatus videtur de reſtituenda dimidia hereditatis per fideicommiſſum ex *Trebelliano*, ex *hoc* §. quia partis appellatione dimidia ſignificatur; *l. nomen filiarum*, §. *partitionis*, *de V. S. l. plane*, *in fin. de legat.* 1. *l. etiam*, *de uſufr.* qua ratione major pars diei, qui conſtat duodecim horis, eſt ſeptem horarum priorum; *l.* 2. *de V. S.* quo alludens Virgil. 9. (156.) Æneid. *Melior quoniam pars acta diei*, id eſt *major & prima* ait Servius. Ratio dubitandi erat, quod verbum partiri ſolum referri videtur ad nudam diviſionem rerum, quæ eſt facti; *l. quid ergo*, §. *ult.* ſupr. *de uſufruct.* non reſtitutionem fideicommiſſi, & jurium translationem, quæ fit ex *Trebelliano*. Ratio decidendi eſt, quod fideicommiſſum quibuscumque verbis inducitur, dummodo conſtet de voluntate teſtatoris, ex *hoc* §. unde fideicommiſſum probatur conjecturis; *l. cum* † *proponebatur*, *in fin. de legat.* 2. *l. licet Imperator*, *de legat.* 1. *l. cum avus*, *de condit. & dem.* ex quo recte efficitur, ut ſi heres rogatus ſit hereditatem dividere cum alio, rogatus intelligatur per fideicommiſſum reſtituere dimidiam hereditatis. Tale fideicommiſſum non habetur loco partitionis, ſeu legati partiarii, ſed pro fideicommiſſo partis hereditatis; Cujac. in *l.* 8. §. *ult. de legat.* 2.

§. *ult.*

HEres rogatus in diem hereditatem reſtituere, interim ante diem fideicommiſſi cedentem, ſumptus fecit in diſtrahendis rebus hereditariis, quas

ne-

Digitized by Google

neceſſe fuit vendere æris alieni ſolvendi cauſa. (Emptio enim & venditio non poteſt fieri † ſine ſumptu: nimirum proxenetis, quorum opera res diſtracta eſt, præſtatur ſalarium, quod proxeneticum dicitur; *l. ult. de proxenetic.* emptionis venditionis cauſa præſtantur nundinæ id eſt epulæ; *l. cum ſocietas, pro ſoc.* noſtri *Vinage*.) Heres, inquam, ſumptus fecit in diſtrahendis rebus hereditariis, vel in conſervandis, exiſtente die fideicommiſſi, quærebatur, an heres cum reſtitueret hereditatem, ſumptus factos in diſtrahendis conſervandisque rebus hereditariis deducere poſſet, an ei imputandi eſſent? Et Paulus in *hoc* §. reſpondet, ſumptus in diſtrahendis conſervandisque rebus hereditariis factos, heredi imputandos eſſe, ita ut non poſſint deduci ab herede in reſtituenda hereditate. Opponitur *l. mulier* 22. §. *ſed enim*, infr. *h. tit.* in qua nominatim traditur, heredem rogatum reſtituere hereditatem, ſi quos ſumptus fecerit in res hereditarias, eos detrahere, cui conjungendæ ſunt *l. qui exceptionem*, §. *ſi pars, de condict. indebit.* & *l. domus, cum dd. ſeqq. de legat.* 1. ex quibus ſi pars domus in diem per fideicommiſſum relicta arſerit ante diem fideicommiſſi cedentem, & eam heres ſua impenſa refecerit, deducenda eſt impenſa ex fideicommiſſo, & ſi heres ſine deductione domum reſtituerit, datur condictio indebiti quaſi plus debito ſolverit. Ratio decidendi eſt, multum intereſſe, utrum ſumptus facti ſint in præſentem & temporariam, aut in perpetuam rei utilitatem: ſumptus enim facti in præſentem & temporariam rei utilitatem non repetuntur, ſed compenſantur cum fructibus, ut ſumptus in diſtrahendis & conſervandis rebus hereditariis, de quibus agitur in *hoc* §. At ſumptus facti in perpetuam rei utilitatem, ut in refectionem ædium combuſtarum, vel in confectione inventarii, non compenſantur cum fructibus, ſed deducuntur in reſtitutione fideicommiſſi; *l.* 3. §. † *nos generaliter, de impenſ. in res dotal. fact. l. ſcimus*, §. *in computatione*, C. *de jur. delib. l. Paulus reſpondit*, §. *domus, de pignor. l. ſi a domino*, §. *ult. de petit. heredit. l. quod in fructus, de uſur.* ut & in computanda ratione legis falcidiæ bona æſtimantur deducto ſumptu auctionis hereditatis; *l. quantitas, ad leg. falcid.*

L. 20.

SI cui legatum relictum ſit in tempus liberorum, & prægnante uxore deceſſerit, legatum tranſmittit ad heredem, ex *h. l.* & *l.* † *is, cui*, infr. *quand. dies legat. ced.* quia conditio impleta videtur; *d. l.* † *is, cui*: qui enim ſunt in utero pro natis habentur, ut ſibi proſint; *l. qui in utero* 7. *de ſtat. homin.* Et legatum valet, ſi modo poſthumus naſcatur; *d. l. is cui*. Legatum relictum in tempus liberorum, prægnante uxore relictum valet, ut legatum tranſeat ad poſthumum, qui eſt ſuus heres.

L. † 21.

SI heres rogatus reſtituere hereditatem, totam reſtituerit omiſſa quarta, quam retinere poterat, nec caverit ſibi propoſita ſtipulatione, id eſt cautione a fideicommiſſario interponenda ex edicto, *ſi cui plus quam per leg. falcid. l.* 1. §. *hac ſtipulatio, ſi cui plusq. per leg. falcid. l. pen.* §. *ſi quis jus ignorans, de jur. & fact. ignor.* quæritur, an condictio fideicommiſſi quaſi indebiti ſoluti detur heredi, ut quarta retineatur? Ariſto ajebat, ſimilem eſſe cum illis, qui retentiones, quas ſolas habent, omittunt: puta ei, qui in aliena area ædificavit, qui nullo alio modo impenſas ſervat, quam per retentionem; *l. ſi in † area, de cond. ct. ind. bit.* ac proinde ſi fundum tradiderit ſine deductione impenſæ, nulla ei ſupereſt via, qua ſervet impenſam: atque ita ex Ariſtonis ſententia heres, qui fideicommiſſariam hereditatem reſtituit, non retenta quarta, non poteſt repetere quartam per condictionem vel ullam aliam actionem, quia

Digitized by Google

eam ſolam detrahere potuit per retentionem, & omiſſa retentione omnino eam remiſiſſe videtur. Sed Pomponius *hic* notat ſententiam Ariſtonis, cum ait, poſſe eum poſſeſſionem rerum hereditariarum vel repetere, vel nanciſci in non reſtitutis, quæ ſint apud alios, & adverſus agentem doli exceptione uti, vel debitoribus hereditariis denuntiare, ne fideicommiſſario ſolvant. Et hæc fuit ſententia Pomponii diſſentientis ab Ariſtone, quæ juri congruentiſſima eſt; ſi enim heres rogatus hereditatem reſtituerit, per errorem facti omiſſa quarta, datur ei condictio incerti, ad hoc ut tota hereditas jam reſtituta retro reſtituatur, & quarta prius omiſſa retineatur; *l. ſi quis, cum a fideicommiſſario, l. qui exceptionem, §. ſi pars, de condict. indebit. l. pen. §. ſi quis, de jur. & fact. ignor. l.* †† *peto, §. ult. de legat. 2. l. error, C. ad l. falcid.* Cujac. 8. *obſ.* † 2.

†† V. ſi facit. Et adde *l. 3. §. ult. ſi qui pluſq. per l. falcid. l. 7. & 10. C. de jur. & fact. ignor.*

L. 22. init.

MUlier, ſusceptis duobus filiis ex priore marito, ab eo divertit, & nupſit alteri, & poſteriorem maritum teſtamento heredem inſtituit, ac eundem rogavit, poſt mortem patris, liberis, vel ei, qui ex his ſupereſſet, hereditatem reſtituere: eisdem emancipatis a patre vitricus reſtituit hereditatem; mox alter e filiis vivo patre deceſſit: quæritur, an is, qui ſupererat e filiis, partem fratri ſuo reſtitutam petere poſſet, quaſi præmature datam? Ulpianus, priusquam hanc quæſtionem ſolvat, refert ex Scævola decreto D. Marci judicatum, ſi fideicommiſſum a matre relictum eſſet filiis, ſi morte patris ſui juris eſſent effecti, eis emancipatis vivo patre, poſt emancipationem fideicommiſſum eis repræſentandum intellecta matris voluntate, quæ, quia non crediderat patrem eos emancipaturum, diſtulerat in mortem ejus fideicommiſſum, non dilatura id in tempus mortis, ſi eos emancipaturum ſperaſſet. Unde colligit Ulpianus, decretum D. Marci trahendum ad propoſitam quæſtionem, & fideicommiſſum utrique recte ſolutum videri, ut proponitur *init. h. leg.* Ratio dubitandi erat, quod cum fideicommiſſum a morte relictum eſſet filiis, vel ei, qui ex his ſupereſſet, ſi morte patris ſui juris eſſent effecti, videbatur fideicommiſſum præmature reſtitutum filiis ante tempus mortis † patris, & totum fideicommiſſum ei, qui ſuperſtes eſſet tempore mortis patris, deberi; *l. uxorem, §. Seium maritum, de legat.* 3. cum incertum eſſet quamdiu pater viveret cuinam ex liberis fideicommiſſum deberetur, cum evenire poſſet, quod & evenit, ut alter vivo patre præmoreretur. Ratio decidendi eſt, quod etſi fideicommiſſum a matre filiis relictum, vel ei, qui ex his ſupereſſet, ex teſtatricis voluntate videri collatum in id tempus, quo morte patris, vel emancipatione, vel alio modo ſui juris effecti eſſent, atque ita filiis a patre emancipatis fideicommiſſum recte reſtitutum, non expectata morte patris, ut *hic & l. ſi ita eſſet, quand. dies leg. ced.* Etſi enim conditiones implendæ ſint eo modo, quo teſtator juſſit, &, ut noſtri loquuntur, in forma ſpecifica; *l. qui heredi., in princ. l. Mævius, ſupr. de condit. & dem.* tamen ſufficit eas impleri per æquipollens, cum idem effectus ſequitur ex voluntate teſtatoris, ut *hoc loco*, ſi fideicommiſſum a matre relictum eſſet filiis, *poſt mortem patris*, ſi filii a patre emancipati eſſent, ſtatim eis debetur, quia conditio mortis patris impleta intelligitur per emancipationem, quia fideicommiſſum a matre relictum eſt filiis, *poſt mortem patris*, & mater præſumitur non fuiſſe dilatura fideicommiſſum in tempus mortis patris, ſi ſperaſſet patrem filios emancipaturum. Nec refert morte patris, an emancipatione filii exeant de poteſtate patris, cum idem ſequatur effectus, ſive emancipatione, ſive morte patris filii fiant ſui juris, & capaces adquirendi ſibi fideicommiſſi, & voluntas teſtatricis ſuum habet effectum, quæ cavere voluit, ne fideicommiſſum patri adquireretur, ſed ut ad filios perveniret. Atque ita ſi mater filium heredem inſtituerit ſub conditio-

ditione emancipationis, & filius morte vel deportatione patris ſit ſui juris effectus, non emancipatione, conditio pro impleta habetur, & hereditas ei adquiretur; *l. 3. C. de inſt. & ſubſt.*

§. *non eſt* † *dubitatum*.

SI heres inſtitutus, a quo libertas directa, vel fideicommiſſaria, Sticho & Pamphilo ſervis ſuis relicta eſt, rogatus ſit hereditatem reſtituere eiſdem ſervis, & ſuſpectam dicat hereditatem, † cogi poteſt adire, & reſtituere: cum aſpernari heres non debeat perſonam cogentis, quia quamvis nondum petere poſſit fideicommiſſariam libertatem, nec directam ſibi vindicare, priusquam ſe. adeatur hereditas, tamen propter ſpem libertatis & hereditatis per ſe aditum habet ad prætorem, ex *hoc* §. Et ex certis cauſis ſervo adverſus dominum conſiſtere permiſſum eſt, libertatis directæ vel per fideicommiſſum relictæ obtinendæ cauſa; *l. vix certis, l. qui* † *ſe dicit, de judic. l. ſed ſi hac lege, de in jus voc. l. 5. de manumiſſ.*

§. *ſi heres*.

SI heres pure rogatus hereditatem reſtituere, poſt multum tempus, ante moram tamen, reſtituat, quartam deducit, & ſic fructus medio tempore percepti heredi non imputantur in quartam, nec reſtituuntur, quia fructus percepti etiam poſt diem fideicommiſſi cedentem, ante moram heredis negligentia petentis, non judicio defuncti percepti videntur, ut eleganter dicitur in *hoc* §. *& in l. in fideicommiſſaria*, ſupr. *h. tit.* At in quartam *Trebellianicam* vel *falcidiam* imputantur dumtaxat ea, quæ judicio defuncti capiuntur; *l. quod autem, l. in quartam, ad leg. falcid.* Quod ſi heres ſub conditione vel in diem rogatus fuerit reſtituere, fructus pendente die vel conditione percepti imputantur in quartam, & ſubmovent eam, ſi impleant quartam & quartæ fructus, nam fructus medio tempore percepti, judicio teſtantis percepti videntur; *d. §. ſi heres, & d. l. in fideicommiſſaria*, quo caſu fructus heredi imputantur in quartam. Ex his deducitur, quarta cum fructibus, & quarta ſubmovetur, dummodo fructus percepti exæquent quartam & quartæ fructus; quarta enim ſtatim debetur heredi in præmium aditæ hereditatis; §. *ſed quia heredes, inſt. de fideic. hered.* ac proinde quarta venit cum fructibus.

§. *ſed enim*.

HEres rogatus reſtituere hereditatem, in conſervandis rebus hereditatiis præſtat dolum & latam culpam, quæ dolo proxima eſt, non levem culpam, id eſt negligentiam, quam rebus ſuis exhibet: puta ſi res hereditariæ perierint vel deteriores factæ ſint ſine dolo heredis, non cogitur eas reſtituere: quod ſi perierint lata culpa heredis, quæ dolo comparatur, ut dicitur *hic*, *& l. 1. §. hæc actio*, ſupr. *ſi menſ. falſ. mod. dixer.* ejus culpæ rationem reddere debet. Idem eſt ſi quas res, cum diſtrahere deberet, non diſtraxerit lata culpa & ſupina negligentia, non levi culpa & negligentia rebus ſuis conſueta: puta mancipia, jumenta, veſtes, & aliæ res mobiles, quæ uſu corrumpuntur, & ſervando ſervari non poſſunt; *l. lex quæ tutores, C. de adm. tutor.* Si † res conſumptæ vel deperditæ ſint, harum rationem reddet, ex *hoc* §. Opponitur *l. ſi ſervus legatus, §. cum quid, de legat.* 1. ubi ſi res tibi legata ſit, & fidei tuæ commiſſum, ut mihi reſtituas, ſi nihil præterea ex teſtamento capias, dolum malum dumtaxat in exigendo legato, alioquin etiam culpam tu mihi præſtare debes: ſicut in contractibus bonæ fidei ſervatur, ut ſi quidem utriusque contrahentis commodum verſetur, etiam culpa, ſin unius ſolius, do-

Digitized by Google

lus malus dumtaxat præſtetur. Unde colligitur, eum, a quo fideicommiſſum relictum eſt, etiam levem culpam præſtare. Sed animadvertendum eſt, *hanc legem* eſſe de fideicommiſſo certæ rei particularis, at *lex iſta* eſt de fideicommiſſaria hereditate & de fideicommiſſo univerſali: facilius excuſatur culpa ſeu negligentia in univerſitate rerum, quam in re particulari, quia vix eſt ut multis diſtentus, non ſit remiſſior vel incautior in aliqua re: at ſi a legatario certæ rei fideicommiſſum relictum eſt, merito ei imputatur etiam levior culpa, quia rem unam facilius eſt cuſtodire. Heres inſtitutus ex parte, & rogatus reſtituere portionem ſuam, non præſtat periculum nominum & bonorum, quæ obvenere in diviſione hereditatis, quæ diviſio eſt emptio neceſſaria, quæ fit per arbitrum; *l. cum pater*, §. *hereditatem* 18. *de legat.* 2. Fructus percepti ante diem fideicommiſſi cedentem, non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, ſed partus ancillarum, ſi qui exſtent, tempore reſtituti fideicommiſſi, & partus partuum veniunt in reſtitutionem, quia partus ancillæ non eſt in fructu, ex *hoc* § *verſ. præterea*, *l. deducta*, §. *hereditatem*, infr. *h. tit.* Eadem ratione partus ancillæ fructuariæ non adquiritur fructuario, ſed domino proprietatis; *l. vetus*, *de uſufr. l. in pecudum*, *de uſur.* tamen quoad quædam partus ancillæ eſt in fructu, nam partus ancillæ ante diem fideicommiſſi cedentem editi, ad heredem ejus, qui rogatus eſt, pertinent, & imputantur in quartam & quartæ fructus; *l. falcidiæ* 24. §. *idem reſpondit* 1. *ad leg. falcid.* Si ædes hereditariæ pendente fideicommiſſi conditione vel die, longo tempore uſucaptæ ſint ab alio, ſine facto id eſt ſine culpa heredis, qui rogatus erat ædes reſtituere, Ulpianus *hic* ait, nihil eum præſtare, cum culpa vacet. Ratio dubitandi erat, quod alienare intelligitur, qui uſucapi ſinit; *l. alienationis*, *de V. S.* Ergo videbatur imputandum eſſe heredi rogato reſtituere, quod rem uſucapi paſſus ſit, nec culpa vacare, quod non interruperit præſcriptionem, quæ interrumpi potuit per litis conteſtationem. Sed fieri poteſt, ut res hereditariæ interim uſucapiantur ſine culpa heredis, veluti ſi heres vi majore fuit impeditus, ut notat *gloſſ. hic* vel ſi tempore mortis teſtatoris pauciſſimi dies ſuperfuerint ad implendam uſucapionem, quo caſu nihil eſt quod imputetur heredi; *l. ſi fundum*, *de fund. dotal.*

§. *cum proponeretur.*

Titius filiam ſuam heredem inſtituit, & eam rogavit, ut ſi ſine liberis decederet, hereditatem Seio reſtitueret: ea nupſit Sempronio, eique dedit centum dotis cauſa ex bonis hereditariis, mox decedens ſine liberis, maritum heredem inſtituit: quærebatur in reſtituenda hereditate, an dos ex fideicommiſſo detrahi poſſet? Ulpianus reſpondet in *hoc* §. dotem detrahi ex fideicommiſſo, proinde ac ſi filia rogata eſſet, quicquid ex hereditate bonisve ſupereſſet reſtituere, quod intelligendum eſt, dummodo dos data ſit pro modo facultatum, & dignitate perſonarum, quia non poteſt dici in everſionem fideicommiſſi, ſeu intervertendi fideicommiſſi cauſa, ut ait *l. Titius*, infr. *h. tit.* factum, quod & mulieris pudicitiæ & patris voto congruebat, ut eleganter ſubdit Ulpian. *hic*, nempe ne puella indotata eſſet; puellarum enim pudicitiæ intereſt, eas dotem habere, quo nubere poſſint; *l.* 2. *de jur. dot.* Tacit 4. annal. (cap. 53.) *Non aliud probis, quam ex matrimonio ſolatium.* Et patris intereſt filiam dotatam eſſe, propter affectum paternum; *l. pater*, *in fin. de evict.* Et ita res fideicommiſſo ſubjectæ poſſunt alienari in ſubſidium pro dote, vel donatione propter nuptias conſtituenda, pro modo congruo honeſtati perſonarum, ſi liberis portio legitima non ſufficiat ad dotem vel donationem propter nuptias; *auth. res quæ*, *C. comm. de legat.* Res fideicommiſſo obnoxiæ poſſunt alienari pro dote conſtituenda, ſi fideicommiſſum factum ſit inter deſcendentes, alias dos deduci non poteſt ex bonis fideicommiſſi tranſverſalis, quia

quia tranſverſalibus non debetur legitima, cujus loco dos imputatur; *l. quoniam novella, C. de inoffic. teſtam.* Si filia ſimpliciter fuerit rogata hereditatem reſtituere, dotem detrahere poteſt ex fideicommiſſo, perinde ac ſi quidquid ex hereditate bonisve ſupereſſet rogata eſſet reſtituere. Heres enim rogatus reſtituere quicquid ex hereditate ſuperfuerit, poteſt bona alienare etiam ultra dodrantem pro dote vel donatione propter nuptias; *auth. contra* † *cum rogatus*, *C. h. tit.* Quod ſi hereditas ſit pinguior & locupletior, & tantos fructus ex hereditate mulier perceperit, ut inde poſſit doti ſatisfieri, ut inde potuerit redigi dos congrua, dicendum eſt potius fructibus hoc expenſum ferendum, quam fideicommiſſo, ut ſubjungitur *in fin. h.* §. id eſt dotem deducendam eſſe de fructibus. Et ſic totum fideicommiſſum præſtabitur deducta quarta, ut *gloſſ.* notat *hoc loco*: ſed hoc correctum videtur conſtitutione Zenonis; *l. jubemus*, *C. h. tit.* nam ſi ex ea filii non imputant fructus in quartam, nec filiæ debent in dotem imputare.

§. *ult.*

UT *Trebelliano* locus ſit, id eſt ut reſtitutio fideicommiſſi fiat ex *Trebelliano*, & deductioni quartæ locus ſit, non ſufficit de hereditate reſtituenda ſc. rogatum eſſe, ſed quaſi heredem rogari oportet. Ex hoc efficitur, ut ſi cui portio bonorum vel hereditatis legata fuerit, (Non ſolum enim res ſingulas, ſed & portionem hereditatis legari poſſe placet, ut *hic*, & *l. ſi quis bonorum*, *l. non amplius*, §. *cum bonorum*, *de legat.* 1.) idemque rogatus fuerit hanc partem reſtituere, reſtitutio non fiet ex SC. nec erit locus quartæ deductioni, ex *hoc* §. Quarta *Trebellianica* inducta eſt heredis gratia, non legatarii etiam partiarii; *l.* 1. §. *ſi is*, *qui quadringenta*, ſupr. *h. tit. l. lex falcidia* 47. §. 1. *ad leg. falcid.* Inde efficitur etiam, ut heres inſtitutus ex certis rebus, & rogatus reſtituere, non deducat quartam, quia inſtitutus ex certa re, pro legatario habetur; *l. quoties*, *C. de hered. inſt.* ac proinde non poteſt intelligi rogatus ut heres. Hinc ſi pater hereditatem ſibi per filium quæſitam rogatus ſit reſtituere extraneo, quartam deducit, quoniam fideicommiſſum vires capit ex perſona filii heredis: quod ſi pater rogatus ſit reſtituere hereditatem per filium quæſitam ipſimet filio, quartam non deducit, quia rogatus videtur ut pater, non quaſi heres; *l. cum filiofamilias*, ſupr. *de* † *legat.* 1.

L. 23. & 24.

SI teſtator plures ex diſparibus partibus heredes inſtituerit, & eos invicem ſubſtituerit, non adjectis partibus, portiones adjectæ in inſtitutione cenſentur repetitæ in ſubſtitutione; *l.* 23. *l. ſi plures*, *l. coheredi*, §. 1. *de vulgar.* & *pupillar. l.* 1. *C. de impuber.* & *aliis ſubſt.* quia prior voluntas trahit ad ſe poſteriorem; *l. ſi mihi* & *tibi*, §. *ult. de legat.* 1. Quod ſi ſubſtitutis onus certæ pecuniæ præſtandæ injunctum ſit, ex quantitate pecuniæ præſtandæ, ſeu ex modo oneris, colligitur voluntas teſtatoris: puta ſi ex diſparibus partibus heredes inſtituti, æquales partes pecuniæ juſſi ſint dare, tunc ſubſtituti videntur in viriles, id eſt ex æquis partibus ratione oneris æqualiter injuncti, non ſpectatis partibus inſtitutionis: ſi vero onus injunctum congruit portionibus hereditariis, tunc ex iisdem partibus ſubſtitui intelliguntur, ex quibus inſtituti; *l.* 23. *l. utrum*, §. *ult.* ſupr. *de reb. dub.* Notandum vero eſt, quod ſubſtitutio reciproca inter coheredes fit, aut nominibus appellativis: puta ſi teſtator pluribus heredibus inſtitutis ſubſtituat hoc modo, *ſi quis ex heredibus ſcriptis heres non erit*, *alios heredes meos ei ſubſtituo*, quo caſu invicem ſubſtituti non adjectis partibus, ex iisdem partibus ſubſtituti cenſentur, ex quibus inſtituti; aut ſubſtitutio reciproca facta eſt nominibus propriis, hoc modo, *ſi quis ex heredi-*

Digitized by Google

bus ſcriptis heres non erit, Titium Caium & Seium invicem ſubſtituo, tunc partes adjectæ in inſtitutione, non intelliguntur repetitæ in ſubſtitutione, immo ſubſtituti vocantur in viriles, id eſt ex æquis partibus, non attentis portionibus hereditariis; *l.* 24. Ratio eſt, quia cum ſubſtitutio fit nominibus propriis, non habetur ratio portionum hereditariarum, ſed perſonarum; *l. ſi † heredes* 124. *de legat.* 1. *gloſſ. in d. l.* 1. *C. de impuber.* Et hæc differentia inter nomina propria & appellativa procedit in inſtitutionibus & ſubſtitutionibus: ſecus in legatariis invicem ſubſtitutis, qui ſemper pro virilibus videntur ſubſtituti, id eſt pro numero perſonarum; *l. unic.* §. *ſed ut manifeſtetur*, *C. de caduc. tollend.*

L. 25. *in princ.*

PAter teſtamento extraneum heredem inſtituit, & eum rogavit, quicquid ex hereditate ad ſe pervenerit filio ſuo prima quaque die, id eſt quam primum poterit, ſeu proxima quaque die, vel ſi prius † quid filio acciderit, id eſt ſi prius deceſſerit, (His enim verbis, *ſi quid acciderit*, vulgari ſermone mors ſignificatur; *l. in vulgari*, infr. *de V. S.*) matri ejuſdem † redderet. Filio defuncto ante aditam & reſtitutam hereditatem, quærebatur, an fideicommiſſum matri deberetur? Et Julianus *init. h. l.* primum reſpondet, (quod intellige tentando & movendo) ſi puer ante diem fideicommiſſi cedentem deceſſerit, fideicommiſſum transferri ad matrem: quod ſi deceſſerit poſtquam dies fideicommiſſi ceſſit, fideicommiſſum transmitti ad heredem filii: & idem reſpondit Ulpian. in *l.* 3. §. 1. ſupr. *de adimend. & transfer. legat.* Tum ſubjungit Julian. an ea fuerit voluntas teſtatoris, ut ſi ante reſtitutam hereditatem puer deceſſiſſet, matri potius, quam heredibus filii fideicommiſſum præſtaretur, prætorem æſtimaturum ex perſona matris, & ex perſona heredis pueri; & hoc intelligendum eſt dici etiam tentando: mox enim ſubjungitur nota Marcelli, quæ tollit illud reſponſum, ſed teſtatoris voluntati congruum eſſe, quandocumque puer deceſſerit, ſive ante ſive poſt diem fideicommiſſi cedentem, fideicommiſſum ad matrem transferri, ſi non jam puer hoc accepit, id eſt ſi nondum fideicommiſſum filio reſtitutum ſit; quam ſententiam comprobat Julianus, eoque, inquit, jure utimur. Ratio dubitandi erat, quod fideicommiſſum in diem vel ſub conditione relictum, ſi legatarius deceſſerit poſt diem vel conditionem fideicommiſſi cedentem, etiam ſi non fuerit agnitum transmittitur ad heredem; *l.* 3. *C. de fideicommiſſ. l. unic.* §. *ſin autem*, *C. de caduc. tollend.* Ergo videbatur, mortuo filio poſt diem fideicommiſſi cedentem, fideicommiſſum non pertinere ad ſubſtitutum, ſed transmitti ad heredem. Ratio decidendi eſt, quod fideicommiſſum, ſive filius decedat ante diem, vel poſt diem fideicommiſſi cedentem, transfertur ad matrem, quæ erat ſubſtituta, ex præſumpta voluntate teſtatoris, quæ colligitur ex perſona matris, & perſona heredis filii, qui minus dilectus fuit teſtatori.

§. *ſi quis* † *filium*.

SI pater filium ſuum ex aſſe heredem inſtituerit, & codicillis, quos poſt mortem filii aperiri juſſit, eum rogaverit, ut ſorori ſuæ hereditatem reſtitueret, ſi ſine liberis vita decederet, & heres ſive ſciens ſive ignorans ſervum hereditarium teſtamento manumiſerit, Julianus ait in *hoc* §. heredem heredis pretium ſervi manumiſſi præſtare debere, libertate favore ſui ſervata. Favor libertatis multa extorſit contra jus commune; *l.* 4. §. *ergo*, *de manumiſſ. l.* † *pœnales*, *in fin. ad l. falcid.* favor libertatis in eo eſt, quod manumiſſio ſuſtinetur, etiam ſi heres ſciens fideicommiſſum ſervum manumiſerit; nullus enim favor eſt libertatis herede ignorante, cum idem jus locum habeat in alie-

na-

natione fundi. Si heres propter juſtam ignorantiam, quæ procedat ex facto teſtatoris, fundum fideicommiſſo ſubjectum alienaverit, non poteſt alienatio revocari, ſed heres tenetur pretium præſtare fideicommiſſario; *l. ult. §. ult. de legat.* 2. ubi ſi maritus heredem uxorem inſtituerit, cujus poſt mortem aperiri codicillos præcepit, & uxor prædium hereditarium infructuoſum rationi ſuæ exiſtimans vendiderit, Scævola reſpondet, non poſſe venditionem poſt mortem mulieris retractari, ab iis quibus hereditas codicillis per fideicommiſſum data deprehenderetur; ſed propter juſtam ignorantiam tam mulieris, quam emptoris, heredem mulieris, ut fundus apud emptorem remaneat, fideicommiſſario pretium dare debere. Sed conſtitutione Juſtiniani, ſi heres a quo fideicommiſſum univerſale vel ſingulare relictum eſt pure, vel in diem certum, vel ſub conditione, vel in diem incertum, rem fideicommiſſariam vendiderit, aut quoquomodo alienaverit, venditio & alienatio irrita eſt ipſo jure, ut neque † uſucapio, neque longi temporis præſcriptio contra fideicommiſſarium procedat; *l. ult. §. ſed quia, §. ſin autem, C. comm. de legat.* quia res obnoxia fideicommiſſo, non eſt proprie in bonis heredis.

L. 26. & 27. in princ.

Civitatibus, quæ ſub imperio populi Romani ſunt, & municipiis hereditas per fideicommiſſum relinqui poteſt, ex *SC. Aproniano*, & reſtituta hereditate, actiones ex *SC. Trebelliano* transferuntur in fideicommiſſarium; *l. 27. l.* † *unic.* inſt. *de libert. univerſit.* Olim municipia heredes inſtitui non poterant, nec legata accipere, quia ſunt incertum corpus; Ulpian. *libr. reg. tit.* † 22. §. 5. Plin. libr. 5. epiſt. 7. *Nec heredem inſtitui, nec* † *percipere poſſe rempublicam conſtat.* Poſtea SC. conceſſum eſt municipiis, ut eis hereditas per fideicommiſſum reſtitui poſſet; Ulpian. *eod. loc.* & civitatibus legari poſſe placuit; *l. ſi quid relictum, l. civitatibus, de legat.* 1. idque introductum SC. quod factum eſt auctore D. Adriano; Ulpian. † *d. lib. tit.* 24. §. 28. Et quaslibet civitates hereditates, vel legata, vel fideicommiſſa, vel donationes mortis cauſa, etiam annonas civiles capere poſſe conſtitutum *l.* † *hereditatis, C. de hered. inſtit.* Igitur poſt SC. municipiis hereditas per fideicommiſſum reſtitui poteſt, ita tamen ut municipes, quibus reſtituetur hereditas, actorem eligant ad agendum & defendendum; *l. 27. in princ.* quia municipes ſeu univerſitates per ſe agere vel excipere non poſſunt, ſed per actorem vel ſyndicum; *l. 1. quod cujuscumq. univerſ.*

§. ſi ſervum, d. l. 27.

Titius heres inſtitutus, & rogatus reſtituere hereditatem, ſuſpectam dixit hereditatem, & coactus adiit: ante reſtitutam hereditatem Stichum ſervum hereditarium juſſit adire hereditatem ab alio eidem ſervo relictam, & poſtea hereditatem, quam coactus adierat, reſtituit: quærebatur, an etiam eam hereditatem, quæ per ſervum adquiſita ſit, reſtituere deberet? Et Julianus reſpondet *hic*, non magis hanc hereditatem in reſtitutionem venire, quam quod ſervus hereditarius poſt aditam hereditatem ſtipulatus eſſet, aut per traditionem accepiſſet, aut fructus, qui ex rebus hereditariis percepti fuiſſent, utique ſi nulla mora fideicommiſſo facta eſſet. Ratio dubitandi erat, quod heres qui coactus adiit, omne commodum amittit ex ea hereditate; *l. 4.* † ſupr. *h. tit.* Ergo videbatur dicendum, heredem, qui coactus adiit hereditatem, non poſſe retinere hereditatem per ſervum quæſitam, neque fructus ex rebus hereditariis perceptos, ſaltem poſt coactam aditionem. Ratio decidendi eſt, quod heres, qui ſemel coactus adiit, non amittit hereditatem per ſervum quæſitam, non magis quam fructus ex rebus hereditariis perceptos poſt aditam hereditatem,

Digitized by Google

etſi coactus adierit, ſi nulla mora facta ſit fideicommiſſo, quia fructus percepti ante moram, negligentia petentis fideicommiſſarii, non judicio defuncti percepti videntur; *l. in fideicommiſſaria, init. l. mulier* 22. §. *ſi heres*, ſupt. *h. tit.* Qui coactus adiit amittit quartam, fructus retinet pro cultura & cura, quos ſuo ſumptu & opera percepit. Neque heres, qui ſuſpectam dixit, videtur eſſe in mora, etſi coactus adierit, quia moram feciſſe non videtur fideicommiſſo, qui ſuſpectam dixit, & coactus adiit, ſi poſtea moram non fecerit in reſtituendo fideicommiſſo; quia hereditatem ſuſpectam dixit, non ut moram faceret fideicommiſſo, ſed ne damno adficeretur; *d. l.* 4. Sed ſi heres inſtitutus, & rogatus coactus adierit, ſi quid ante aditam hereditatem ſervus hereditarius ſtipulatus fuiſſet, aut per traditionem accepiſſet, id reſtitui debebit, ſicut fructus ante aditam hereditatem percepti in reſtitutionem venient, quia augent hereditatem; *l. in falcidia* 9. *ad leg. falcid.* & fructus inventi in hereditate in reſtitutionem veniunt, non tamquam fructus, ſed tamquam pars hereditatis; *l. centurio, de vulgar. & pupillar.*

§. *qui ſuſpectam.*

HEres inſtitutus, qui ſuſpectam dicit, & coactus adit hereditatem, omne commodum ex ea hereditate amittit, nec quartam detrahit; *l.* 4. ſupr. *h. tit. l. ſi patroni*, §. *quid ergo*, *verſ. adeo*, infr. *h. tit.* Et ſi ſubſtitutus ſit filio impuberi hoc modo, *quisquis mihi heres erit*, *idem filio meo heres eſto*, non modo hereditatem paternam, ſed etiam pupillarem, quæ ad eum ex ſubſtitutione pervenit, reſtituere cogitur. Quod ſi detracto hoc articulo, *quisquis mihi heres erit*, ſubſtitutus ita ſit, *Titius filio meo impuberi heres eſto*, hoc caſu, ſi ſolus patri heres extiterit, quamvis hereditatem paternam ſuſpectam dixerit, nihilominus cogendus erit hereditatem pupilli reſtituere: quod ſi adſit coheres, isque adierit hereditatem; pupillo ſubſtitutus, repudiata hereditate patris, pupillarem ex ſubſtitutione retinere poteſt, quia potuit coherede adeunte pro ſua parte, quamvis ipſe patris omiſiſſet hereditatem, ex ſubſtitutione adire, ex *hoc* §. & *d. l. ſi patroni*, §. *quid ergo*, *verſ. adeo*. Heres inſtitutus, idemque ſubſtitutus filio impuberi, ſi ſolus ex aſſe heres inſtitutus ſit, repudiata patris hereditate, pupillarem quoque reſtituere cogendus eſt, quia hoc caſu hereditas patris & filii una eſt, & deſtituto teſtamento paterno, pupillare evaneſcit; *l. ſed ſi plures*, §. *filio impuberi*, † §. *ſi ex aſſe*, ſupr. *de vulgar. & pupillar.* Alias pupillo ſubſtitutus, repudiata hereditate patris; pupillarem reſtituere poteſt, ſi adſit coheres, quia coherede adeunte teſtamentum patris ſuſtinetur; *l. apud Julianum*, §. *idem Julianus*, ſupt. *h. tit. l. quæſitum*, ſupr. *de adquir. hered.*

§. *ſi pater.*

SI filiusf. a patre inſtitutus ſit, rogatusque hereditatem reſtituere, ac deinde ſuſpectam dicat, nihilominus poterit hereditas reſtitui ex *Trebelliano*, ita ut quamvis filius ſe non immiſcuerit hereditati, actiones tamen, quæ ei & in eum competebant, in fideicommiſſarium transferantur, ex *hoc* §. Non quæritur, an filiusfamilias inſtitutus, qui ſuſpectam dicit, cogatur adire, quia ſui heredes ſuſpectam hereditatem dicentes, non compelluntur ſe immiſcere, ſed citra immixtionem fit reſtitutio & translatio actionum ex *Trebelliano*: & in hoc diſcrepant filiif. a ſervis cum libertate heredibus inſtitutis, & de reſtituenda hereditate rogatis; *l. recuſare*, §. † *meminiſſe*, ſupr. *h. tit.* Et quidem filius, qui in poteſtate eſt, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, non eſt cogendus ſe immiſcere, quia nuda exiſtentia ſui heredis confirmatur fideicommiſſum, quamvis ſe abſtineat, quod ſuus heres, quamvis ſe abſtineat, non deſinat eſſe ſuus

† Corrige §. *ſed & ad filium*, ubi dicitur, compelli ſe miſcere.

Digitized by Google

ſuus heres; *l. cum quaſi*, §. *ſed etſi ſuus*, infr. *de fideic. libertat.*

§. *a patre*, † §. *quod ſi duo*.

HEres † a patre ſcriptus, & exheredato filio ſubſtitutus, ſi pupillaribus tabulis rogatus fuerit, hereditatem pupillarem, quæ ad eum ex ſubſtitutione pervenerit, Titio reſtituere, & ſuſpectam dicat hereditatem paternam, non eſt cogendus vivo pupillo patris hereditatem adire: primum, quia ſub conditione fideicommiſſum ab eo relictum eſt, ſub conditione ſc. ſi filius impubes deceſſerit: deinde, quia non probe de hereditate viventis pueri aget: ſubaudi fideicommiſſarius poſtulans hereditatem adiri, & reſtitui dum vivit pupillus: mortuo autem pupillo compelletur hereditatem patris adire, ne non adita hereditate fideicommiſſum intercidat, ex *h.* §. † *a patre*. Heres inſtitutus, idemque ſubſtitutus filio impuberi exheredato, & rogatus pupillarem hereditatem reſtituere, ſi ſuſpectam dicat hereditatem paternam, cogitur adire & reſtituere, ut aditione hereditatis paternæ teſtamentum pupillare ſuſtineatur, & ex ſecundis tabulis fideicommiſſum convaleſcat, puta ſi pupillus deceſſerit. Ceterum ſi adhuc vivat pupillus, non eſt locus coactioni: improbus enim eſt qui ſollicitus eſt de hereditate viventis; *l.* 2. §. *interdum*, *de vulgar. & pupillar. l. donari*, §. † 2. *de donat.* Videbatur non valere hæc ratio, propter quam heres inſtitutus, idemque ſubſtitutus filio impuberi exheredato, a quo fideicommiſſum, dicitur cogendus non eſſe vivo pupillo patris hereditatem adire, nempe quia ſub conditione fideicommiſſum relictum eſt, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, pendente conditione compelli poſſit adire hereditatem & reſtituere; *l. apud Julianum*, §. † 2. *verſ. Antiſtia*, *l. ille a quo*, *in princ.*, ſupr. *h. tit.* Sed dicendum eſt ſpeciale eſſe hoc caſu, ut heres inſtitutus & ſubſtitutus filio impuberi exheredato, a quo pupillaribus tabulis fideicommiſſum relictum eſt, ſub conditione ſi pupillus deceſſerit, non poſſit compelli hereditatem adire ante conditionis eventum, quod vivo pupillo inique poſtulet fideicommiſſarius hereditatem adiri & reſtitui; improbus enim eſt, qui cogitat de hereditate viventis. Quod ſi duo heredes a patre inſtituti ſint, & iidem ſubſtituti filio impuberi exheredato, & uterque rogatus ſit exheredati filii hereditatem reſtituere, ſatis erit vel unum cogi adire; hoc enim facto, etiam is, qui hereditatem patris non adiit, cogetur adire, & fideicommiſſario reſtituere hereditatem filii, ex *h.* §. † *quod ſi duo*. Ratio eſt, quia coherede adeunte, ejus aditione teſtamentum ſuſtinetur, ut modo comprobatum eſt in §. *qui ſuſpectam*.

§. *quotiens*.

HUnc §. expoſui in *l. ille*, *a quo*, §. *ſi de teſtamento*, ſupr. *h. tit.* eundem tamen retexam. Quoties filius emancipatus præteritus bonorum poſſeſſionem contra tabulas jam accepit, heres ſcriptus & rogatus de reſtituenda hereditate non compellitur adire & reſtituere hereditatem, ſicut neque præſtare legata aut fideicommiſſa particularia, neque compellitur adire, etiam ſi periculum ſit ne fideicommiſſum intercidat, mortuo herede inſtituto ante aditam hereditatem, & omiſſa a filio bonorum poſſeſſione: ita intelligenda ſunt verba illa, quæ ſunt Marcelli ad Julianum, *ne fideicommiſſum intercidat*, ut acute obſervavit Robert. 3. *animadv. cap.* 20. Neque obſtat *l. ille*, *a quo*, §. † 2. ſupr. *h. tit.* ubi heres compellitur adire, etſi de viribus teſtamenti dubitetur, quia † *ibi* non apparebat quiſquam, qui impugnaret teſtamentum, ſed heres ſolus cauſabatur nullum & irritum eſſe teſtamentum, eoque prætextu recuſabat adire hereditatem. At *hic* heres ſcriptus merito non

Digitized by Google

compellitur adire, quia jam filius bonorum poſſeſſionem accepit. Ait, heredem non compelli adire & reſtituere hereditatem, ſicut neque præſtare legata & cetera fideicommiſſa, ſi jam filius bonorum poſſeſſionem acceperit; reſciſſo enim teſtamento ex cauſa præteritionis per bonorum poſſeſſionem contra tabulas, legata & fideicommiſſa non debentur, niſi exceptis perſonis, puta liberis, parentibus defuncti, uxori nuruique, ſi relicta ſint dotis nomine; *l. 1. in princ.* infr. *de legat. præſtand. contr. tab. l. ex duobus*, §. *ult.* ſupr. *de vulgar. & pupillar.* Hodie vero reſciſſo teſtamento ex cauſa præteritionis vel exheredationis, ſola inſtitutio corruit, cetera vero firma permanent; *auth. ex cauſa*; *C. de liber. præterit. vel exheredat.* Et hoc jure conſervantur legata & fideicommiſſa, tam univerſalia, quam particularia, reſciſſo teſtamento per querelam inofficioſi, aut petita bonorum poſſeſſione contra tabulas, res redit ad cauſam inteſtati; *l. ut liberis*, *C. de collat.* Heres tamen, qui ſuccedit ab inteſtato, tenetur præſtare legata & fideicommiſſa univerſalia & particularia, quia cenſetur tacite rogatus de reſtituenda hereditate; & legata cenſentur tacite repetita ab inteſtati herede.

§. *qui ex Trebelliano*.

Reſtituta hereditate ex *Trebelliano*, actiones directæ manent apud heredem, & utiles tantum transferuntur in fideicommiſſarium; *l. ſi heres pecuniam*, infr. *h. tit.* quia reſtituta hereditate heres ſcriptus non deſinit eſſe heres; §. *reſtituta*, *inſt. de fideic. hered.* Unde heres ſcriptus, etiam reſtituta hereditate, poteſt adhuc conveniri a creditoribus hereditariis, & legatariis, ſicut & poteſt agere contra debitores hereditarios: ſed ſi conveniatur tuetur ſe oppoſita exceptione reſtitutæ hereditatis, ſicut & ſi agat contra debitores hereditarios eadem exceptione reſtitutæ hereditatis repellitur, ex *hoc* §. Reſtituta hereditate, in fideicommiſſarium transferuntur hereditariæ actiones, quas heres habuit tempore reſtitutæ hereditatis, etiam ex actiones, quæ erant ſub conditione vel iu diem, ex *hoc* §. quia conditio quandocumque exiſtens retro trahitur; *l. ſi filiusf.* infr. *de V. O. l. quod dicitur*, ſupr. *de teſtam. milit.* Reſtituta hereditate ex *Trebelliano*, actiones hereditariæ ipſo jure transferuntur in fideicommiſſarium; ſed ſi quas actiones heres de novo adquiſierit poſt aditionem: puta ſi nomina contraxerit ex pecunia hereditaria, reſtituta hereditate actiones non transferuntur in fideicommiſſarium ſine ceſſione; *d. l. ſi heres pecuniam*. Sed ante reſtitutam hereditatem, ſi heres agat vel conveniatur a legatariis vel creditoribus hereditariis, exceptione aliqua adjuvandus non eſt: puta non poteſt ſe tueri exceptione reſtituendæ hereditatis, cum hoc minus ex cauſa fideicommiſſi reſtituturus ſit, ut ſubjicitur in *fin. h.* §. id eſt in reſtituenda hereditate heres deducat æs alienum, & legata, ſi quæ ſolvit, & eo minus ex cauſa fideicommiſſi reſtituat, propter deductiones æris alieni.

§. *Trebellianum*, † §. *quare*, §. *quod ſi Mævius*.

SC. *Trebellianum* locum habet in fideicommiſſo univerſali, non particulari; quoad detractionem quartæ, jus transferendarum actionum, & remedium coactionis. Et hoc eſt quod dicitur in *l. mulier* 22. §. *ult.* ſupr. *h. tit.* ut *Trebelliano* locus ſit, non ſufficit de hereditate rogatum, ſed quaſi heredem rogari oportet. Et in *h.* §. † *Trebellianum*, SC. *Trebellianum* locum habere dicitur, quoties quis hereditatem vel totam, vel pro parte, id eſt univerſam hereditatem, vel quotam hereditatis reſtituere rogatus eſt. Quare ſi Mævius te heredem inſtituerit & rogaverit, ut hereditatem Titii, a quo forte erat inſtitutus, reſtituas, tuque vero hereditatem Mævii adieris, perinde a te petitur fideicommiſ-

miſſum Titianæ hereditatis, ac ſi fundum, qui tibi a Titio legatus eſſet, reſtituere rogatus fuiſſes, quia hereditas Titii eſt velut fundus hereditatis Mævii, non pars ſeu quota hereditatis. Ideoque ſi Mævianam hereditatem ſuſpectam dixeris, cogi te non oportet eam adire & reſtituere, quia rogatus non es de hereditate Mævii reſtituenda, ſed tantum de hereditate Titii, & perinde eſt ac ſi rogatus eſſes reſtituere certum fundum, vel rem, quo caſu non eſt locus coactioni; † *ex h. §. quare, & l. cogi, §. † & generaliter*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi Mævius te rogaverit & ſuam, & Titianam hereditatem reſtituere, tuque ſponte adieris hereditatem, locus erit detractioni quartæ, & quartam Mævianæ hereditatis retinebis, & dimidiam & quartam ex fideicommiſſo reſtitues, id eſt dodrantem. Quarta dicitur tantum detrahi de Mæviana hereditate, non de hereditate Titiana, quia quarta non detrahitur ex fideicommiſſo hereditatis Titianæ, tamquam ex fideicommiſſo particulari; *d. l. mulier, §. ult.* Nec refert, an eidem utramque hereditatem, an alii Mævianam, alii Titianam rogatus fueris reſtituere, ſed ſi eodem caſu Mævianam hereditatem ſuſpectam dixeris, cogeris † eam adire & reſtituere cui rogatus fueris: is autem, cui Titianam hereditatem reſtituere rogatus fueris, non poterit te compellere ad adeundum, ex *h. §.* † *quod ſi Mævius*, quia, ut dixi, SC. *Trebellianum* locum non habet in fideicommiſſo Titianæ hereditatis, velut in fideicommiſſo particulari.

§. *ſi ex Trebelliano*.

ETiam herede rogato hereditatem reſtituere, aditione hereditatis confuſæ ſunt actiones; *l. 1. & pen. C. de hered. act. l. ſcimus, §. in computatione, C. de iur. deliber.* Sed quæſtio eſt, an actiones per aditionem confuſæ, reſtituta hereditate reſtituantur, ſive redintegrentur, ſi heres totam hereditatem reſtituere rogatus, hereditatem ex parte reſtituerit, & prædium aliquod hereditarium retineat, vel fructus forte in hereditate inventos, puta perceptos mortis tempore, aut poſt moram fideicommiſſo factam, ſive debitor fuerit defuncti, neceſſarium eſt fideicommiſſario in heredem actionem dari, ex *hoc §.* Sed quænam actio dabitur fideicommiſſario? nimirum actio fideicommiſſi ex teſtamento, quæ datur fideicommiſſi nomine, quaſi non plene heres reſtituerit, ut notat *gloſſ.* ex *l. deducta, & l. debitor*, infr. *h. tit.* Hoc caſu etiam utile eſt judicium familiæ erciſcundæ inter heredem & fideicommiſſarium, ſicut inter coheredes, ex *hoc §. verſ. Marcellus, l. ſed & ejus, §. 1. l. ſi ex aſſe*, † ſupr. *famil. erciſc.* quia fideicommiſſarius quodammodo in partem hereditatis recipitur, & habetur heredis loco; *l. poſtulante, §. 1.* infr. *h. tit.* Fideicommiſſario dari poteſt & condictio ſine cauſa, quod res ſine cauſa ſit apud heredem poſt reſtitutionem hereditatis. Non datur fideicommiſſario fideicommiſſaria hereditatis petitio contra heredem, quia fideicommiſſaria hereditatis petitio non datur fideicommiſſario contra heredem, ut fideicommiſſum reſtituat; ſed reſtituta hereditate † datur fideicommiſſario contra alium hereditatis poſſeſſorem, pro herede, aut pro poſſeſſore poſſidentem; *l. ult. §. 1.* ſupr. *de fideicommiſſ. hered. petit.* Si heres rogatus ſit reſtituere hereditatem, idemque ſit debitor defuncti, aditione hereditatis ſemel confuſæ actiones, per *Trebellianum* redintegrari non poſſunt reſtituta hereditate, quia obligatio & actio ſemel extincta non reviviſcit; *l. qui res, §. aream, de ſolut.* ſed pecuniæ debitæ dodrans ex cauſa fideicommiſſi petendus eſt; *d. l. deducta*. Ex quo apparet, actionem fideicommiſſi ex teſtamento dandam eſſe fideicommiſſario, ut quod deeſt fideicommiſſo reſtituatur, & fideicommiſſum petatur poſt reſtitutionem, ac ſi nulla ex parte reſtitutum eſſet. Quod ſi creditor pigneratitius, idemque heres debitoris, hereditatem reſtituere rogatus ſit, aditione hereditatis confuſa quidem eſt obligatio, id eſt obligatio perſonalis, ſed pignoris obligatio, quæ eſt

Digitized by Google

realis, ſupereſt, ideoque etiam reſtituta hereditate, creditori competit pignoris retentio, vel perſecutio *; l. debitor*, infr. *h. tit.* quia pigneratitia actio propriam legem & conditionem habet, ut non ſolvatur quoad pecunia ſoluta ſit; *l. grege*, §. *etiam*, *de pignorib. l. pen.* §. 1. infr. *de except. rei judicat.* Aditio autem hereditatis, etiam cum debiti confuſionem inducit, tamen ſolutionis loco non ſemper eſt *; l. Stichum*, §. †*aditio*, infr. *de ſolut.*

§. *qui rogatus*.

SI Titius heres inſtitutus ſit, filio emancipato præterito, idemque Titius rogatus ſit reſtituere hereditatem filio emancipato, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, poſtulante filio, poteſt cogi adire & reſtituere, quamvis filius emancipatus præteritus bonorum poſſeſſionem contra tabulas accipere poſſit, ex *hoc* §. quia nihil refert qua via filius conſequatur hereditatem, dummodo conſequatur *; l. ſi mater*, *C. de inſtit. & ſubſtit.* Alias heres rogatus de reſtituenda hereditate filio emancipato præterito cogendus non eſſe adire & reſtituere, ſi filius præteritus bonorum poſſeſſionem contra tabulas jam acceperit; qui enim oppugnat voluntatem defuncti, non debet ex ea commodum conſequi *; l. quæſitum*, ſupr. *de adquir. hered.* Filio emancipato præterito datur bonorum poſſeſſio contra tabulas, licet hereditas ei ab herede ſcripto per fideicommiſſum relicta ſit, quia filius dicitur præteritus, licet hereditas ei per fideicommiſſum relicta ſit; liberi enim directe inſtituendi ſunt, vel exheredandi; *inſt. de exhered. liber. in princ. nov.* 115. *cap.* 3. Et portio legitima liberis pure relinquenda eſt titulo inſtitutionis, non per modum donationis, legati, vel fideicommiſſi, ne locus ſit querelæ inofficioſi: unde ſi extraneus heres inſtitutus ſit, & rogatus reſtituere hereditatem filio poſt mortem vel in diem, quarta ſeu legitima filio pure debetur, quia portio legitima non recipit diem vel conditionem: reliquum autem, quod excedit legitimam portionem, reſtituetur cum conditio vel dies exſtiterit *; l. ſcimus*, §. *cum autem*, *C. de inoff. teſt.*

§. *ſi patronus*.

Hunc §. expoſui in *l. nam quod*, §. *qui compulſus*, ſupr. *h. tit.*

§. *ſi præceptis*, † §. *ſed ſi eidem*.

SI heres ſcriptus, præceptis certis rebus, rogatus hereditatem reſtituere, coactus eam adierit, amittit præceptionem, quinimmo perdit quartam & omne aliud commodum, ex *h.* §. † *ſi præceptis*, *l.* 4. ſupr. *l. ſi patroni*, §. *adeo*, infr. *h. tit.* quia judicio defuncti indignus eſt, qui ejus voluntatem deſtituit. Sed ſi eidem legatum ſit ſub conditione, ſi heres non eſſet, & ſuſpectam hereditatem dicat, non aliter cogendus eſt adire, quam ut legatum ſub conditione, ſi heres non eſſet, ei præſtetur: non quidem a coheredibus, ne onerentur; ſed a fideicommiſſario, cui reſtituta fuerit hereditas: nam ſicut explendæ fidei gratia cogendus eſt adire; ita ob hoc ipſum damno affici † non debet, ex *h.* §. † *ſed ſi eidem*, *l. apud Julianum*, *in princ.* ſupr. *h. tit.* Heres rogatus reſtituere hereditatem, ſi eam ſuſpectam dicat, non amittit legatum relictum ſub conditione, ſi heres non eſſet, quia non impugnat judicium defuncti, qui potuit non adire ex voluntate defuncti, & cui legatum relictum eſt in hunc caſum, ſi heres non eſſet, quinimmo ſi filiusf. pro parte inſtitutus abſtineat hereditate, non amittit legatum eodem teſtamento relictum, quia non videtur impugnare judicium defuncti, qui conſulto abſtinuit, ne oneribus hereditariis implicaretur *; l. qui filiabus*, §. *ult. l. filio pater*, ſupr. *de legat.* † 1.

§. *heres*

Digitized by Google

§. *heres ex aſſe*.

SI heres ſcriptus rogatus ſit, partem hereditatis ſtatim Mævio reſtituere, & alteram partem eidem poſt mortem ſuam, ac præterea ab eo legata aliis relicta ſint, & partem hereditatis ſtatim Mævio reſtituerit, & ſolida legata præſtiterit, interpoſita cautione, quod amplius, quam per *legem falcidiam* ſolutum ſit, reddi: ſi quod ſupereſt ſupra quadrantem non efficiat alteram dimidiam hereditatis, quæ reſtituenda eſt, ex fructibus medio tempore perceptis id ſupplendum eſt Mævio: ſi vero fructus quantitatem partis dimidiæ, quæ reſtituenda eſt, excedant, id quod excedit penes heredem remanet, cum quarta & fructibus ejus: & hoc eſt quod intelligitur his verbis h. §. *Si vero fructus quantitatem partis dimidiæ exuperant: quadranti tuo & fructibus ejus accedet*: at ſi fructus non impleat modum partis dimidiæ, ex ſtipulatu agi poterit, ex ſtipulatione ſc. interpoſita, ſi cui plus, quam per *falcidiam* liceret, ſolutum ſit, redditum iri, agitur contra legatarios, ut quarta revocetur de legatis, ex *hoc* §. nempe pro rata; ſi enim non ſufficiunt fructus, quarta detrahitur pro rata, tam de legatis, quam de fideicommiſſo univerſali; *l. qui quadringenta*, *l. Marcellus*, ſupr. *h. tit.* Quod dicitur, fideicommiſſum, ultra vires hereditatis relictum, ſupplendum eſſe de fructibus, dubitatione non carebat, quod fructus hereditatis non veniunt in reſtitutione fideicommiſſi: ſane heredi imputantur in quartam, ſed quatenus ſunt ſupra quartam cedunt lucro heredis; *l. in fideicommiſſaria*, ſupr. *h. tit.* Ergo videbatur dicendum, fideicommiſſum, ultra vires relictum, non eſſe ſupplendum de fructibus: ſed verum eſt, fructus quidem medii temporis non venire in reſtitutionem fideicommiſſi, ſed cedere lucro hereditatis: verum excipiuntur duo caſus. Primus eſt, ſi heres ſpecialiter rogatus ſit & fructus reſtituere; *d. l. in fideicommiſſaria*. Secundus eſt, ſi fideicommiſſum ultra vires hereditatis ſit relictum, tunc, quia ultra vires eſt relictum, ſuppletur de fructibus, quia fideicommiſſum ultra vires relictum habet tacitam conditionem, ut ſuppleatur de fructibus, ut in hoc caſu.

L. 28.

SI heres inſtitutus ex aſſe partem hereditatis mihi pure, partem tibi ſub conditione reſtituere rogatus ſit, & ſuſpectam hereditatem dixerit, ac me poſtulante coactus adierit, & totam hereditatem mihi ex SC. reſtituerit: quæritur, an poſtea exiſtente conditione, fructus partis tuæ reſtituere tibi debeam? Et Africanus ait *hoc loco*, hac de re non immerito dubitari: cur? quia interim fructus teſtator lucrari heredem voluit, non me; ſed noluit etiam te: & ideo obtinuit, non debere eos tibi me reſtituere, quia nec ab herede ipſo reſtituerentur, ſi hereditatem ſponte adiiſſet: atque ita qui fructus heredis lucro cederent ſi ſua ſponte adiiſſet, eo coacto adire & reſtituere, cedent lucro cogentis, cujus periculo adita eſt hereditas, & ſatis erit jus tuum tibi integrum conſervari, non etiam meliorem tuam conditionem fieri, adjectis fideicommiſſo fructibus ante conditionem fideicommiſſi perceptis, † *ex init. h. l.* Quod ſi heres ex aſſe inſtitutus mihi quadrantem pure, tibi quadrantem ſub conditione reſtituere rogatus ſit, & cogente me adierit, & aſſem mihi reſtituerit, quandocumque exiſtente conditione ſemiſſem retinebo, & alterum ſemiſſem tibi reſtituam, ex † §. 1. *h. l.* pars enim hereditatis, quæ debebat remanere apud heredem, ſi ſponte adiiſſet, id eſt ſemis, adcreſcit mihi & tibi pro rata; jus adcreſcendi enim locum habet inter fideicommiſſarios, ſicut inter coheredes; *l. Papinianus*, infr. *h. tit.* Sed nec eodem caſu, reſtituendo ſc. tibi ſemiſſem, ego detraham quartam, quia nec ipſe heres modo eam detraheret,

cum coactus adierit, ex † §. *ult. h. l.* Neque obſtat *l.* 1. §. *inde Neratius*, ſupr. *h. tit.* ubi quandoque fideicommiſſarius primus detrahit *falcidiam* a ſecundo, quia hic non eſt ſecundus, ſed ſocius eodem gradu, ut recte notat *gloſſa hoc loco*.

L. 29.

SI quis, priore facto teſtamento, poſterius fecerit, eoque ex certis duntaxat rebus heredem inſtituerit, ſuperius teſtamentum rumpetur, ex reſcripto D. Severi & Antonini, cujus verba referuntur *hic*, & §. *ſed & ſi quis*, *inſt. quib. mod. teſt. infirm.* Ratio dubitandi erat, quod videbatur prius teſtamentum non infirmari poſteriore teſtamento, in quo heres ex certis rebus inſtitutus ſit, quia inſtitutus in re certa, legatarii loco eſt; *l. quotiens*, *C. de hered. inſt.* Ratio decidendi, cur prius teſtamentum rumpatur poſteriore, in quo ex certa re inſtitutus ſit, eſt, quod inſtitutus ex certa re, non adjecto coherede, ex toto aſſe inſtitutus videtur, & inſtitutio certæ rei valet in univerſum, perinde ac ſi rerum mentio facta non eſſet, ut dicitur *hoc loco*. Et hoc eſt quod repetitum eſt in *l.* 1. §. *ſi ex fundo*, ſupr. *de hered. inſt. l. coheredi*, §. *ult. de vulgar. & pupillar.* ſi quis ex fundo ſolo inſtitutus eſſet, valere inſtitutionem, detracta fundi mentione: verumtamen ſi poſteriore teſtamento, per fideicommiſſaria verba teſtator expreſſit velle ſe prius valere, ex eodem reſcripto tenetur heres ſcriptus, ut contentus rebus ſibi datis, aut, ſuppleta quarta ex lege *falcidia*, hereditatem reſtituat his, qui priore teſtamento fuerant inſtituti, ex *h. l.* & *d.* §. † *ſed & ſi quis*. Ratio dubitandi erat, quod facto poſteriore teſtamento, voluntas teſtatoris non poteſt efficere, ut prius valeat, quia non poteſt quis decedere cum duobus teſtamentis, niſi ſit miles; *l. quærebatur*, *de teſt. milit.* Ratio decidendi eſt, quod quoties teſtator poſteriore teſtamento fideicommiſit, ut prius valeat, prius teſtamentum non valet jure teſtamenti, ſed jure codicillorum, & teſtamentum convertitur in cauſam fideicommiſſi, ut inſtitutus in poſteriore teſtamento, contentus certis rebus, in quibus fuit inſtitutus, reſiduum reſtituat inſtituto in priori, quaſi tacite rogatus ſit id ei reſtituere: & hoc valet etiam in teſtamento militis; *d. l. quærebatur*, ubi ſi miles duo teſtamenta fecerit, prius non rumpitur per poſterius, ſi hoc ſpecialiter expreſſerit: ſed ſi poſteriore teſtamento fideicommiſerit, ut prius valeret, teſtamentum prius convertitur in cauſam fideicommiſſi. Et reſcriptum Severi & Antonini ita intelligendum eſſe ait Marcianus in *hac l.* niſi quid contrarium ſpecialiter in ſecundo teſtamento ſcriptum ſit: puta ſi poſtquam generaliter cavit poſteriore teſtamento, ſe velle, ut prius teſtamentum valeret, ſpecialiter ademit aliquam rem relictam inſtituto priore teſtamento; generalis enim confirmatio non pertinet ad id quod ſpecialiter ademptum eſt; *arg. l. doli*, *de V. O.*

L. 30.

SI legatus provincialis vel municipalis, Romam miſſus publici negotii cauſa, heres inſtitutus & rogatus de reſtituenda hereditate, hereditatem ſuſpectam dicat, etiam tempore legationis compellendus eſt accipere judicium, id eſt litis conteſtationem ſubire, de adeunda hæreditate, quia non multum legationis officio occupatur. Et licet petat tempus ad deliberandum, cogendus eſt adire: ſed non ut ſtatim reſtituat: ſed domum reverſus, finita ſc. legatione, ſi putaverit ſibi expedire, commodo *falcidiæ* vel teſtamenti utatur; vel ſi non putaverit, totam hereditatem reſtituat, ne onera hereditaria patiatur, ex *init. h. l.* lex ait, legatum, ſi hereditatem ſuſpectam dicat, etiam tempore legationis compelli judicium accipere. Ratio dubitandi erat, quod legati provinciales, ſi Romæ conveniantur, domum revocandi jus habent, nec coguntur Romæ judicium

dicium accipere *; l. 2. §. omnes* , ſupr. *de judic. l. tutor pupilli* , *§. ult. de jurejur.* Ratio decidendi eſt , legatus , ſi ſuſpectam hereditatem dicat , etiam tempore legationis cogitur Romæ judicium accipere , quia ſummarium judicium eſt , nec pleniorem cognitionem deſiderat : vel forte in ea re , de qua agebatur , levior fuit & minus negotioſa legatio , ut intelligere eſt ex his verbis , *quia hic non multum officio occupatur*. Alias legatus tempore legationis non poteſt Romæ conveniri , ne a ſuſcepto legationis officio avocetur , ne legatio impediatur , ut ſcriptum eſt *in l. non alias* , *§. ult. l. de eo* , ſupr. *de judic.* Petenti datur tempus ad deliberandum , ita ut interim cogatur adire , ſed non prius reſtituar , quam legatione perfunctus ſit . Et tunc ſi putaverit ſibi expedire aditam eſſe hereditatem , retineat quartam *Trebellianicam* , quia poſt deliberationem adeundo & reſtituendo , vel interim aditam hereditatem reſtituendo, videtur non coactus adiiſſe *; l. 9. §. 2.* ſupr. *h. tit.* Quod ſi legato reipublicæ cauſa tempore legationis reſtituatur hereditas ex *Trebelliano* , id eſt ex cauſa fideicommiſſi , actiones hereditariæ in eum non dantur , non poteſt conveniri a creditoribus hereditariis vel legatariis , perinde ac ſi ipſe adiiſſet hereditatem *; l. ſed & ſi reſtituatur , eod. tit. † de judic.*

§. ſi quis bona .

SI paterſ. heredem rogaverit bona ſua vel omnia ſua reſtituere , fideicommiſſariam reſtitutionem eſſe intelligendum eſt , id eſt reſtitutio fit ex SC. *Trebelliano* , utpote in fideicommiſſo univerſali : nam meorum & tuorum appellatione, etiam actiones continentur , ex *hoc §. l. nam quod* , *§. ult.* ſupr. *h. tit. l. meorum* , infr. *de V. S.* id eſt bonorum ſeu meorum & tuorum appellatione continentur , non modo bona mobilia & immobilia , ſed etiam actiones , quod eſt tertium genus bonorum , ut intelligas fideicommiſſum eſſe univerſale .

§. ſi filiof.

SI filiof. vel ſervo alieno quis rogatus fuerit reſtituere hereditatem , non recte hereditas eis reſtituitur , ignorante vel invito patre dominove : ſed ſi poſtea pater vel dominus ratum habuerit , ex *Trebelliano* tranſeunt actiones in fideicommiſſarium , ex *hoc* §. quod repetitum eſt in *l. ſervo invito* , infr. *h. tit.* In reſtitutione fideicommiſſi , juſſum patris vel domini præcedere neceſſe eſt : ſufficit tamen ratihabitionem ſubſequi . Idem in bonorum poſſeſſione delata filiof. *l. ult. §. 1.* infr. *quis ord. in poſſ. ſerv. l. 1. C. qui admitt. ad bon. poſſ.* Secus filiof. vel ſervo non licet adire hereditatem ſine præcedente juſſu patris vel domini , & aditio ſine juſſu patris vel domini facta non convaleſcit , ſi poſtea pater vel dominus ratum habeat *; l. qui in aliena* , *§. 1. l. ſi quis mihi bona* , *§. juſſum* , ſupr. *de adqu. hered.* quia hereditatis aditio eſt actus ſolemnior , & requirit juſſum præcedentem .

§. multum intereſt .

MUltum intereſt , utrum pars quarta jure hereditario retineatur , an vero in re vel pecunia : nam priore caſu actiones dividuntur inter heredem , & fideicommiſſarium : poſteriore vero actiones in ſolidum transferuntur in fideicommiſſarium , ex *hoc* §. id eſt multum intereſt , utrum heres rogatus ſit reſtituere hereditatem deducta quarta ſimpliciter ; an vero rogatus ſit reſtituere hereditatem deducta re vel pecunia , puta fundo vel certa quantitate pecuniæ . Priore enim caſu , id eſt cum heres rogatus eſt reſtituere hereditatem deducta quarta , reſtituta hereditate actiones ex *Trebelliano* dividuntur inter heredem &

fideicommiſſarium, ita ut pro quadrante remaneant apud heredem, quia hoc caſu quartam deducit jure hereditario, id eſt quaſi heres, pro dodrante transferuntur in fideicommiſſarium. Poſteriore † vero caſu, id eſt cum heres rogatus eſt reſtituere hereditatem, præcepta re certa vel ſumma, actiones in ſolidum ex *Trebelliano* transferuntur in fideicommiſſarium, quia res vel pecunia, quæ manet apud heredem vice quartæ ſine ullo onere hereditario, quaſi ex legato ei quæſita eſt: quam diſtinctionem recte expoſuit Juſtinianus in §. *ſi quis una*, *inſt. de fideic. hered.* Hoc autem indubitati juris eſt, actiones hereditarias non tranſire in legatarios, ſed tantum in heredem, vel eum, qui vice heredis eſt; *l.* 1. §. *ſi heres*, ſupr. *h. tit.* † *l. ult. C. de hered. act.*

§. *ſi Princeps*, *al.* §. *& heres*, † §. *ſed & ſi.*

SI Princeps heres inſtitutus ſit, ut fert vulgata lectio, & rogatus hereditatem reſtituere, præcepta certa re vel ſumma, etiam ſi in præceptione minus ſit quarta, non amplius Princeps vindicaturus eſt, præceptio quidem imputatur in quartam; *l.* 1. §. *ſi heres*, ſupr. *h. tit.* etſi minus ſit in præceptione, quod deeſt quartæ ſuppletur ex ceteris rebus. Hoc jure Princeps ſi vellet, poſſet deſiderare quartam ſibi ſuppleri, quia Princeps, cum heres inſtituitur, non debet eſſe deterioris conditionis, quam privatus, cum non ſit melioris; Princeps enim in lucro ex alienis teſtamentis jure communi utitur; *l. digna vox*, *C. de legib. l.* † *ſi quis Imperatorem*, *C. qui teſt. fac. l. ex imperfecto*, *C. de teſtam.* ut & in contractibus; *l. donationes*, *C. de donat. int. vir. & uxor.* Tamen ſi Princeps heres inſtitutus ſit, & rogatus reſtituere hereditatem, præcepta aliqua re vel ſumma, etiam ſi hujuſmodi præceptio quartam non adæquet, non ſolet amplius vindicare, quia facilius jus fiſci, quam privatorum remittitur; *l. non puto*, infr. *de jur. fiſc.* quod Principem decent liberalitas & humanitas; *l. imperialis*, *C. de nupt. l. fin. C. de don. inter vir. & uxor. l. cum multa*, *C. de bon. quæ liber.* Sed & ſi Princeps heres inſtitutus ſit, rogatusque ſine ulla præceptione ſeu retentione quartæ hereditatem reſtituere, plerumque quarta donata id eſt remiſſa eſt a Principibus, ut proponitur *in* † §. *ſed & ſi*. Ante *Trebellianica* non potuit vetari; *l. qui totam*, infr. *h. tit.* exemplo falcidiæ; *l. Seius & Agerius*, ſupr. *ad leg. falcid.* niſi annuente Principe, ut in hoc caſu ſi Princeps heres inſtitutus ſit, rogatusque hereditatem reſtituere omiſſa quarta, Princeps quartam remittere ſolet, quia Principem heredem inſtitui invidioſum eſt; *l. pen.* ſupr. *de hered. inſtit.* vel favore libertatis; *l. decem*, infr. *de fideic. libertatib.*

† Add. in terminis *l. cum heredes*, *C. eod. tit.*

L. 31. *in princ. &* §. 1.

SI Sticho pure libertas & eidem hereditas ſub conditione per fideicommiſſum relicta ſit, ſi heres inſtitutus & rogatus reſtituere hereditatem, pendente conditione ſuſpectam dicat hereditatem, cogitur eam adire & reſtituere, & deficiente conditione, libertas ſemel data ei eripi non poteſt, ut oſtenditur in *princ. h. l.* Neque obſtat *l. ita tamen*, §. *a patre*, ſupr. *h. tit.* ubi heres inſtitutus & rogatus ſub conditione hereditatem reſtituere, non eſt compellendus pendente conditione hereditatem adire & reſtituere; quia hoc verum eſt hoc caſu, ubi erant duo heredes inſtituti, unus pure, alter rogatus ſub conditione partem hereditatis reſtituere, & inſtitutus pure adiit hereditatem, tunc coheres rogatus ſub conditione partem ſuam reſtituere, pendente conditione non compellitur adire & reſtituere, quia ceſſat periculum, ne fideicommiſſum intercidat, vel uno adeunte teſtamentum ſuſtinetur. *Hic* vero unus tantum inſtitutus erat, ideo etiam pendente conditione compellitur adire. Si autem Sti-

.cho

Digitized by Google

cho libertas in diem, hereditas per fideicommiſſum pure relicta ſit, & heres inſtitutus, rogatusque Sticho hereditatem reſtituere, ſuſpectam dicat hereditatem, interim ante diem non cogitur eam adire, quia non poteſt non dum libero hereditas reſtitui, nec rurſus libertas præſtanda eſt contra voluntatem defuncti, ut ſcriptum eſt in §. 1. *h. l.* libertas enim ab herede præſtaretur contra voluntatem defuncti, ſi præſtaretur ante diem, ut recte notat *gloſſ. h. loc.*

§. *ſi ſub conditione*.

SI heres ſub conditione inſtitutus, rogatusque hereditatem reſtituere, ſuſpectam hereditatem dicat, atque ideo conditioni parere nolit & hereditatem adire, ſi conditio eſt facti, id eſt conſiſtit in faciendo, puta, *ſi Capitolium aſcenderit*, cogitur implere conditionem, & adire & reſtituere: quod ſi conditio in dando conſiſtat, puta ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione, *ſi centum daret*, Caio offerente fideicommiſſario pecuniam, cogetur heres adire & reſtituere hereditatem: *lex* ait offerente fideicommiſſario, quia conditiones dandi facile per alium impleri poſſunt; *l. Areſtuſa*, ſupr. *de ſtat. homin.* Sed & cum conditio conſiſtit in facto, ſi heres ſuſpectam hereditatem dicat, & conditionem implere recuſet, fideicommiſſarius poterit hujusmodi conditionem implere, ſicut dictum eſt, eum poſſe implere conditionem dandi: & hoc eſt quod volunt verba *h.* §. *Recuſante autem herede factum adimplere*, & tunc, ſi fideicommiſſarius hujusmodi conditionem facti impleverit, cogetur heres hereditatem adire & reſtituere, ut ſubditur in *hoc* §. Et hæc videntur adjecta a *Trebelliano*, nam jure civili, conditiones, quæ ſunt facti, non poſſunt impleri per alium, quia perſonæ cohærent; *l. Stichum*, §. *ult.* infr. *de ſtatulib. l. inter artifices*, *de ſolut.* facilius conditiones dandi per alium impleri poſſunt, quia conditio dandi nudam & momentaneam operam ſeu præſtationem requirit. Conditio vero facti afficit perſonam ejus, cui adſcripta eſt, operam & induſtriam requirit, ut ſi conditio facti talis impoſita ſit, ſi inſulam vel monumentum ædificaverit; *d. l. inter artifices*. Primus Juſtinianus conſtituit, conditiones, ſive in dando ſive in faciendo conſiſtant, per alium impleri poſſe, ut in *l. unic.* §. *ne autem*, *C. de caduc. tollend.* cum conſtituit, legatum ſub conditione, vel certo onere, implendi conjunctim duobus relictum, ſi unus repudiet portionem legati, pars deficientis adcreſcit collegatario cum ſuo onere, id eſt cum onere implendi conditionem, ſive in dando, ſive in faciendo conſiſtat. Quo ſe referens Tribonianus, conditiones heredi adſcriptas, herede recuſante, per fideicommiſſarium impleri poſſe ſcripſit, quod a vetere jurisprudentia nimis alienum eſt; conditiones enim implendæ ſunt quomodo teſtator juſſit, &, ut interpretes loquuntur, in forma ſpecifica; *l. qui heredi*, *in princ.* & §. 1. ſupr. *de condit. & dem.* unde fit, ut conditiones facti, quæ heredi adſcriptæ ſunt, vix per fideicommiſſarium impleri poſſint, quia hujusmodi conditiones perſonæ cohærent: ſed quia nemo præciſe cogi poteſt ad ea quæ ſunt facti, rei expediendæ cauſa introductum eſt, ſi heres ſub conditione inſtitutus, rogatusque hereditatem alii reſtituere, ſuſpectam hereditatem dicat, & conditionem implere recuſet, conditionem, ſive in dando ſive in faciendo conſiſtat, impleri poſſe per fideicommiſſarium, & poſt impletam conditionem, heredem cogi hereditatem adire & reſtituere: facilius conſtitutum, conditiones dandi, quæ heredi adſcriptæ erant, per fideicommiſſarium impleri poſſe, quia conditio dandi perſonalem operam non requirit, & ſine incommodo per alium impleri poteſt: atque ita ſi conditio dandæ pecuniæ heredi adſcripta ſit, fideicommiſſarius offeret pecuniam heredi, ut, conditione impleta nummis fideicommiſſarii, heres cogatur hereditatem adire & reſtituere; *l. facta*, §. *ſi dandæ*, infr. *h. tit.* Ceterum, quod ſubditur in *fin. h.* §. conditiones, quæ non

ſunt in poteſtate heredis, ad officium prætoris non pertinere. Conditiones aliæ ſunt caſuales, aliæ poteſtativæ, aliæ mixtæ. Caſualis eſt, cujus eventus pendet ex caſu & fortuna, ut, *ſi navis ex Aſia venerit*: poteſtativa eſt, quæ pendet ex voluntate & poteſtate ejus, cui adſcribitur, ut, *ſi Capitolium aſcenderit*, *ſi decem Titio dederit*: mixta eſt, quæ pendet ex utroque, id eſt ex fortunæ eventu, & voluntate ejus, cui adſcribitur, ut, *ſi Titio poſtliminio reverſo decem dederit*; *l. unic.* §. *ſin autem*, *C. de caduc. tollend. l. ult. C. de neceſſ. ſerv. hered. inſt.* Conditiones, quæ non ſunt in poteſtate heredis, id eſt caſuales, ad officium prætoris non pertinent: id eſt ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione caſuali, qualis eſt illa, *ſi navis ex Aſia venerit*, ad officium prætoris non pertinet cogere heredem, ut eam adimpleat, vel ut pendente conditione hereditatem adeat & reſtituat, ſed expectandus eſt eventus. Conditio caſualis prætoris officio non remittitur, niſi ſit difficilis, id eſt impoſſibilis, aut turpis; *d. l. facta*, §. *ſi ſub conditione*: conditio turpis appoſita inſtitutioni pro non ſcripta habetur; *l. conditiones*, ſupr. *de condit. inſt.*

L. 32.

IN reſtitutione fideicommiſſi, non veniunt fructus, niſi mora facta ſit, vel heres ſpecialiter rogatus ſit & fructus reſtituere; *l. in fideicommiſſaria*, *init.* ſupr. *h. tit.* Tamen ſi filiusf. heres inſtitutus ſit ſub conditione, ſi caverit, quantacumque pecunia ex hereditate bonisve teſtatoris ad ſe pervenerit, eam omnem ad coloniam Philippenſium perventuram, etiam fructus ex hereditate perceptos reſtituere debet, perinde ac ſi ſpecialiter rogatus eſſet, ex *h. l.* Ex cautione ſc. non ex fideicommiſſo, ut in *l. pater*, §. *mater*, *de legat.* 3. De fideicommiſſo hereditatis, cautio prætoria interponi ſolet, quæ non recipit incrementum fructuum; *l.* 1. §. *belliſſime*, ſupr. *ut legat. ſerv. cauſ. cav.* Major autem vis & effectus eſt cautionis conventionalis, quam teſtator *hic* voluit interponi; hujusmodi enim cautio conventionalis fructuum incrementum recipit; *l. pecuniæ* 178. §. 1. infr. *de V. S.* Cautio conventionalis plenior eſt prætoria, quia plerumque id contrahentes agere videntur, ut hereditas reſtituatur cum incremento fructuum: ea autem, quæ ſunt moris & conſuetudinis, contractibus ineſſe videntur; *l. quod ſi nolit*, §. *quia aſſidua*, *de ædil. edict. l. ſi dictum*, *de evict.* Et ſi fideicommiſſum in diem relictum ſit in gratiam fideicommiſſarii, puta ſi heres rogatus ſit reſtituere filio teſtatoris cum pubes erit quicquid ex bonis ejus ad ſe pervenerit, fructus perceptos reſtituere debet, quia fideicommiſſum videtur factum, ut conſulatur impuberi, ne bona impuberis tutelæ lubrico committantur, ſed potius ſpectatæ fidei cognati; *l.* 3. §. *cum Pollidius*, ſupr. *de uſur.* Extra hos caſus, heres rogatus, quicquid ex hereditate bonisve teſtatoris ad ſe pervenerit reſtituere, non reſtituit fructus perceptos, vel, quæ vice fructuum ſunt, penſiones & uſuras; *l. quod his verbis*, *de legat.* 3. quia fructus non hereditati, ſed rebus ipſis, id eſt corporibus hereditariis, unde percepti ſunt, accepto feruntur; *d. l. in fideicommiſſaria*, §. 2.

L. 33.

SI Titius, cum quadringenta in bonis haberet, teſtamento facto Seium heredem inſtituerit, eumque rogaverit, ut ſi ſine liberis decederet, quanta pecunia ad eum ex hereditate perveniſſet, Mævio reſtitueret: Seius inſtitutus ex fructibus hereditatis medio tempore quadringenta percepit, & ſine liberis deceſſit: heres ejus Mævio quadringenta debebit, ut ſcribit Celſus, id eſt heres heredis non tenetur reſtituere fideicommiſſario, niſi quadringenta, quæ erant in bonis teſtatoris tempore mortis, fructus perceptos non reſtituit, ſed quadrin-

dringenta, quæ erant in bonis, integra reſtituit non detracta quarta, quia fructus percepti imputantur in quartam & quartæ fructus ; *l. mulier* 22. §. *ſi heres*, ſupr. *h. tit.* Quid ſi heres augmentum ſenſerit, quærit idem, heres an periculum ſuſtineat, id eſt cum heres percepit fructus, qui excedunt quartam & quartæ fructus, & aliquæ res hereditariæ perierunt periculum ſuſtinebit, an per contrarium, id eſt in contrarium ſit dicendum, ut non ſuſtineat periculum, licet augmentum ſentiat? Et tandem Celſus concludit, heredem ſuſtinere periculum, quod percipiat augmentum, id eſt emolumentum fructuum, qui exſuperant quartam & quartæ fructus: iniquius enim eſſet damnum pertinere ad fideicommiſſarium, ad quem augmentum non pertinet. Quid ſi ex quadringentis, quæ erant in bonis, non nihil deminutum ſit, quærit idem Celſus, an heres teneatur ſupplere id quod deerit fideicommiſſario de augmento quod ſenſit, id eſt de fructibus, quos percepit ultra quartam & quartæ fructus, ita ut damna & fructus computentur, id eſt compenſentur uſque ad concurrentes quantitates? Quod verius eſſe ait Marcianus in *h. l.* id eſt damnum hereditatis ſuppleri ex fructibus medio tempore perceptis, quatenus excedunt quartam & quartæ fructus, quos augmenti nomine Celſus intelligit, quod in augmentum in lucro computentur, eo quod ſuperent quartam & quartæ fructus. Alias heres rogatus hereditatem vel partem hereditatis alii reſtituere, fideicommiſſum non ſupplet de fructibus ; *l. poſtulante*, §. 1. infr. *h. tit.*

L. 34.

PAter duos filios ſcripſit heredes, deinde eum, qui noviſſimus ex filiis id eſt ultimus moreretur, rogavit, ut partem ſuam reſtitueret Titio: ſi fratres ſimul deceſſerint, nec apparet quis noviſſimus deceſſerit, Titius non admittitur ad partem hereditatis, ſed mater utrique ſuccedit ex Tertylliano, ut traditur in *h. l.* Pugnare videntur *l. ex duobus*, ſupr. *de vulgar. & pupillar. l. qui duos*, *de reb. dub. l. qui ex liberis*, *de bonor. poſſ. ſec. tab.* ubi ſubſtitutus ſupremo morienti e duobus, ſi uterque ſimul deceſſerit, utrique ſubſtitutus ſuccedit. Sed inter has leges nulla eſt pugnantia, ſunt enim ſpecies diverſæ, nimirum in *h. l.* Titius ſubſtitutus eſt in partem ſupremi morientis, uni igitur, non utrique. Unde ſi ambo ſimul deceſſerint, & fideicommiſſarius non oſtendat quis noviſſimus deceſſerit, ſubſtitutus in neutrius partem ex fideicommiſſo admittitur, quia non conſtat quæ pars illa ſit, quis ille, cui ſubſtitutus, non jus deficit, ſed probatio ; *l. duo ſunt Titii*, *de teſt. tutel.* In *l. ex duobus*, & conſimilibus, ſubſtitutio facta non eſt in partem ſupremi morientis, ſed ſupremo morienti, & ſubſtitutus totam hereditatem fert per ſupremum morientem.

L. 35.

SI furioſus heres inſtitutus ſit, & rogatus alii hereditatem reſtituere, furioſus per ſe non poteſt hereditatem adire & bonorum poſſeſſionem agnoſcere, ſed per curatorem ; *l. furioſus* † *in princ. de adquir. hered. l. ult.* §. † *ſin autem* 3. C. *de curat. furioſ.* Et agnita bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas per curatorem furioſi, per eundem fideicommiſſum reſtitui poteſt ; *l. ſancimus*, C. *h. tit.* Et reſtituta per curatorem hereditate, actiones recte transferuntur in fideicommiſſarium ex decreto D. Pii, ex *h. l.* quia hereditas reſtitui intelligitur ex mente SC. *Trebelliani* ; cum enim furioſus hereditatem per ſe adquirere non poſſit, per curatorem eam adquirere poteſt, eandemque reſtituere.

Digitized by Google

L. 36.

HEres inſtitutus, & rogatus in diem vel ſub conditione alii hereditatem reſtituere, pendente conditione vel die poteſt movere vel excipere actiones hereditarias, a debitoribus hereditariis pecuniam ſolutam accipere, & eos liberare; *l. ſi poſt*, ſupr. *de conſtit. pecun. l. ante reſtitutam, de ſolut.* poteſt & compromittere de rebus hereditariis, & alia omnia gerere, quæ pertinent ad adminiſtrationem; quia heres rogatus hereditatem reſtituere, verus eſt heres, & dominus pleno jure, licet cum onere fideicommiſſi & reſtitutionis, ut oſtenditur in *hac l.* cujus ſpecies hæc eſt. Heres inſtitutus, & rogatus in diem vel ſub conditione hereditatem reſtituere, ante reſtitutam ex fideicommiſſo hereditatem compromiſit cum aliquo creditore hereditario: ſi interim, id eſt antequam arbiter ſententiam dixerit, ab eo petatur fideicommiſſum, non prius heres cogitur hereditatem reſtituere, quam fideicommiſſarius caverit indemnem eum ſervari. Sicut cùm heres multa ante reſtitutionem hereditatis adminiſtravit, forte ſe obligavit nomine hereditario, vel ſumptum fecit in rebus hereditariis, eandem cautionem præſtare debet; quod enim dicitur eum retinere oportere, id eſt ſervare impenſas per retentionem, non eſt perpetuum id eſt generale. Regulariter quidem qui bona fide impenſas neceſſarias & utiles fecit in re aliena, eas ſervat per retentionem, quaſi taciti pignoris jure; *l. ſi in area*, ſupr. *de condict. indebit.* Sed ſi nihil eſt quod retineri poſſit, finge omnia eſſe in nominibus, aut in corporibus, quæ heres non poſſidebat, iniquum erit reſtituta hereditate, fideicommiſſarium ea omnia perſequi, & heredem obligatum manere, qui per retentionem indemnitati ſuæ conſulere non potuit: itaque non alias cogetur heres ei hereditatem reſtituere, quam ſi ei caveatur de indemnitate, ex *h. l.*

L. 37.

EX SC. *Trebelliano* actiones hereditariæ non transferuntur in fideicommiſſarium, niſi reſtituta hereditate re, ſeu facto, vel verbo; §. † *& Neronis, inſt. de fideic. hered. l.* 1. §. *de illo*, ſupr. *h. tit.* Reſtitutio fideicommiſſi fit re, aut verbo: re id eſt traditione reali vel ficta: puta ſi heres paſſus ſit, res hereditarias a fideicommiſſario in ſolidum vel pro parte poſſideri, eo animo, ut reſtitueret fideicommiſſum, ex *h. l.* patientia heredis, qui patitur fideicommiſſarium res hereditarias poſſidere, pro traditione habetur; *l. ult. de ſervitut. l.* 1. §. *traditio, de ſervit. ruſtic.* Reſtitutio fideicommiſſi fit verbo, ſi heres verbo dixit, ſe reſtituere hereditatem ex cauſa fideicommiſſi, vel per epiſtolam, aut per nuntium, ut ſubjicitur in *h. l.* Et verbo reſtituta hereditate, actiones transferuntur in fideicommiſſarium, & ſtatim res fiunt in bonis ejus, etſi nondum earum poſſeſſionem nactus fuerit; *l. facta, init.* infr. *h. tit.* Conſtitutione autem Juſtiniani, ſi heres rogatus reſtituere hereditatem, per contumaciam, vel morte præventus, nullo herede relicto, non reſtituerit, actiones utiles ipſo jure, id eſt poteſtate legis, transferuntur in fideicommiſſarium; *l. ſancimus*, §. *cum autem*, C. *h. tit.* dixi ipſo jure, quia tunc hereditas reſtituta videtur miniſterio legis. Ante conſtitutionem Juſtiniani actiones non transferebantur in fideicommiſſarium ſine reſtitutione: unde Ulpianus conſultus, an ceſſante herede in reſtituendo, vel morte prævento ante reſtitutam hereditatem, actiones transferrentur in fideicommiſſarium, hac de re conſtituendum eſſe putavit, ut refertur in *d. l. ſancimus*, id eſt rem egere conſtitutione Principis, quæ his caſibus provideret, quod movit Juſtinianum, ut conſtitutionem conderet, qua edictum, ut herede moram faciente in reſtituendo fideicommiſſo, vel morte prævento, actiones ipſo jure tranſirent in fideicommiſſa-

miſſarium ſine reſtitutione. Ac tandem jure pontificio obtinuit, ut fideicommiſſum recta transeat iu fideicommiſſarium ſine reali reſtitutione; *cap. in præſentia, de probat.* Et quidem moribus noſtris fideicommiſſum ipſo jure dicitur transire in fideicommiſſarium, juxta regulam foreuſem, *le mort ſaiſit le vif*; ſed hac ratione quæritur tantum poſſeſſio civilis & feſtucaria, non realis & naturalis. Et is, cui ex cauſa fideicommiſſi reſtituenda eſt hereditas, debet fideicommiſſum petere, impetratis eo nomine litteris regiis, quas vocant *en ouverture de ſubſtitution*. Hereditas non poteſt adiri per procuratorem; *l. per curatorem*, ſupr. *de adquir. hered.* quia eſt actus legitimus & ſolemnis. Sed fideicommiſſum reſtitui poteſt, etiam procuratori habenti ſpeciale mandatum, & reſtituta hereditate procuratori, actiones ſtatim transeunt in fideicommiſſarium, ex *h. l.* verſ. *ſed ſi voluntate*, & *l. qui ita*, §. 1. infr. *h. tit.* Item fideicommiſſum per procuratorem reſtitui poteſt, & reſtituta per eum hereditate, actiones transeunt in fideicommiſſarium, *ex h. ead. l.* & *l. apud Julianum*, §. *utrum*, ſupr. *h. tit.* Obſtare videtur *l. ſi mulier* 59. §. *ex aſſe*, ſupr. *de jur. dot.* ubi ſi heres ex aſſe inſtitutus, & rogatus mulieri dodrantem hereditatis reſtituere, juſſu ejus quod debet doti promiſerit, verendum eſſe dicitur, ut non ſit obligatus: ſed iſta nihil pugnant: fideicommiſſarius, cui reſtituenda eſt hereditas, alium delegare non poteſt, cui ſe heres obliget ex cauſa fideicommiſſi; ſed alii mandare poteſt, ut cogat heredem hereditatem adire & reſtituere.

§. *pupillus*, & *l.* 38. & 39.

SI pupillus heres inſtitutus ſit, non poteſt per ſe ſine tutore adire hereditatem, ſed tutore auctore; *l. pupillus*, ſupr. *de adquir. hered.* Tutor ſine pupillo non poteſt hereditatem adire, niſi pupillus infans ſit; *l. potuit*, *C. de jur. delib.* Sed tutore auctore recte ſibi hereditatem pupillus adquirit. Sic ſi pupillus heres inſtitutus ſit, & rogatus alii hereditatem reſtituere, fideicommiſſum non poteſt reſtitui per tutorem ſine pupillo, niſi infans ſit: ſed per pupillum ipſum debet reſtitui tutore auctore. Et ſi pupillus heres inſtitutus ſit, & rogatus reſtituere hereditatem tutori, pupillus non poteſt reſtituere hereditatem tutori, auctore ipſo tutore, ex decreto D. Pii, ut oſtenditur in §. *pupillus*, quia tutor non poteſt eſſe auctor in rem ſuam; *l.* 1. & 5. ſupr. *de auctor.* † *tutor.* Ideoque tutorem habenti dandus eſt ſpecialis tutor ad adeundam & reſtituendam hereditatem; *l. impuberi*, ſupr. *de tutor. dat.* Sed & ſi pupillo hereditas ſit reſtituenda ex cauſa fideicommiſſi, non poteſt pupillo reſtitui, niſi tutore auctore, ex *hoc* §. & *l. ſervo invito*, §. *ſi pupillo*, infr. *h. tit.* Sicut enim pupillus hereditatem adire non poteſt ſine auctoritate tutoris, nec hereditas ei reſtitui poteſt ex cauſa fideicommiſſi ſine auctoritate tutoris; *l. obligari*, §. *hereditatem*, ſupr. *de auctor.* † *tutor.* ne temere adeat vel recipiat damnoſam hereditatem, & inſciens obligetur oneribus hereditariis; hereditatis enim reſtitutio, non ſolutio eſt, ſubaudi tantum, ſed ſucceſſio ſc. in jus univerſum, cum obligetur is, cui reſtituitur hereditas, creditoribus & legatariis; *l.* 38. Hereditatis reſtitutio ſpectatur ut ſolutio, quæ plus habet facti, quam juris, quia heres, qui ex cauſa fideicommiſſi reſtituit hereditatem, videtur ſolvere æs alienum, & fidem liberare; *l. qui fundum*, §. *ſi quis heredem*, *ad leg. falcid. l.* 1. *in fin. C. qui manumitt. non poſſ.* quapropter nihil facit in fraudem creditorum, ſed plenam fidem exhibet voluntati defuncti, qui fideicommiſſum præſtat ante diem; *l. patrem*, infr. *quæ in fraud. creditor.* Et fideicommiſſariæ hereditatis reſtitutio proprie dicitur reſtitutio; *l. ult. C. de his, qui ven. ætat. impetr. nov. Juſtin.* 39. & 108. Et in ponenda ratione legis falcidiæ fideicommiſſum deducitur quaſi æs alienum; *l. pater filium*, *ad l. falcid.* Sed & eadem ſpectatur ut ſucceſſio, quia reſtituta hereditate actiones transfe-

Digitized by Google

runtur in fideicommiſſarium velut in heredem, & is, cui reſtituta eſt hereditas, obligatur creditoribus hereditariis. Immo & reſtitutio hereditatis emptioni ſimilis eſt, quod fideicommiſſarius, cui ex cauſa fideicommiſſi reſtituta eſt hereditas, ſuſtineat periculum rerum, perinde ac emptor rei emptæ & traditæ; *l. cum pater*, §. *menſæ*, *de legat.* † 2. Utro vero modo ſpectetur hereditatis reſtitutio, ſive ut ſolutio, ſive ut ſucceſſio, non poteſt fieri ſine auctoritate tutoris; *l.* † *pupillo*, infr. *de ſolut.* nec pupillo hereditas adquiri poteſt ſine auctoritate tutoris. Certe tutori pupilli, ſi ſit infans, vel curatori furioſi, hereditas fideicommiſſaria reſtitui poteſt; *l. ſancimus*, C. *h. tit.* Quod ſi pupillus fari poſſit, id eſt major ſit infante, hereditas non eſt reſtituenda tutori, ſed pupillo ipſi tutore auctore: & hoc eſt quod dicitur in *l.* 39. nec ipſi tutori indiſtincte fideicommiſſariam hereditatem reſtitui poſſe.

L. 40. *&* 47.

RESTITUTA hereditate ex SC. *Trebelliano*, omnes actiones, quæ heredi & in heredem competebant, transeunt in fideicommiſſarium; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* non modo actiones civiles, ſed etiam honorariæ, ſeu prætoriæ; nulla enim ſeparatio id eſt differentia eſt in hac re inter actiones civiles & prætorias; quamvis enim SC. *Trebellianum* loquatur tantum de transferendis actionibus civilibus, tamen reſtituta hereditate, ex interpretatione SC. *Trebelliani*, etiam actiones prætoriæ transeunt in fideicommiſſarium, ſublata differentia actionum, quia in fideicommiſſarium transeunt omnes actiones, quod ſit heredis vice; *l. poſtulante*, §. 1. infr. *h. tit.* §. † *&* *Neronis*, *inſt. de fideic. hered.* Immo reſtituta hereditate, in fideicommiſſarium transeunt etiam naturales actiones, quæ omnia comprehenduntur; *l.* 40. veluti ſi debitum ex naturali obligatione heredi rogato ſolutum ſit, id reſtituendum eſt fideicommiſſario; *l.* 47. *l.* 1. §. *id, quod natura*, *ad l. falcid.* Et ſi ejus pupilli, cui ſine tutoris auctoritate pecunia credita erat, ex SC. *Trebelliano* fideicommiſſario reſtituta fuerit hereditas, & fideicommiſſarius eam pecuniam ſolverit creditori, non poteſt eam condicere ſeu repetere quaſi indebitam, quia naturaliter debebatur; pupillus ex pecunia credita ſine tutoris auctoritate erat naturaliter obligatus, quatenus locupletior factus erat, & naturalis obligatio in fideicommiſſarium translata intelligitur; *l. ſi ejus pupilli*, infr. *h. tit.* Reſtituta hereditate ex *Trebelliano*, actiones directæ non transeunt in fideicommiſſarium, ſed utiles tantum; *l. ſancimus*, *in fin.* C. *h. tit.* Actiones directæ manent apud heredem, ſed inefficaces, quia per exceptionem reſtitutæ hereditatis eliduntur; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* *l. Stichum*, §. *aditio*, infr. *de ſolut.* Unde fideicommiſſarius, cui ex *Trebelliano* reſtituta eſt hereditas, heredem ipſum recte dat procuratorem ad exercendas utiles actiones, quæ ſibi competebant reſtituta hereditate; *l. licet in popularibus*, §. *is, cui*, *de procur.* Reſtituta hereditate ex SC. omnes actiones transferuntur in fideicommiſſarium. Nec intereſt utrum heres ipſe reſtituat hereditatem, an ſucceſſor heredis, puta heres † heredis, bonorumve poſſeſſor, aut pater dominusve, quibus per filium vel ſervum heredem inſtitutum hereditas quæſita eſt; tametſi enim perſona heredis tantum SC. *Trebelliano* contineatur, ſc. ut reſtituat hereditatem fideicommiſſario, tamen etiam heres heredis recte reſtituit hereditatem ex *Trebelliano*, ut ſubjicitur in † §. 1. *d. l.* 40.

§. *nihil intereſt* *l.* 40. *l.* 41. *&* 42. *init.*

HÆreditas fideicommiſſaria abſenti per procuratorem reſtitui poteſt; *l. apud Julianum*, §. *utrum*; *l. reſtituta*, ſupr. *h. tit.* nihil intereſt cui reſtituatur

tuatur hereditas, an fideicommiſſario ipſi, an alii nomine ejus, id eſt mandato ejus, an is, cui alieno nomine reſtituitur hereditas, ſit paterf. an filiusf. mulier an maſculus, liber an ſervus, quia perinde eſt, ac ſi fideicommiſſario reſtituta eſſet hereditas, nihil intereſt, an præcedat mandatum, an ratihabitio ſequatur; §. *nihil intereſt l.* 40. *& dd. ll. ſeqq.* quia ratihabitio retro trahitur, & mandato comparatur; *l. vero*, §. *ult. de ſolut.* Etiam filiusf. vel ſervus, vel mulier poteſt dari procurator ad recipiendam reſtitutionem fideicommiſſi. De filiof. nihil erat quod dubitaretur, quia filiusf. poteſt dari procurator, etiam ad lites; *l. filiusf. ſupr. de procur.* De ſervo & muliere major erat dubitatio, quia ſervus quidem eſt idoneus procurator ad negotia, non ad lites, quia non habet perſonam ſtandi in judicio, unde ſervus plerumque manumittebatur, procuratoris habendi gratia, id eſt ut procurator fieret; §. † *juſtæ autem*, *inſt. quib. ex cauſ. manum. l. ſi collactaneus*, infr. *de manumiſſ. vindict.* ad litis ſc. non ad negotia, quia neceſſe non fuit ſervum manumitti, ut procurator fieret ad negotia, ſed ad lites tantum. Femina quoque non poteſt dari procuratrix ad agendum vel defendendum, niſi cauſa cognita; *l. feminas*, *de* † *procurat.* Igitur *l.* 41. intelligenda eſt de reſtitutione fideicommiſſi, quæ fit ſponte extra judicium, non coacte in judicio, ad quam idonei procuratores ſunt etiam ſervus & mulier, quia tunc reſtitutio fideicommiſſi eſt negotium extrajudiciale.

§. *reſtituta l.* 42.

Reſtituta hereditate jus ſepulcri hereditarii apud heredem remanet, ex *hoc* §. id eſt reſtituta hereditate jus ſepulcri hereditarii non tranſit in fideicommiſſarium, ſed remanet apud heredem, quia perſonæ heredis cohæret, & hoc etiam ſi coactus adierit & reſtituerit hereditatem; *l. ſi patroni*, §. *quid ergo*, *verſ. nec ignoro*, infr. *h. tit.* Nec mirum, cum exheredatis liberis ſervetur jus ſepulcri, niſi ſpecialiter a teſtatore vetitum ſit; *l.* 6. *de religioſ. & ſumpt. fun.* uti Julias filiam neptemque ſepulcro ſuo inferri vetuit Auguſtus; Tranquill. *in ejus vit. cap.* 101. *&* Dioni, *lib.* 56. Et quibus, ut indignis hereditas aufertur, ſervatur jus ſepulcri; *l. ſi quis fuit heres*, *eod. tit. de religioſ.* Filio quoque herede inſtituto, & rogato reſtituere hereditatem extraneo, jus patronatus & actio operarum non tranſit in fideicommiſſarium, ſed remanet apud heredem; *l. ſi patroni*, *init.* infr. *h. tit.* non tamquam apud heredem, ſed tamquam apud patronum, nam patroni filius patronus eſt; *l.* 4. *l.* 9. infr. *de jur. patron.* Jus ſepulcrorum tranſit & in eum, cui bona addicta ſunt, quia pro herede vel bonorum poſſeſſore habetur; *l.* 4. §. *is autem*, *cui*, infr. *de fideic. libert.* ſecus jus patronatus eccleſiæ tranſit in fideicommiſſarium, quia eſt in fructu, & cum univerſitate rerum tranſit in heredem vel quemlibet ſucceſſorem; *cap. ex litteris*, *cap. cum ſæculum*, *de jur. patron. cap. cum Bertholdus*, *de re judic.* Guid. Pap. *qu.* 508.

L. 43.

Regulariter jus adcreſcendi locum non habet inter confideicommiſſarios etiam univerſales; *l. Lucius*, §. *quæ habebat*, infr. *h. tit.* quia fideicommiſſum præſupponit aditam hereditatem; *l.* 4. *l. ille*, *a quo*, §. † *quid ergo*, † ſupr. *h. tit.* id eſt non aliter præſtari poteſt, quam adita hereditate ab herede rogato, & adita ſemel hereditate jus adcreſcendi ceſſat, hoc jus locum non habet in portionibus agnitis; *l. unic.* §. *his ita definitis*, *C. de caduc. tollend.* Et hoc verum eſt ſi heres rogatus ſponte adierit & reſtituerit: ſi vero heres ex parte ſeu ſemiſſe inſtitutus, & rogatus reſtituere hereditatem, eam ſuſpectam dixerit, & coactus adierit, & poſtea coheres repudiet partem ſuam, portio deficientis adcreſcit quidem coheredi ſcripto, ſed ineſſicaciter, quia non

Digitized by Google

remanet apud heredem propter indignitatem, ſed ab herede transfertur in fideicommiſſarium. Ex his quærit Papinianus in *hac l.* an ſi heres ex ſemiſſe inſtitutus, & rogatus alii reſtituere hereditatem, coactus adierit & reſtituerit, poſt reſtitutam hereditatem coherede repudiante partem, portio deficientis adcreſcat ſcripto heredi, an fideicommiſſario opus ſit alia actione, ut cogat heredem adire partem adcreſcentem? Et ait, ſecurum eum eſſe, & recte, quia portio deficientis adcrevit heredi invito, velut appendix alterius portionis; *l. ſi quis heres*, ſupr. *de adquir. hered.* etiam ſi coactus adierit partem ſuam, ſine nova aditione & ſtatim hæc portio ei aufertur velut indigno. De illo plane quærendum ait, an opus ſit nova reſtitutione, ut portio repudiantis, quæ adcreſcit heredi ſcripto, poſt reſtitutionem fideicommiſſi reſtituatur fideicommiſſario? Et Papinianus nihil definit: ſed hujus quæſtionis definitio pendet ex priori reſponſo; poſtquam enim Papinianus pronuntiavit, portionem deficientis, quæ adcrevit heredi coacto, ſequi fideicommiſſarium ſine nova actione, ſine nova coactione, ſatis inde ſequitur, non eſſe opus nova reſtitutione: ſicut aditio hereditatis eſt individua, & ſemel facta in certis rebus, trahitur ad univerſas res hereditarias; *l. pro herede*, ſupr. *de adqu. hered.* ita & reſtitutio fideicommiſſi, cum ſit ſucceſſio in jus univerſum, unde reſtituta certa re, actiones univerſæ transeunt in fideicommiſſarium; *l. reſtituta*, ſupr. *h. tit.* Ex *hac lege* colligunt interpretes, jus adcreſcendi locum habere inter fideicommiſſarios, & portionem deficientem adcreſcere fideicommiſſario: tamen *hac lege* palam abutuntur; in hac enim ſpecie non quæritur, an portio deficientis adcreſcat fideicommiſſario: ſed an eo caſu, quo heres ex ſemiſſe inſtitutus compulſus adiit & reſtituit partem hereditatis, & portio coheredis adcrevit heredi ſcripto poſt reſtitutionem, an ea portio perveniat ad fideicommiſſarium, ſine nova aditione & reſtitutione: & portio deficiens non adcreſcit fideicommiſſario, quinimmo adcreſcit heredi ſcripto, etiam ſi coactus adierit: ſed non manet apud heredem propter indignitatem, quod coactus adierit, & ab herede ſtatim transfertur ad fideicommiſſarium ſine nova reſtitutione. Tamen ſententia interpretum in foro obtinuit; juri adcreſcendi locum eſſe inter fideicommiſſarios, hac ratione, quod fideicommiſſarius hereditatis ſit ſucceſſor juris, & in eum transeant omnia jura & actiones hereditariæ.

L. 44. init.

CAius teſtamento Seium heredem inſtituit, & Sticho eodem teſtamento directam libertatem dedit, & rogavit Seium heredem ſcriptum per fideicommiſſum, ut hereditatem reſtitueret Sticho: heres ſuſpectam hereditatem dixit, & poſtulante Sticho coactus adiit: mox Stichus, antequam moram faceret in recipienda hereditate, deceſſit relicto herede Titio: quæritur, an in Titium, ſi nolit recipere fideicommiſſam hereditatem, actiones ex SC. *Trebelliano* competant, id eſt, an heres fideicommiſſarii cogi poſſit ad recipiendam hereditatem? Ratio dubitandi eſſe poterat, quod SC. *Trebellianum*, ubi cavit, ut fideicommiſſarius, qui compulit heredem ad adeundum, compellatur & ipſe hereditatem recipere, non fecit mentionem de herede fideicommiſſarii, ut compellatur, ſi fideicommiſſarius deceſſerit ante reſtitutionem. Et Marcellus ait, idem in herede fideicommiſſarii conſtituendum, quod in illo, id eſt fideicommiſſario, conſtitutum eſt, id eſt in Titium heredem fideicommiſſarii competere actiones ex *Trebelliano*, ſi nolit ille recipere fideicommiſſam hereditatem; cur enim recuſaret heres fideicommiſſarii illam hereditatem, quam recuſare non potuit is, cujus hereditatem ille ſuſcepit? Nec mirum, quod SC. de Sticho manumiſſo, id eſt de fideicommiſſario, non de herede ejus facta eſt mentio, quoniam fere is, qui compulſus eſt adire hereditatem; confeſtim

Digitized by Google

ſtatim ei reſtituit, id eſt reſtituere ſolet antequam decedat fideicommiſſarius. Idem eſt ſi fideicommiſſarius deceſſerit ante reſtitutionem, forte quod reſtitutionem diſtulerit heres ex cauſa, veluti ſi pecuniam ei debuit defunctus, quam retinere maluit, quam petere; heres enim, qui ſumptum fecit in rebus hereditariis, non cogitur hereditatem reſtituere, quam refuſa pecunia, ſi malit eam ſervare per retentionem, quam per actionem *; l. cum hereditas*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi libertus, id eſt Stichus manumiſſus, qui eodem teſtamento directam libertatem, & fideicommiſſam hereditatem accepit, ante hereditatis reſtitutionem ſine herede deceſſerit, perinde bona ejus creditoribus hereditariis vendere permittendum eſt, ac ſi reſtituta hereditate deceſſerit, ut traditur *init. h. l.* Quia ſc. cum heres coactus adiit hereditatem, hoc ipſo hereditas pro reſtituta habetur, cum nihil apud eum remanere poſſit *; l. ita tamen*, §. *qui ſuſpectam*, *l. ſi patroni*, §. *quid ergo*, *verſ. adeo*, *h. tit.*

§. *ſed in hujusmodi*.

Fructus percepti ante moram non veniunt in reſtitutione fideicommiſſi; quia non ſunt hereditatis *; l. in fideicommiſſaria*, ſupr. *h. tit.* Uſuræ quoque & penſiones perceptæ non reſtituuntur, quia vicem fructuum obtinent *; l. uſura*, ſupr. *de uſur. l. mercedes*, ſupr. *de heredit. petit.* Uſuræ & penſiones provenientes ex contractu defuncti, per heredem non exactæ, veniunt in reſtitutione fideicommiſſi, etiam ſi mora heredis non interceſſerit: provenientes vero ex contractu heredis, habentur pro fructibus, & ideo non veniunt in reſtitutione, eo caſu quo fructus non veniunt, ut oſtenditur in *hoc* §. cujus ſpecies hæc eſt. Filia ex aſſe heres inſtituta eſt & rogata mihi partem hereditatis reſtituere, deductis legatis minimis, & ære alieno non magno, ita ut *falcidiæ* locus non ſit: mora non eſt facta reſtitutioni fideicommiſſi: quæritur, an uſuræ & penſiones debitæ ex contractu defuncti, nondum exactæ ante moram in reſtituendo fideicommiſſo, veniant in reſtitutione hereditatis? Et Marcellus reſpondit, uſuras & penſiones non exactas ante reſtitutionem, hereditatis appellatione contineri, & ſic venire in reſtitutione fideicommiſſi, quia nihil intereſt inter hæc, id eſt inter uſuras & penſiones debitas ex contractu defuncti, & cetera, quæ ſub conditione ſunt promiſſa teſtatori, aut in annos ſingulos vel menſes: nempe ſicut illa, quæ ſunt promiſſa teſtatori, aut in annos vel menſes ſingulos, continentur appellatione hereditatis, ut ſic tranſeant ad fideicommiſſarium *; l. ita tamen*, §. *ex Trebelliano*, *verſ. actiones*, ſupr. *h. tit.* ita uſuræ & penſiones teſtatori debitæ, hereditatis appellatione continentur, ut ſic tranſeant ad fideicommiſſarium. Ratio dubitandi erat, quod uſuræ & penſiones cedunt pro fructibus rei, quæ hereditate continentur, & fructus fideicommiſſarium non ſequuntur, ſi mora non interceſſit: ergo videtur, quod uſuræ & penſiones non ſequantur fideicommiſſarium, ſi heres non fuerit in mora reſtituendi fideicommiſſi. Sed quia fideicommiſſarius non poſtulat, ut heres ſuppleat fideicommiſſum, id eſt non deſiderat, ut heres ei reſtituat dimidiam partem omnium rerum, quæ erant in hereditate tempore mortis defuncti, deductis legatis & ære alieno, & ſic in fideicommiſſo cedant uſuræ & penſiones, & ſic ſuppleatur fideicommiſſum quaſi de fructibus: ſed poſtulat, ut qualis nunc eſt hereditas, id eſt in eo ſtatu, in quo reperitur cum actionibus uſurarum non exactarum, ei reſtituatur dimidia pars hereditatis; nequaquam id debet heres recuſare, quia fideicommiſſarius quodammodo recipitur in partem hereditatis, & habetur heredis loco, ut dicitur *hic*, & §. *reſtituta*, *inſt. de fideic. hered.* Si autem heres pecuniam hereditariam fœneravit, id eſt fœnori locavit, aut ex prædiis hereditariis fructus percepit, nihil eo nomine præſtat ei, cui hereditas per fideicommiſſum reſtituenda eſt, ſi non interceſſit mora ipſius he-

Digitized by Google

redis. Optima ratione, quia ſuo periculo fœneravit; periculum ſc. nominum ad eum pertinet, qui ea contraxit; *l. ſi navis*, ſupr. *de rei vindicat. l. ſi unus*, §. 1. *pro ſoc. l. tutor* 35. *de adm. tutor. l. idemque*, §. *ſi mandavero; mandat.* Et quia colendo fundo, vel cogendis id eſt colligendis fructibus, inſumpſit operam, nec æquum erat alterius procuratorem conſtitui, id eſt heredem fideicommiſſarii rem gerere, velut nudum procuratorem rem alienam, ſine ulla mercede, ſine fructu, quia mandatum eſt gratuitum, & natura ſua mercedem non recipit; *l.* 1. §. *ult. eod. tit.* Sed cum uſuræ vel penſiones ædium locatarum debentur ex contractu defuncti, non exactæ ante reſtitutionem hereditatis pertinent ad fideicommiſſarium, quia in his nullum impendium nulla opera intercedit heredis, ut ſubjicitur in *fin. h.* §. uſuræ enim & penſiones percipiuntur ſine ſumptu & opera. Igitur uſuræ perceptæ ante reſtitutam hereditatem non veniunt in reſtitutione fideicommiſſi, quia vice fructuum ſunt: uſuræ debitæ ex contractu defuncti non exactæ veniunt in reſtitutione fideicommiſſi, quia earum hereditaria eſt actio, & ſi heres rogatus hereditatem reſtituerit non exactis uſuris, quarum dies ceſſit ante reſtitutam hereditatem, heredi non dabitur indebiti ſoluti repetitio in fideicommiſſarium, qui uſuras exigit; *l. deducta*, §. *qui poſt*, infr. *h. tit.* uſuræ autem debitæ ex contractu heredis ante moram in reſtituendo non veniunt in reſtitutione fideicommiſſi, propter periculum nominum, quod heres ſuſtinuit. Et ita in ſpecie propoſita, juriſconſultum quempiam reſpondiſſe Marcellus ſignificat, quem a ſe rogatum ait, ut reſponderet, an is recte ſenſiſſet. (Non modo privati in ſuis cauſis juriſconſultos conſulebant, ſed etiam juriſconſulti ipſi in dubiis ſeniores conſulebant ſuper cauſis ad ſe delatis, nec non prætores & judices dati, ut Juniano prætori de jure reſpondit Papinianus; *l.* 2. ſupr. *de pact. dotalib.* & Paulum de jure conſuluit Neſennius Apollinaris judex datus, qui eundem honoris cauſa dominum appellat; *l. Neſennius, ad leg. falc.* & Ulpian. in *l. ſi quis uxori*, §. *ſi quis aſinum*, infr. *de furt.* Modeſtino ſtudioſo ſuo ſe conſulenti reſcripſiſſe teſtatur.) Fructus pendentes tempore cedentis fideicommiſſi pertinent ad fideicommiſſarium, etiam ſi major pars anni præterierit; *l. Herennius*, ſupr. *de uſur.* quia fructus pendentes ſunt pars fundi; *l. fructus* 44. *de rei vindicat. l.* 9. *ad l. falcid.* fructus inventi in hereditate tempore mortis teſtatoris veniunt in reſtitutione fideicommiſſariæ hereditatis; *l. centurio*, *de vulgar. & pupillar.* quia fructus inventi in hereditate tempore mortis augent hereditatem; *l. heres furioſi*, §. 1. *de hered. petit.* ubi dixi.

L. 45.

HEres inſtitutus & rogatus totam hereditatem reſtituere, ſi paratus eſt totam hereditatem reſtituere non deducta quarta, & plenam fidem obſequiumque præſtare defuncto, ſua ſponte adire debet hereditatem, quaſi ex *Trebelliano* reſtituturus: ait, quaſi ex *Trebelliano*, quia non videtur proprie reſtitui hereditas ex *Trebelliano*, cum heres non detrahat quartam, cujus detrahendæ poteſtas eſt ex *Trebelliano*; §. † *ſed quia heredes*, *inſt. de fideic. her.* Tunc magis hereditas reſtituitur ex voluntate defuncti, quoniam quarta detrahitur contra voluntatem teſtatoris; *l. Titia*, ſupr. *ad leg. falcid.* Et heres rogatus totam hereditatem reſtituere, ſi eam reſtituat non detracta quarta, plenam fidem & obſequium defuncti precibus præſtare videtur. Unde ſi quis rogatus, præcepta certa quantitate, uxori ſuæ hereditatem reſtituere, ſine ulla deductione eam reſtituerit, magis pleniore præſtandæ fidei officio functus, quam donaſſe videtur; *l. ſi ſponſus*, §. *ſi quis rogatus*, ſupr. *de don. inter vir. & uxor.* Et rogatus poſt mortem ſuam hereditatem reſtituere filio, ſi inter vivos hereditatem filio reſtituerit, non deducta quarta, creditores non poſſunt

Digitized by Google

ſunt revocare quartam ; quia non fraudavit creditores , ſed plenam fidem ac debitam pietatem exhibitionis ſecutus eſt ; *l. patrem* , infr. *quæ in fraud. creditor.* Et fideicommiſſum ex minus ſolemni teſtamento præſtitum condici non poteſt, ut indebitum ſolutum, quia a ſciente fidei explendæ cauſa ſolutum eſt; *l. fideicommiſſum* , ſupr. *de condict. indebit. l.* 2. C. *de fideic.* Heres tamen, qui non vult retinere quartam , tutius aget , ſi ſuſpectam dicat hereditatem , & coactus adeat reſtituatque ; hoc enim caſu , hoc eſt ſi coactus adeat hereditatem reſtituatque , ex *Trebelliano* reſtituere videtur ; & reſtituta hereditate , expoſito id eſt amoto hereditario metu, actiones transferuntur in fideicommiſſarium, ex *h. l.* cum heres coactus adit hereditatem & reſtituit, ex *Trebelliano* reſtituere dicitur , coactio adeundæ hereditatis ex SC. *Pegaſiano* inducta eſt; ſed hodie omnes reſtitutiones fiunt ex *Trebelliano* , etiam quæ fiunt per heredem coactum, translata *Pegaſiani* poteſtate in *Trebellianum* ; §. *ſed quia* , *inſt. de fideic. hered.* Reſtituta hereditate per heredem coactum , actiones univerſæ transferuntur in fideicommiſſarium , expoſito id eſt remoto hereditario metu . Qui enim coactus adit hereditatem, poſtulante fideicommiſſario, eam adit alieno periculo, periculo ſc. fideicommiſſarii. Et merito omnes actiones transeunt in fideicommiſſarium , cum nullum commodum, ne quidem quartæ, maneat apud heredem ; *l.* 4. ſupr. *h. tit.*

L. 46.

SI fideicommiſſum univerſale vel particulare in diem incertum vel ſub conditione relictum ſit , mortuo fideicommiſſario ante diem vel conditionis eventum , fideicommiſſum non transmittitur ad heredem fideicommiſſarii , ſed fit caducum, & remanet apud heredem ; *l. Statius Florus* , §. *Cornelio Felici*, infr. *de jur. fiſc. l. unic.* §. *ſin autem* , C. *de caduc. tollend.* Fideicommiſſum univerſale pure vel in diem certum relictum , ex SC. *Trebelliano* non transmittitur ad heredem fideicommiſſarii non reſtituta hereditate , niſi fideicommiſſarius moram paſſus ſit in recipienda hereditate ; *l. poſtulante* , ſupr. *h. tit.* Tamen fideicommiſſum univerſale in diem certum relictum , puta cum ad annum 16. filius perveniſſet, mortuo fideicommiſſario ante diem transmittitur ad heredem fideicommiſſarii, ſi dies appoſitus ſit in gratiam fideicommiſſarii, ſi fideicommiſſum relictum ſit ab herede fiduciario . Heres fiduciarius dicitur, qui non tam ut heres, quam ut depoſitarius & miniſter rogatus eſt reſtituere hereditatem , qui inſtitutus eſt quaſi contracta fiducia, quaſi pacta lege redhibendi. Fiducia enim eſt lex ſeu conventio redhibendi, ſeu retrovendendi. Hereditas fiduciaria intelligitur, ſi fideicommiſſum relictum ſit filio impuberi teſtatoris in tempus pubertatis, & heres rogatus fuit propinquus vel amicus teſtatoris. Et ſi rogatus eſt totam hereditatem reſtituere, hoc caſu mortuo fideicommiſſario antequam ad 16. annum perveniſſet, fideicommiſſum transmittitur in heredem fideicommiſſarii, quia fideicommiſſi dies ceſſit vivo fideicommiſſario ; ſc. fiduciaria hereditas, prius etiam quam reſtituatur, non tam heredis, quam fideicommiſſarii eſſe videtur. Tutela & cuſtodia bonorum illa dicenda eſt potius , quam hereditas fideicommiſſaria , ex *h. l.* quo pertinent poſtrema illa verba legis: *tutelam magis heredi fiduciario permiſiſſe, quam incertum diem fideicommiſſi conſtituiſſe videatur*. Hic fuit præcipuus uſus heredum fiduciariorum , ut filio impuberi conſuleretur , & lubrico tutelæ fideicommiſſi remedium præferretur ; *l.* 3. §. *cum Pollidius* , *de uſur.* Fideicommiſſum filio impuberi relictum in tempus pubertatis eſt purum , non conditio fideicommiſſo adjecta , ſed ſolutio in diem delata videtur , non conditione , ſed mora ſuſpenditur ; ideo mortuo fideicommiſſario ante diem, transmittitur ad heredem fideicommiſſarii ; *l. ex his verbis* , C. *quand. dies leg. ced.* Et heres fiduciarius interim fructus ſuos non facit , ſed eos fideicommiſſario reſtituere debet ; *d. l.* 3. §. *cum Pollidius* , *l. ſi ita relictum* , §. *Pegaſus* , *de*

de legat. 2. *l. Javolenus*, *l. liberto*, §. *filium*, *de ann. legat.* nec quartam detrahit; Bald. in *l. poſt mortem*, *C. de fideic.* quia non tam ut heres, quam quaſi miniſter rogatus eſt hereditatem reſtituere, ac proinde nihil apud eum remanere poteſt.

L. 47.

Dixi ad. *l.* 40.

L. 48.

SI certa portio hereditatis alicui per fideicommiſſum relicta ſit, & is res hereditarias quasdam ab herede ſubripuerit, in his rebus, quas ſubtraxit, denegatur ei petitio fideicommiſſi, ex *hac l.* ſi res, ſc. furto ſubreptæ, alique caſu redierint ad heredem, alias inepte diceretur, ei denegari petitionem rerum, quæ eſſent apud eum. Sic legatario denegatur actio legatornm, pro portione competenti, in his rebus, quas de hereditate ſubtraxit; *l. non eſt dubium*, *C. de legat.* Legatarius vel fideicommiſſarius non poteſt per ſe res legatas vel fideicommiſſas occupare, ſed eas debet accipere per manus heredis. Si eas ſubtrahat, tamquam in alienis furtum committit, & ſi per ſe occupaverit, tenetur eas heredi reſtituere interdicto quod legatorum; *l.* 1. §. 2. infr. *quod legat.* Legatario, inquam, denegatur actio fideicommiſſi in his rebus, quas ſubtraxit. Si plures enim res legato vel fideicommiſſo contineantur, & quasdam furto ſubtraxerit, in aliis rebus, in quibus furtum & noxam non commiſit, non denegatur petitio fideicommiſſi, quia pœna non debet excedere modum delicti, nec eſt puniendus quis ultra id, in quo deliquit; *l. ſancimus*, *C. de pœn.* Et heres non deducit falcidiam ex rebus de hereditate ſubtractis; *l.* † *falcidiæ legis* 24. *ad l. falcid. l. reſcriptum*, *de his quæ ut indign.*

L. 49.

REſtituta hereditate ex *Trebelliano*, actiones tam activæ quam paſſivæ transferuntur in fideicommiſſarium, & poſt reſtitutionem, ſi heres conveniatur a creditoribus hereditariis, tuetur ſe exceptione reſtitutæ hereditatis, & ſi agat cum debitoribus hereditariis repellitur exceptione reſtitutæ hereditatis; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* Reſtituta tamen hereditate, ſi res urgeat, & periculum ſit, ne ob abſentiam fideicommiſſarii dies actionis exeat, finge eſſe actionem temporalem, quæ tempore peritura ſit, cujus dies proxime exeat; hoc caſu heres etiam poſt reſtitutam hereditatem judicium ſuſcipere cogitur, id eſt litem defendere adverſus creditores hereditarios. Sic & filio emancipato præterito, deliberante de petenda bonorum poſſeſſione contra tabulas, ſi res urgeat, & periculum ſit, ne interim actiones tempore pereant, heres ſcriptus conveniri poteſt a creditoribus hereditariis, ex *h. l.* Sic & qui bona fide poſſidet hereditatem, interim ante litem conteſtatam poteſt agere cum debitoribus hereditariis actione in perſonam, vel cum his, qui res hereditarias occupant, actione in rem, ſi periculum ſit, ne inter moras actiones intercidant; *l. ſi bonæ fidei*, ſupr. *de petit. heredit.* Reſtituta hereditate heres conveniri poteſt a creditoribus hereditariis, ſi res urgeat, forte ſi fideicommiſſarius ob abſentiam conveniri non poſſit, & periculum ſit, ne actiones pereant, quia jure civili abſens conveniri non potuit, niſi defenderetur; *l. item ait*, ſupr. *ex quibus cauſ. major.* Unde remedii cauſa introductum eſt, ſi poſſeſſor rei conveniri non poſſit, forte quod eſſet abſens, ut præſcriptio interrumperetur porrecto libello præſidi provinciæ, vel Epiſcopo, vel defenſori civitatis, vel ſi hi omnes abſuerint, propoſito publice libello ſeu programmate ad domum poſſeſſoris, adjuncta ſubſcriptione tabulariorum, aut trium teſtium; *l. ut perfectius*, *C. de annal. except.*

L. 50.

Digitized by Google

L. 50.

SI pater inſtitutus ſit & rogatus reſtituere hereditatem filio, *ſi in poteſtate eſſe deſiiſſet*, non cogitur filium emancipare; *l. filiuſf.* §. *ſed ſi liberos*, ſupr. *de legat.* 1. *l. ult. C. de ſentent. paſſ. & reſtitut.* Sed ſi alienet vel dilapidet bona in fraudem fideicommiſſi, pater cogitur repræſentare, id eſt ante diem reſtituere fideicommiſſum filio in poteſtate manenti, damno conditionis propter fraudem inflicto; conditio enim, quæ erat adjecta fideicommiſſo, *ſi filius in poteſtate eſſe deſiiſſet*, pro impleta habetur, propter fraudem patris dilapidantis. Pater ob dilapidationem cogitur repræſentare fideicommiſſum filio, ex decreto D. Adriani, remedio repræſentationis conſulitur filio, quia cautiones non poterant interponi conſervata patria poteſtate, quia pater non ſatisdat de ſervanda & reſtituenda hereditate; *l. inter, qui ſatisd. cog. l. filio*, † infr. *ut legat. ſerv. cauſ. cav. l.* 4. *C. ut in poſſ. legat.* Sicut pater, qui habet uſumfructum in bonis adventitiis filii, non cavet de utendo fruendo boni viri arbitratu, ei ſatisdationis onus remittitur ob paternam reverentiam; *l. ult.* §. 4. *verſ. hoc proculdubio*, *C. de bon. quæ liber.* Et pater rogatus hereditatem reſtituere liberis, non præſtat ſatisdationem de fideicommiſſo ſervando, niſi duobus caſibus: primus eſt, ſi teſtator ſpecialiter id juſſerit: ſecundus ſi pater tranſierit ad ſecundas nuptias; *l. jubemus*, §. *in ſupradictis*, *C. h. tit.* Reſtituta hereditate ex decreto D. Adriani, actiones ex *Trebelliano* transferuntur in fideicommiſſarium, & filius poteſt vindicare res hereditarias, vel convenire debitores hereditarios, quia filiuſf. in ea hereditate comparatur filioſ. militi, id eſt habetur pro patreſ. ſicut filiuſf. miles in caſtrenſi peculio, ad hoc ut habeat actionem rerum hereditariarum, ſicut filiuſf. miles habet actionem & perſecutionem rerum caſtrenſium; *l.* 4. §. 1. infr. *de caſtrenſ. pecul.* Hoc intereſt, quod filiuſf. miles poteſt teſtari de peculio caſtrenſi, at filiuſf. *hic* non poteſt teſtari de ea hereditate, ſed habet liberam adminiſtrationem dum vivit, & hoc eſt quod ait lex, *quamdiu filius viveret*, *nihil juris patrem in ea hereditate habiturum*; nam ſi filius præmoriatur, bona redeunt ad patrem, & pater bona occupat jure peculii, non jure hereditatis, ut bona adventitia filiiſf. *l. ſi infanti*, §. 1. *C. de jur. delib.* Quod ſi pater egeat, ex acceſſionibus hereditariis, id eſt ex fructibus, ei emolumentum, id eſt alimonia, præſtatur, ex *h. l.* Quod ſi heres rogatus in diem vel ſub conditione hereditatem alii reſtituere, eam ultro ante diem reſtituerit, præmortuo fideicommiſſario, bona, quaſi donata, non redeunt ad heredem jure reverſionis, quia repræſentatio fideicommiſſi non eſt proprie donatio, ſed plenioris fidei & pietatis officium: reſtitutio fideicommiſſi non eſt propriæ liberalitatis beneficium, ſed nudum miniſterium; *l. unum ex familia*, §. 1. ſupr. *de legat.* 2. Si pater profliget fideicommiſſum, omiſſa ſatisdatione compellitur fideicommiſſum repræſentare; ut ſoluto matrimonio ſi maritus non ſatisdet de ſolvenda dote poſt diem, compellitur officio judicis dotem repræſentare, deducto commodo, id eſt uſuris medii temporis; *l. ſi conſtante*, §. *quoties*, ſupr. *ſolut. matrimon.*

L. 51.

SI heres, deductis legatis, rogatus ſit hereditatem alii reſtituere, in reſtitutione fideicommiſſi non deducit legata, quæ peti non poſſunt, puta quæ pro non ſcriptis vel caducis habentur; *l. unic.* §. *in primo*, *& ſeq. C. de caduc. tollend.* ſed ea reſtituit fideicommiſſario ut bona hereditatis. Sed ſi uxori heredi ſcriptæ ex parte dos prælegata ſit, eaque rogata ſit deductis legatis hereditatem reſtituere, dotis legatum eſt utile propter commodum repræſentatio-

Digitized by Google

nis, quia dos legata ſtatim præſtatur a morte viri: dos ſolvitur actione de dote, annua, bima, trima die, id eſt tribus penſionibus. Sed non eſt per omnia utile prælegatum dotis; ſi enim uxori heredi ex parte ſcriptæ dos prælegata ſit, pro parte coheredum utile eſt legatum dotis, pro parte uxoris heredis ſcriptæ ex parte inutile, quia heredi a ſemetipſo legatum relinqui non poteſt, a coherede poteſt; *l. legatum* 116. §. 1. *de legat.* 1. Tamen ſi uxor rogata ſit reſtituere partem hereditatis non deductis legatis, in reſtitutione fideicommiſſi deducit quartam *falcidiam*, id eſt *Trebellianicam*, & deducit dotis prælegatum pro ſua portione, etiam ſi in *falcidia* tantum ſit, quantum in dote. Ergo deducit utrumque, & *falcidiam* & dotis legatum pro portione ſua hereditaria, non jure legati, quia inutile eſt pro ſua portione hereditaria, quaſi a ſe ſibi relictum, ſed quaſi æs alienum, & debitum ſibi, mulier utrumque conſequitur, & *falcidiam* & dotem, quia nihil intereſt inter mulierem, & quemvis alium creditorem heredem inſtitutum & rogatum hereditatem reſtituere: id eſt mulier ex parte heres inſtituta, & rogata hereditatis partem reſtituere, ſi eidem dos prælegata ſit, deducit *falcidiam* & dotis legatum pro portione ſua, ſicut & quilibet creditor extraneus heres inſtitutus a debitore, & rogatus reſtituere hereditatem, deducit primum quod ſibi debuit defunctus, etiam ſi aditione hereditatis confuſæ ſint actiones, deinde *falcidiam* integram, etiam ſi *falcidia* tantum efficiat, quantum eſt in debito; *l. in impenenda*, *l. irritum*, *C. ad leg. falcid. l. debitor*, infr. *h. tit.* Dos prælegata fideicommiſſo non continetur, quia reddi potius videtur, quam dari; *l. cum pater*, §. *fidei tuæ*, *de legat.* † 2. Dos prælegata non cadit in reſtitutionem fideicommiſſi, quia in ære alieno computatur. Etiam ſi uxor heres ex parte inſtituta ſit, & rogata partem hereditatis reſtituere non deductis legatis, deducit dotem & *falcidiam*, ex *h. l.* Mulier utroque caſu, ſive deductis, ſive non deductis legatis, rogata ſit reſtituere partem hereditatis, deducit legatum dotis pro parte ſua & *falcidiam*, niſi probetur teſtatorem ſenſiſſe, id eſt voluiſſe, ut mulier *falcidia* contenta eſſet, & dotem reſtitueret fideicommiſſario, ſi modo tantum ſit in *falcidia*, quantum in dote eſt; *l. Lucius*, §. *maritus*, infr. *h. tit.* Objicies ex edicto de alterutro, mulier alterutro contenta eſſe debet, aut dote, aut legato: ſi tantum eſſet in dote, quantum ſit legato, mulier heres inſtituta non deducit dotem & *falcidiam*, ſed alterutro contenta eſſe debet, *falcidia*, vel dote, niſi nominatim maritus teſtamento caverit, ſe velle mulierem utrumque conſequi, relictum & dotem; *l. unic.* §. † 3. *verſ. ſciendum*, *C. de rei uxor. act.* Sed in caſu *h. l.* ceſſat edictum de alterutro, ſi uxor dote prælegata heres inſtituta ſit ex parte, & rogata reſtituere partem hereditatis, utrumque deducit, dotem & *falcidiam*, ſicut quilibet alius creditor heres inſtitutus, & rogatus reſtituere, nec erit ulla differentia inter mulierem, & quemvis alium creditorem, quia mulier deducit dotem, non ut legatum, ſed ut æs alienum. Immo hodie conſtitutione Juſtiniani ſublato edicto de alterutro, ſi uxori legatum relictum ſit, conſequitur utrumque, & dotem & legatum, niſi legatum nominatim relictum ſit pro dote animo compenſandi; *d. l. unic. verſ. ſciendum.*

L. 52. *in princ.*

CAius Seio herede inſtituto, rem alienam, puta rem Sempronii, legavit Titio, Titius herede inſtituto Sempronio, eundem rogavit Mævio hereditatem reſtituere: quærebatur, an reſtituta hereditate Mævius poterit petere legatum, id eſt rem legatam Titio? Et Papinianus reſpondet *init. h. l.* Mævium inutiliter acturum legati nomine. Ratio dubitandi erat, quod reſtituta Mævio hereditate Titii, in eum transeant actiones, quæ erant in hereditate Titii; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* In hereditate Titii fuit

fuit actio, quæ ei competebat adverſus heredes Caii legati nomine, ut præſtaret rem vel æſtimationem; ergo in reſtitutione fideicommiſſi venit ea actio, quæ fuit in hereditate Titii. Tamen non venit in reſtitutionem ea actio, quia reſtituta hereditate, hæ tantum actiones tranſeunt in fideicommiſſarium, quæ heredi inſtituto competebant, fideicommiſſarius non poteſt conſequi quod ad heredem inſtitutum pervenire non potuit. Et ſicut Sempronius a Titio heres inſtitutus non potuit petere rem legatam Titio, quia ſua erat, (Rei ſuæ legatum non valet; §. *ſed ſi rem*, *inſt. de legat.* §. † *ſic itaque*, *de act.*) ita fideicommiſſarius non poteſt petere quod nec heres potuit, ex *h. l.* Heres non potuit petere legatum, id eſt rem legatam, quia rei ſuæ non habuit vindicationem, & res in eam cauſam recidit, a qua incipere non potuit; *l. quia in eum*, ſupr. *ad leg. Aquil. l. exiſtimo*, *de V. O.* Ita & fideicommiſſarius non poteſt conſequi quod ad heredem pervenire non potuit.

§. *ſervus*.

TEſtator duos heredes inſtituit Titium & Seium, & a Titio reliquit libertatem Sticho, & a Seio eidem Sticho per fideicommiſſum reliquit hereditatem: ſi neuter heredum adire velit hereditatem, nullæ prætoris partes erunt, id eſt neuter cogitur officio prætoris adire & præſtare libertatem, & fideicommiſſam hereditatem; neque propter ſolam libertatem compellitur adire Titius, a quo libertas relicta eſt Sticho; non eſt cogendus heres adire ſuſpectam hereditatem propter legata particularia; *l. prox.* infr. *h. tit.* Neque Seius alter heredum, a quo libertas data non eſt, propter Stichum, qui nondum liber eſt, compellitur adire. Et SC. *Trebelliano*, quo pertinet ad cogendum heredem adire, locus eſt, cum duobus heredibus inſtitutis, ab omnibus, id eſt ab utroque, directa vel fideicommiſſaria libertas ab eo datur, a quo hereditas quoque per fideicommiſſum relicta eſt: ſed ſi forte is, a quo libertas data eſt Sticho, portionem ſuam repudiavit, vel conditione excluſus eſt: pone inſtitutum ſub conditione, & conditionem defeciſſe, & portio repudiantis adcreverit coheredi, a quo fideicommiſſa hereditas relicta eſt, ille coheres cogi poteſt adire: quid enim intereſt, quo jure debitor libertatis & hereditatis idem eſſe cœperit? Id eſt nihil intereſt utrum ex perſona ſua, an ex perſona coheredis ob adcreſcentem portionem, idem utriusque fideicommiſſi debitor eſſe cœperit, & libertatis & hereditatis, quia portio deficientis adcreſcit coheredi cum onere; *l. unic.* §. *his ita definitis*, *C. de caduc. tollend.* Res tamen non carebat dubitatione, quia jure veteri ante conſtitutionem Juſtiniani, quæ eſt in *d. l. unic.* portio deficientis coheredis adcrevit coheredi ſine onere: atque ita videbatur, portionem deficientis adcreſcere coheredi absque onere præſtandæ libertatis. Et dubitandi cauſam ſignificat † Papinianus his verbis: *defendi poterit adire cogendum*. Sed hoc jure ſingulari conſtitutum eſt, non modo favore libertatis, ſed ex voluntate tacita defuncti, quia fideicommiſſum hereditatis ab eo præſtandæ, ad quem tota hereditas pervenerit, facile continet fideicommiſſum libertatis tamquam in neceſſarium antecedens, quia ſervus proprius teſtatoris non poteſt heres inſtitui ſine libertate; *l. cum quidam*, *C. de neceſſar. ſerv. hered. inſtit.* Et cum hereditate libertas tacita datur.

L. 53.

TEſtator heredem inſtituit Titium, eodem teſtamento Stichum legavit Seio, eundemque rogavit Stichum legatum manumittere, & Titium heredem ſcriptum rogavit, ut hereditatem per fideicommiſſum reſtitueret Sticho manumiſſo: quæritur, an heres, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, cogatur eam adire poſtulante Sticho ſervo, cui libertas a legatario, hereditas autem fidei-

commiſſaria ab herede relicta eſt ? Et † Papinianus in *h. l.* reſpondet , non eſſe cogendum heredem ſuſpectam adire hereditatem poſtulante ſervo , cui libertas a legatario , hereditas autem fideicommiſſaria ab herede relicta eſt, quod hoc caſu ſtatus hominis ex legato pendeat , id eſt libertas Stichi pendeat a legatario , a quo libertas relicta eſt , & nemo cogatur ſe adſtringere oneribus hereditariis propter legatum , metu ſc. periculi , quod ſubeſt , ne moram faciente legatario in præſtanda libertate , & inter moras defuncto fideicommiſſario , id eſt Sticho , priusquam potuerit ei hereditas reſtitui , neceſſe ſit heredem periclitari , & manere implicitum oneribus hereditatis , quam adiiſſe reperietur. Quod ſi vivo teſtatore legatarius , cui Stichus legatus eſt † ut manumittatur, deceſſerit , benigne reſpondetur , heredem , a quo hereditas per fideicommiſſum Sticho relicta eſt , cogendum adire hereditatem , cum in ipſius poteſtate ſit , Sticho manumiſſo reſtituere hereditatem , ex *h. l.* legatum enim libertatis , quod eſt in cauſa caduci , quia legatarius , a quo libertas relicta eſt , vivo teſtatore deceſſit , remanet apud heredem cum onere *; l. unic. §. in primo , & §. pro ſecundo ,* C. *de caduc. tollend. l. cum vero , §. ſi pro non ſcripto ,* infr. *de fideic. libertat.*

L. 54.

SI heres ſimpliciter rogatus ſit reſtituere hereditatem , permittitur ei res hereditarias alienare uſque ad modum quartæ , & res alienatæ heredi imputantur in quartam *; l. Marcellus , §. res quæ ,* ſupr. *h. tit.* alienata ultra quartam revocantur . Item liberis heredibus inſtitutis, & rogatis ſimpliciter hereditatem reſtituere , ſi quarta non ſufficiat doti , vel donationi propter nuptias , licebit eis de bonis ultra quartam alienare in eam cauſam , pro modo congruo dignitati perſonarum *; nov. 39. cap. 1. auth. res quæ ,* C. *comm. de legat.* Quod ſi heres rogatus ſit reſtituere , *quod ex hereditate ſupererit* , laxiores habet habenas . Res alienatæ bona fide non revocantur, quod medio tempore alienatum vel deminutum fuerit , non intervertendi fideicommiſſi cauſa , a fideicommiſſario peti non poteſt cedente die fideicommiſſi : non imponitur modus alienationi , quæcumque alienatio vel diminutio rata eſt , dummodo bona fide & non intervertendi fideicommiſſi conſilio facta ſit : puta dotis vel victus quotidiani cauſa *; l. mulier 22. §. cum proponeretur , l. Imperator ,* ſupr. *h. tit.* Verbis fideicommiſſi ineſt bona fides , ut ait Papinianus, ſeu fideicommiſſo ineſt arbitrium boni viri , ut reſcripſit D. Marcus in eandem ſententiam . Res alienatæ bona fide intelliguntur , ſi heres eas alienaverit dotis vel donationis liberis conſtituendæ cauſa , ut ſe ſuosve alat , vel ut ſuos captos ab hoſtibus redimat , quæ juſtiſſimæ ſunt cauſæ alienationis . Ita ſi heres rogatus , quicquid ex bonis ſupererit poſt mortem ſuam reſtituere , res hereditarias bona fide non in fraudem fideicommiſſi pignori obligaverit , non cogitur eas luere , & ſua pecunia liberare *; l. deducta , §. ult.* infr. *h. tit.* Et hoc eſt quod dicitur in *l. 3. §. nonnumquam ,* ſupr. *de uſur.* ubi heres rogatus eſt poſt mortem ſuam , quicquid ex bonis ſupererit reſtituere , ea , quæ bona fide deminuta ſunt , in cauſa fideicommiſſi non deprehendi , id eſt in cauſam fideicommiſſi non cadere , non venire in petitionem fideicommiſſi : ac proinde , ſi heres habebat bona propria , præter ea , quæ ſunt hereditatis fideicommiſſariæ , erogationes ab herede factæ , puta honoris adipiſcendi cauſa , (ut moris erat*; l. quod adipiſcendæ , & dd. ſeqq.* ſupr. *de don. int. vir. & uxor.*) ad ſolam fideicommiſſi denominationem non pertinent , ſed pro rata contribuuntur ſeu imputantur patrimonio proprio heredis , & fideicommiſſariæ hereditati , ex decreto D. Marci , quod a Papiniano adducitur in *h. l. & in d. l. 3. §. nonnumquam , de uſur.* Et hoc eſt decretum Divi Marci , cujus meminit Ulpianus in *l. ſed & ſi lege , §. quod autem* 16. ſupr. *de petit. hered.* Et hoc ita

recte

Digitized by Google

recte ait Papinianus, D. Marcum decreviſſe, non tantum æquitatis ratione motum, ſed etiam exemplo rei judicatæ in alia cauſa, in qua a D. Marco judicatum refertur, in collatione bonorum filium emancipatum, qui habebat bona pagana & caſtrenſia, etſi caſtrenſia non conferantur, ſumptus quos in militia fecit, non tantum imputare patrimonio, quod munus collationis pati debuit, id eſt bonis paganis, ſed etiam bonis caſtrenſibus pro rata. Ita & qui bona fide poſſidebat hereditatem, ſi quid ex hereditate erogaverit, non totum hereditati expenſum fertur, ſed patrimonio ejus pro rata, quod lautius impendit contemplatione hereditatis, dum falſo putat ſe eſſe heredem; *d. l. ſed & ſi lege*, §. *quod autem*. Propter hujusmodi tractatus, id eſt quæſtiones, ait Papinianus, ubi heres rogatus eſt, quicquid ex hereditate ſuperfuerit reſtituere, fideicommiſſarius cautionem fideicommiſſi nomine ab herede exigere debet de non alienando & deminuendo fideicommiſſo dolo malo, & ſatisdationem exigi, ait Papinianus, non ut ex ſtipulatione petatur quod ex fideicommiſſo peti non poterit, id eſt non ut teneatur plus præſtare ex ſtipulatu, quam præſtaret actione ex fideicommiſſo, ſed ut habeat fidejuſſores ejus quantitatis, quam ex fideicommiſſo petere potuit; creditoris enim intereſt duos reos vel plures debitores habere; *l. 3. in fin.* ſupr. *de liber. legat.* Igitur jure veteri, ſi heres rogatus ſit, quicquid ex hereditate ſupererit reſtituere, imoanc alienat, dum non alienet dolo malo intervertendi fideicommiſſi cauſa. Conſtitutione vero Juſtiniani, quia difficilis eſt probatio doli, heres rogatus reſtituere, *quicquid ex hereditate ſupererit*, hereditatem diminuere poteſt ad dodrantem usque, ita ut quadrantem illibatum ſervet fideicommiſſario: immo & quadrantem reſiduum attingere poteſt ex cauſa dotis, vel donationis propter nuptias, vel redemptionis captivorum, vel alimentorum, ſi dodrans his non ſufficiat; *nov.* 108. *cap.* 1. *de reſtitut.* unde ſumpta eſt *auth. contra cum rogatus*, *C. h. tit.* Et hoc verum eſt, ſi liberi ſint inſtituti heredes, & quarta non ſufficiat doti & donationi propter nuptias conſtituendæ pro dignitate natalium, tunc ſuppletur ex fideicommiſſaria hereditate; *l. mulier* 22. §. *pen.* ſupr. *h. tit.* & *nov.* 39. Quod ſi heres, qui rogatus eſt reſtituere, *quicquid ex hereditate ſupererit*, nihil deminuerit ex hereditate, an heres heredis poterit dodrantem deducere, quem heres conſumere potuit? Et recte Cujac. in *h. l.* negat poſſe, contra ſententiam Accurſii in *d. auth. contra cum rogatus*, quia palam eſt teſtatoris mentem fuiſſe, ut ſi quid alienatum eſſet reſiduum reſtitueretur, ſi nihil deminutum eſſet as reſtitueretur. Et non eſt diſcedendum a bona fide heredis, qui ſciens non alienavit plenioris fidei explendæ gratia, quo totum fideicommiſſum reſtitueretur. Heres rogatus poſt mortem ſuam reſtituere, *quicquid ex hereditate ſupererit*, ſi interim res hereditarias vendiderit, & de pretio earum alias comparaverit, deminuiſſe non videtur, & ideo res reparatæ vel permutatæ veniunt in fideicommiſſum; *l. Imperator*, §. *ult. de legat.* 2. vel pecunia ipſa, ſi exſtet, veniet in fideicommiſſum; *d. l. Imperator*, & *d. ſeqq.* non videtur abſumptum quod in corpus patrimonii verſum eſt; *l. pater*, *de adimend. legat.*

L. 55. in princ.

Reſtituta hereditate ex SC. actiones, quæ competunt heredi tamquam heredi, vel contra heredem, tranſeunt in fideicommiſſarium; *l. quamvis*, ſupr. *h. tit.* Reſtituta hereditate, jus patronatus, & actio operarum, non tranſit in fideicommiſſarium extraneum, ſed manet apud filium heredem: finge pater, qui habebat plures libertos, filium heredem inſtituit, eundemque rogavit extraneo hereditatem reſtituere. Reſtituta hereditate, operarum actio non transfertur in fideicommiſſarium, ſed manet apud heredem, operæ † libertorum non tranſeunt in heredem extraneum, ſed remanent apud filium, etſi he-

Digitized by Google

res non ſit *; l. ſi operarum* , infr. *de oper. libert. l. liberti* , *C. eod. l. ſciendum* , infr. *de V. S.* Unde filius patroni heres inſtitutus petendo operas , non videtur pro herede geſſiſſe , quia filiis patroni etiam non heredibus , puta abſtinentibus ſe bonis paternis , datur petitio operarum , modo non ſint exheredati , & futurarum maxime *; l. pro herede* , *§. ſi quid tamen* , ſupr. *de † adquir. heredit.* Sic operæ non tranſeunt ad fideicommiſſarium , qui eſt vice heredis, ſed remanent apud filium heredem inſtitutum , nec filio , reſtituta hereditate operas petenti a libertis , nocebit exceptio , reſtitutæ ſc. hereditatis , cum eadem prodeſſe non poſſit fideicommiſſario extraneo, cui reſtituta eſt hereditas ; reſtituta enim hereditate , operarum actio non tranſit in fideicommiſſarium extraneum, cum non ſit † patronus. Eadem ratione generaliter definitur in *h. l.* reſtituta hereditate non ſubmoveri heredem , neque liberari heredem ex iis cauſis , quæ non pertinent ad reſtitutionem , id eſt quæ non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, qualia ſunt jura ſepulcrorum, quæ reſtituta hereditate non tranſeunt in fideicommiſſarium , ſed manent apud heredem *; l. quia perinde* , *in fin.* ſupr. *h. tit.* Inde operæ libertorum & jura patronatus , quæ non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi , heredi non imputantur in quartam, quia in quartam imputantur tantum , quæ jure hereditario capiuntur , ut recte adnotavit Accurſ. *hic*.

§. *Imperator*.

EX reſcripto Antonini , in tempore directo data libertate , non eſt repræſentanda hereditatis reſtitutio , quia non eſt perſona cui hereditas reſtitui poſſit , ut ait Papinianus in *hoc* §. Finge ſi ab herede ſcripto hereditas pure per fideicommiſſum Sticho relicta ſit, & eidem libertas directa data in tempore , id eſt poſt tempus , heres non cogitur Sticho repræſentare fideicommiſſum ante tempus, quia non eſt cui hereditas reſtitui poſſit. Hereditas enim ſervo reſtitui non poteſt antequam liber factus ſit , & liber eſſe juſſus poſt tempus , ante diem non poteſt manumitti *; l. libertus* , infr. *de manumiſſ. teſt.*

§. *qui fideicommiſſam* , † §. *quid ergo*.

HEres inſtitutus & rogatus reſtituere hereditatem , qui coactus adiit , amittit quartam & omne commodum , quod conſecuturus erat ex ea hereditate *; l.* 4 ſupr. *h. tit.* Fideicommiſſarius etiam , qui coegit heredem adire & reſtituere, ſi ipſe quoque rogatus ſit alii reſtituere , quartam non detrahit , quarta tantum detrahitur ab herede , fideicommiſſarius quartam non detrahit *; l.* 1. §. *inde Neratius* , *l. facta* , §. *ſi cum ſuſpectam* , infr. *h. tit.* Nec ad rem pertinet , quod niſi prior fideicommiſſarius coegiſſet heredem adire & reſtituere hereditatem , fideicommiſſum ſecundo loco datum intercidiſſet, quia aditione hereditatis fideicommiſſum ſuſtinetur. Cum ſemel adita eſt hereditas , omnis voluntas defuncti rata conſtituitur. Huic ſententiæ contrarium videtur , quod fideicommiſſarius legata ab herede relicta præſtat deducta *falcidia*, ſi eam non deduxit heres. Sed minime contrarium eſt , quia † fideicommiſſarius eo caſu *falcidiam* deducit ex perſona heredis , non ex ſua perſona & proprio nomine. Fideicommiſſarius , qui coegit heredem adire & reſtituere hereditatem , *falcidiam* detradit ex legatis ab herede relictis, quia eo caſu deducit *falcidiam* ex perſona heredis , qui deducere potuit . Fideicommiſſarius *falcidiam* non detrahit ex legatis & fideicommiſſis a ſe relictis , quia fideicommiſſarius qualiscumque pro legatario habetur *; l. mulier* 22. §. *ult. l. facta* , §. *ſi cum ſuſpectam* , infr. *h. tit.* Præterea heres rogatus reſtituere hereditatem Titio , qui & eam alii reſtituere rogatus eſt, ſi ſuſpectam hereditatem dicat , non poteſt cogi a priore fideicommiſſario , ut adeat & reſtituat , ſi nulla portio hereditatis ſit

Digitized by Google

ſit remanſura apud eum, ut ſi rogatus ſit reſtituere totam hereditatem. Immo & ſi prior fideicommiſſarius rogatus ſit alii reſtituere totam hereditatem ſtatim vel poſt tempus cum fructibus, id eſt cum fructibus medii temporis, vel ſine fructibus, non poteſt cogi adire & reſtituere hereditatem, quia heres non eſt cogendus adire hereditatem propter commodum fructuum medii temporis, quia nec heres cogi poteſt adire propter legatum particulare, propter legatum libertatis; quod etiam proponitur in *l. ſi res aliena*, *& l. ſeq.* ſupr. *h. tit.* Heres non poteſt cogi adire hereditatem, niſi pars hereditatis apud eum ſit remanſura, propter partem hereditatis, non propter legatum, vel fideicommiſſum particulare. Quod ſi prior fideicommiſſarius recuſet fideicommiſſum, ſecundus fideicommiſſarius recta via, id eſt ſtatim, ac ſi non eſſet medius alius fideicommiſſarius, poteſt compellere heredem adire & reſtituere. Ait recta via, id eſt omiſſo priore fideicommiſſario, quia rerum expediendarum cauſa circuitus vitandus eſt; *l. dominus*, ſupr. *de condit. indebit.* Heres, qui coactus adiit, non tantum perdit quartam, ſed etiam fideicommiſſum ejuſdem hereditatis, quod fideicommiſſarius eidem reſtituere rogatus eſt. Et hoc non eſt omittendum † translatitie, id eſt in tranſitu, ſeu perfunctorie, diſſimulanter, ait Papinianus. Amittit & prælegatum & commodum ſubſtitutionis pupillaris, ſi modo ad bona pupilli per ſubſtitutionem ſit vocatus, quaſi heres patri, hoc modo, *quiſquis mihi heres erit*, *idem filio meo heres eſto*. Denique heres, qui coactus adiit, perdit omne commodum, etiam jus adcreſcendi, quod obvenit ut coheredi; *l. ſi res aliena*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* Et generaliter amittit omnia, quæ ſunt ex ea hereditate: immo etiam ea, quæ ſunt ex aliena hereditate, puta pupilli, quæ non erat habiturus, ſi heres patris non fuiſſet. Contrarium non eſt, quod heres inſtitutus pro parte, idemque legatarius, ſi abſtinuerit ſe hereditate, non amittit prælegatum; *l. qui filiabus*, §. *ult. l. filio pater*, ſupr. *de legat.* 1. *l. cum reſponſo*, *C. de legat.* quia qui coactus adiit, merito amittit omne commodum, quia deſtituit, ſpernit judicium defuncti, non autem impugnat judicium defuncti qui ſe abſtinuit, qui juſtis de cauſis noluit implicari negotiis hereditariis. Sane qui coactus adiit, pendente conditione *falcidiam* & fideicommiſſum ſibi ſervare poteſt: ſed ſi vel pure vel ſub conditione rogatus coactus adierit, non eſt locus pœnitentiæ, non poteſt pœnitendo quartam ſervare, ut modo docui ex *l. nam quod*, §. *qui compulſus*, ſupr. *h. tit. l.* 4. *C. eod.* Denique, ut omnia perſequar, quæ ſuperſunt *hh.* † §§. heres, qui coactus adiit, ea omnia amittit, quæ erat conſecuturus ut heres, qua ratione non amittit jura ſepulcri familiæ defuncti, quia jus ſepulcri familiaris habet, non ut heres, ſed ut filius, unde reſtituta hereditate jura ſepulcrorum non tranſeunt in fideicommiſſarium, ſed manent apud heredem; *l. quia perinde*, §. *reſtituta*, ſupr. *h. tit.* quia & exheredati id juris habent; *l.* 6. ſupr. *de religioſ.* Heredi coacto etiam non aufertur mortis capio, quod conditionis implendæ cauſa datum eſt; *l. qui heredi*, §. *cum hereditas*, *& ſeq.* ſupr. *de condit. & dem.* quia quod conditionis implendæ cauſa datur, heres capit ut quilibet, non ut heres, & ex alicujus bonis, non ex bonis defuncti, cujus judicium dereliquit. Non auferuntur etiam heredi coacto fructus ex hereditate ante moram percepti; *l. ita tamen*, §. 1. ſupr. *h. tit.* quia non hereditati, ſed rebus ipſis accepto feruntur; *l. in fideicommiſſaria*, §. *quotiens*, ſupr. *h. tit.*

§. *cui Titiana*.

Fideicommiſſarius, cui ex *Trebelliano* reſtituta eſt hereditas, debet reſtituere fideicommiſſum, quod defunctus debuit. Finge, quæ eſt ſpecies *h.* §. Titius a Mævio heres inſtitutus eſt, & rogatus hereditatem Mævianam Sem-

Digitized by Google

pronio reſtituere. Idem Titius Caium ſibi heredem inſtituit, rogavitque, ut hereditatem ſuam, in qua erat Mæviana, reſtitueret Claudio. Caius ex cauſa fideicommiſſi obligatur Sempronio, ut ei reſtituat hereditatem Mævianam, quam Titius reſtituere debuit fideicommiſſo hereditatis; quod defunctus debuit, obligatur non tantum heres, ſed etiam heres heredis, & quilibet alius ſucceſſor, etiam is, cui heres bona defuncti reſtituit ex *Trebelliano*.

§. *ult.*

REStituta hereditate ex *Trebelliano*, actiones transeunt in fideicommiſſarium: ſed ſi cum herede ſcripto, & rogato reſtituere hereditatem, lis conteſtata ſit ante reſtitutionem, & poſtea evincatur hereditas ab herede legitimo, actiones translatæ in fideicommiſſarium, id eſt quæ transierunt in fideicommiſſarium reſtituta hereditate, & quæ ex *Trebelliano* perpetuæ futuræ erant apud fideicommiſſarium, ſunt temporales, id eſt abscedunt a perſona fideicommiſſarii, ex quo apparet indebitum fideicommiſſum reſtitutum ex minus ſolemni teſtamento. Et hoc eſt quod dicitur in hoc §. *actiones temporariæ Trebelliani ſolent eſſe*. Ratio ſubjicitur, *quia poteſtas evictionis tollit intellectum reſtitutionis, indebito fideicommiſſo conſtituto*, id eſt ſententia lata adverſus heredem, per quem hereditas evicta eſt, nullo irritove pronuntiato teſtamento, & ubi fideicommiſſum ex minus ſolemni teſtamento relictum, indebitum conſtitutum eſt, tollit intellectum reſtitutionis, id eſt efficit, ut hereditas, quæ reſtituta eſt poſt litem conteſtatam, pro non reſtituta habeatur, & quaſi delet & circumſcribit reſtitutionem. Sententia lata adverſus heredem nocet fideicommiſſario; *l. Papinianus*, §. † *pen.* ſupr. *de inoffic. teſt. l. ex contractu*, infr. *de re judic.* quia ſententia prædio dicta eſt, ut dicitur in *l.* † *liberto*, §. *ult. de negot. geſt.* ac ſententia lata adverſus heredem, executoria eſt adverſus ſubſtitutum, quia lata fuit adverſus idoneum defenſorem, & legitimum contradictorem. Quod ſi fideicommiſſum hereditatis relictum ſit, etiam ab herede legitimo, qui evicit hereditatem, hoc caſu victus poſſeſſor hereditatis, heredi legitimo reputabit partem hereditatis, quam reſtituit fideicommiſſario pendente lite, atque ita actiones perdurabunt apud fideicommiſſarium, ut oſtenditur in *hoc* §. Contra primum caſum *h.* §. objici poteſt *l. facta*, §. *ſi heres ſcriptus*, infr. *h. tit.* ubi ſi heres ſcriptus reſtituerit hereditatem, & poſtea de hereditate controverſiam paſſus victus ſit, aut lite ceſſerit, durant actiones ſemel translatæ in fideicommiſſarium: ſed hoc verum eſt, ſi heres dolo victus ſit, puta ſi ſciens teſtamentum nullum & irritum eſſe, reſtituerit hereditatem, tenetur petitione hereditatis, quaſi poſſeſſor; dolus pro poſſeſſione eſt. Ex hac cauſa ob dolum ſuum victus præſtabit æſtimationem litis, hoc eſt pretium hereditatis, neque enim res ipſæ veniunt in petitionem hereditatis, atque ita actiones remanent apud fideicommiſſarium.

L. 56.

PAter filiam heredem inſtituit ex parte, eandemque rogavit, acceptis certis rebus, portionem ſuam reſtituere fratribus coheredibus; etiam ſi dubitetur de viribus teſtamenti, ſi teſtamentum dicatur nullum, irritum, inofficioſum, aut falſum, interim heredes mittendi ſunt in poſſeſſionem hereditatis, ex edicto D. Adriani, hodie ex conſtitutione Juſtiniani; *l.* 3. *C. de edict. D. Adrian.* † *tollend.* interim quoque filia, quæ rogata eſt reſtituere hereditatem fratribus, mitti debet in poſſeſſionem hereditatis. Quod ſi interim, id eſt ante reſtitutam hereditatem, fratres res quaſdam hereditarias in ſolidum diſtraxerint, & alias pignori obligaverint, reſtituta hereditate, alienationes & pignora ex poſt facto confirmantur, quæ eſt ſpecies *h. l.* Alienatio, vel pignoratio rei per fideicommiſſum

Digitized by Google

miſſum reſtituendæ, ante reſtitutam hereditatem per fideicommiſſarium facta, non valet, quia pignus rei alienæ non valet ſine conſenſu domini: at fideicommiſſarius nihil juris habet in rebus hereditariis ante reſtitutionem; *l. reſtituta*, ſupr. *h. tit.* ſed reſtituta hereditate alienatio & pignoratio, quæ ab initio non valuit, ex poſt facto convaleſcit, non ſine fictione juris; reſtitutio enim hereditatis retro trahitur, & perinde habetur, ac ſi præiiſſet venditionem vel pignorationem. Et generaliter pignus rei alienæ ab initio non valet: ſed ſi debitor poſtea dominus pignoris factus ſit, pignus convaleſcit, non quidem directo, ſed ex æquo & bono, & creditori datur utilis pigneratitia; *l. rem alienam*, ſupr. *de pigner. act. l. ſi Titio, de pignorib.*

L. 57. in princ.

SI heres rogatus ſit, quicquid ex hereditate boniſve defuncti ad ſe pervenerit, poſt mortem ſuam reſtituere, fructus pendente conditione fideicommiſſi perceptos non reſtituit, quia nihil de fructibus reſtituendis ſenſit teſtator, ut definitur *init. h. l. & in l. quod his verbis*, ſupr. *de legat.* 3. Ratio dubitandi ſuberat, quod teſtator verbis generalibus uſus, *quicquid ex hereditate boniſve meis ad se pervenerit, rogo id omne reſtituas*; nec in caſſum videtur repetitum, *quicquid ex hereditate, & quicquid ex bonis*, unde videbatur teſtatorem ſenſiſſe etiam de fructibus medii temporis reſtituendis. Sed aliud conſtat, quia heres rogatus eſt tantum de eo, quod hereditatis eſſet, ac proinde non intelligitur rogatus de fructibus reſtituendis: fructus ante moram percepti, non hereditati, ſed rebus ipſis accepto feruntur; *l. in fideicommiſſaria*, §. *quotiens*, ſupr. *h. tit.* Et ideo fructus medio tempore ab herede percepti, id eſt pendente conditione fideicommiſſi, heredi imputantur in quartam; *l. mulier* 22. §. *ſi heres*, ſupr. *h. tit.* niſi heres rogatus ſit ex liberis: liberi a patre heredes inſtituti, & rogati hereditatem poſt tempus reſtituere, fructus medii temporis non imputant in quartam, licet hoc pater juſſerit, quartam non detrahunt de fructibus; ſed de corporibus hereditariis; *l. jubemus*, C. *h. tit.* Huic *l.* nihil obſtat *l. Balliſta*, ſupr. *h. tit.* quæ, ut ibi docui, non eſt de hereditate reſtituenda ex fideicommiſſo, ſed ex cautione conventionali, quam conſtat recipere incrementum fructuum ex mente contrahentium a die interpoſitæ cautionis; & ita in *l. pater*, §. *pen.* ſupr. *de legat.* 3. ſi teſtator jubeat, filios prædia conſervare ſucceſſioni ſuæ, non eſt fideicommiſſum, ſi & de ea re jubeat invicem ſibi cavere, non eſt fideicommiſſum, ſed contractus, ſeu obligatio. Contractus recipit incrementum fructuum, fideicommiſſum non item. Magis pugnare videtur *l. cum quis uxori*, §. *mulier*, ſupr. *de dote prælegat.* ubi mulier rogata, quicquid ad ſe ex hereditate mariti perveniſſet reſtituere, dotem præcipuam retinet, cum fructibus medii temporis; reſiduum cum fructibus perceptis reſtituit: ſed hoc ſpeciale eſt ex conjectura voluntatis defuncti. Teſtator intelligitur legaſſe animo compenſandi cum dote, atque ita voluiſſe, ut deducta dote & fructibus, reſiduum reſtitueret cum fructibus.

§. *cum ita*.

PAter duos filios impuberes heredes inſtituit & rogavit invicem, ut ſi quis eorum prior ſine liberis decederet, partem ſuam ſuperſtiti fratri reſtitueret: quod ſi uterque ſine liberis decederet, totam hereditatem ad Claudiam neptem ex filio pervenire voluit; defuncto altero, uno filio ſuperſtite, noviſſimo autem ſine liberis, quærebatur, an ceſſante prima ſubſtitutione, neptis admittatur in partem noviſſimi morientis? Si verba ſubſtitutionis ſpectes, ſubſtitutio locum non habet, quia uterque filius non deceſſit ſine liberis, ſed noviſſimus tantum,

& neptis ita ſubſtituta eſt, ſi uterque ſine liberis decederet: ſed tamen verius eſt, neptem admitti in partem fideicommiſſi, contra verba teſtamenti, quia in fideicommiſſis voluntas teſtatoris magis ſpectatur, quam verba, quod & repetitum eſt in *l. cum virum*, *C. de fideicommiſſis*. Videtur autem teſtator ad neptem voluiſſe partem pertinere, cum ad eam totam hereditatem pertinere voluerit, ſi uterque deceſſiſſet ſine liberis. Abſurdum eſt ei partem denegari, quam totum habere voluit teſtator, ſi uterque ſine liberis deceſſiſſet: & haec eſt ſpecies *h.* §. Neque obſtat *l. pen. C. de impub. & aliis ſubſtit.* ubi ſubſtitutus duobus filiis impuberibus non admittitur, niſi utroque impubere defuncto; ſunt enim diverſæ ſpecies: *l. pen.* eſt de ſubſtitutione directa: *lex iſta* eſt de ſubſtitutione fideicommiſſaria, quæ colligitur ex conjecturis & voluntate teſtatoris contra verba teſtatoris. Directa non niſi directis & expreſſis verbis conſtituitur; *l. verbis civilibus*, *l. centurio*, ſupr. *de vulgar. & pupillar. l. jubemus*, *C. de teſtament.*

§. *peto de te.*

MAritus uxorem heredem inſtituit, & rogavit, ut, cum moreretur, hereditatem reſtitueret filiis ſuis, omnibus ſc. vel uni eorum ſuperſtiti aliis præmorientibus, aliis deficientibus, vel nepotibus ſuis, vel cui vellet, vel cognatis ſi cui vellet: quæritur, an matri data ſit electio inter liberos, an omnes in fideicommiſſum vocentur ex virilibus portionibus? Et Papinianus reſpondet *hic*, inter filios ſubſtitutionem fideicommiſſo ſeu per fideicommiſſum factam videri, inter filios non videtur matri data electio, inter filios videtur facta ſubſtitutio, ita ut omnes ex æquis partibus vocentur, ſi omnes ſuperſint, vel unus eorum, ſi unus ſuperſit aliis præmortuis. Inter liberos non videtur teſtator matri dediſſe electionem, quia non adjecit cui vellet, ſed ſimpliciter dixit, reſtituas filiis meis, vel uni eorum. Ratio dubitandi erat, quod ſubſtitutio facta eſt inter liberos verbis alternativis, ex quibus inducitur electio; *l. ſi ita relictum*, §. *ult.* ſupr. *de legat.* 2. *l. plerumque*, §. *ult. de jur. dot.* tum quia ex gradibus ſequentibus, quibus legitur data electio, inferri videbatur electionem matri datam in priori gradu, quia pars una teſtamenti per aliam declaratur; *l. qui filiabus*, *l. ſi ſervus plurium*, §. *ult.* ſupr. *de legat.* 1. Tamen concluditur, matri non dari electionem, ſed omnes liberos ex æquo vocari. Et hoc eſt quod dicitur, inter filios ſubſtitutionem fideicommiſſo factam videri, id eſt ſubſtitutionem ita factam inter liberos, ut omnes ex æquo ſint ſubſtituti, & nulla matri detur eligendi poteſtas circa liberos, quia teſtator non dixit cui vellet, ſed adjecit vel uni eorum, quibus verbis inter liberos videtur facta ſubſtitutio, ita ut omnes ad fideicommiſſum vocentur, ſi omnes ſuperſint, vel unus eorum, ſi alius non ſuperſit. Ita in *l. cum pater*, §. *pen. de legat.* 2. ſi † maritus rogatus ſit reſtituere hereditatem liberis, vel, ſi non habuerit, propinquis, aut etiam libertis, Papinianus reſpondit, non eſſe datam electionem, ſed ordinem ſcripturæ factum ſubſtitutioni, id eſt fideicommiſſum relictum videri inter liberos, & propinquos, ſervato proximitatis ordine, & gradus prærogativa, quem declarat ordo ſcripturæ, ſeu vocationis. Circa nepotes autem & cognatos teſtatoris manifeſtum eſt, mulieri datam electionem, ut cui vellet ex nepotibus vel cognatis reſtitueret hereditatem, ſed ex cognatis, ſi nepotes ſupereſſent, non recte mulierem electuram propter gradus fideicommiſſi præſcriptos. Ait propter gradus fideicommiſſi præſcriptos; in fideicommiſſis enim quoties plures ſub nomine collectivo vocantur, inter quos cadit ordo caritatis, ſeu affectionis, id eſt qui ſunt diverſi gradus, puta filii, nepotes, & cognati, non cenſentur ſimul vocati, ſed gradatim ſeu ordine ſucceſſivo, qui prior eſt gradu, prius vocatur, quia magis dilectus præſumitur: ita ſi fideicommiſſum familiæ relictum ſit, ſi plures ſint diverſi gradus, omnes vocantur, ſed gradatim,

Digitized by Google

tim, ita ut proximiores præferantur; *l. cum ita*, alias *l. omnia* 32. §. *in fideicommiſſo*; *l. peto*, §. *fratre*, *de legat.* 2. *l. ult. C. de V. S.* In fideicommiſſis pluribus vocatis ſub nomine collectivo, qui prior eſt gradu, primo vocatur ad fideicommiſſum, quia ſucceſſio ex teſtamento regulatur ſeu ordinatur juxta ſucceſſionem inteſtati, ut recte ait gloſſ. in *d. l. cum ita*, §. *in fideicommiſſo*. Atque ita quoties plures ſub nomine collectivo ad fideicommiſſum vocantur, non ſimul admittuntur, ſed eo ipſo ordine, qui in ſucceſſione inteſtati ſervaretur: ſi fideicommiſſum familiæ relictum ſit, proximior præfertur, niſi exſtent primo nominati; ſpecialiter enim nominati præferuntur, quia magis dilecti præſumuntur; *d. l. cum ita*, §. *in fideicommiſſo*. Si fideicommiſſum familiæ relictum ſit, proximiores gradu admittuntur: ſed quæſtio eſt, an proximiores intelligi debeant, qui ſunt proximiores teſtatori, an vero proximiores heredi. Socinus in *l. ſi cognatis*, ſupr. *de reb. dub.* putavit, proximiores heredi præferri: ſed obtinuit ſententia Bartoli in *ead. l.* proximiores teſtatori præferri, quia fideicommiſſarius non heredi gravato ſuccedit, ſed teſtatori; *l.* 1. *l. in fideicommiſſaria*, & paſſ. *h. tit. l. coheredi*, §. *cum filia*, *de vulgar. & pupillar.*

L. 58. *in princ.*

ADitione hereditatis confunduntur obligationes & actiones, ſi creditor debitori heres exſtiterit, & confuſione actiones extinguuntur; *l. prox.* infr. *h. tit. l. Stichum*, §. *aditio*, infr. *de ſolut. l. debitori*, *C. de pact.* Etiam ſi heres rogatus ſit hereditatem reſtituere, ſi debitori heres exſtiterit, aditione confuſæ ſunt actiones, & actiones ſemel confuſæ per aditionem non redintegrantur ex *Trebelliano*, id eſt actiones ſemel extinctæ aditione non reſtituuntur per reſtitutionem hereditatis, quæ fit ex *Trebelliano*: actiones, quæ primum competebant in debitorem, quæ confuſæ ſunt, ex quo heres gravatus debitori heres exſtitit, reſtituta hereditate non reſuſcitantur, & transferuntur in fideicommiſſarium: actio ſemel extincta non reviviſcit; *l. qui res*, §. *aream*, infr. *de ſolut.* Igitur hoc caſu fideicommiſſario datur actio ex cauſa fideicommiſſi in heredem, † qui reſtituit hereditatem, per quam dodrans ejus pecuniæ debitæ petetur. Reſtituta hereditate non reſtituitur prior actio, quæ aditione ſemel confuſa & extincta eſt: ſed ejus pecuniæ ſervandæ cauſa fideicommiſſario datur actio ex fideicommiſſo in heredem, id eſt actio ex teſtamento, quaſi fideicommiſſum non ſit plene reſtitutum. Et heres rogatus hereditatem deducta quarta reſtituere, ſi debitori hereditario heres exſtiterit, non modo dodrantem pecuniæ debitæ, id eſt ſortis, hac actione fideicommiſſario reſtituere debet, ſed etiam dodrantem uſurarum ejuſdem pecuniæ, nempe uſurarum præteriti temporis, quæ fuerunt in obligatione, vel officio judicis in eum diem, quo actio confuſa eſt, ex quo debitoris hereditarii hereditatem adiit. In obligatione ſunt uſuræ, quæ debentur ex ſtipulatu in ſtrictis judiciis: in officio judicis ſunt uſuræ, quæ debentur ex mora officio judicis: in bonæ fidei judiciis uſuræ præteriti temporis, quæ fuerunt debitæ ex ſtipulatu, vel officio judicis tempore mortis defuncti, veniunt in actionem fideicommiſſi, quaſi pars hereditatis reſtituendæ: fructus inventi in hereditate tempore mortis, augent hereditatem; *l. centurio*, *de vulgar. & pupill. l. in falcidia* 9. *ad leg. falc.* Quamobrem fructus percepti tempore mortis, ante aditam hereditatem, veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi; *l. ita tamen*, §. *ſi ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* quia non ut fructus, ſed pars hereditatis cenſentur. Poſteriores autem uſuræ, id eſt quæ currunt a die, quo actio confuſa eſt aditione, usque ad diem reſtituendi fideicommiſſi, non computantur, non præſtantur fideicommiſſario deducta quarta, niſi a die moræ, ut definitur *hic*: fructus & uſuræ medii temporis, id eſt fructus & uſuræ perceptæ a die aditionis hereditatis usque ad reſtitutionem, non

† Juxta hanc lecturam, debitor peteret dodrantem a creditore. Lex eſt de herede rogato reſtituere, qui, prius quam reſtitueret, hereditario debitori heres exſtitit: prout, quaſi per ſimilitudinem prioris poſitionis, mox ſubjungitur.

veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, niſi ex mora præſtandi fideicommiſſi; *l. poſtulante*, §. *ſed in hujusmodi*, ſupr. *h. tit.* quia non hereditati, ſed rebus ipſis hereditariis accepto feruntur; *l. in fideicommiſſaria*, §. *quotiens*, ſup. *h. tit.*

§. *cum hereditas*.

SI heres rogatus in tempus, id eſt poſt tempus, reſtituere hereditatem, alia nomina hereditaria exegerit, alia non exegerit, nominum non exactorum periculum non præſtat in reſtitutione fideicommiſſi, ex *hoc* §. quod verum eſt, ſi vacet culpa. Heres gravatus ex eo ſolo non præſtat periculum nominum non exactorum, quod quædam exegit, ſi abſit culpa: nihil eſt quod imputetur heredi, ſi eadem diligentia uſus non eſt in aliis nominibus exigendis: ut negotiorum geſtor, qui abſentis negotia ſponte ſuſcipit, non tenetur, ſi quædam non geſſerit; ſufficit enim ſi cui vel in paucis amici labore conſulatur; *l. tutori*, C. *de negot. geſt.* Heres non præſtat periculum nominum, niſi culpa ejus deteriora facta ſint ceſſante eo in exigendis nominibus; periculum enim nominum ad eum pertinet, cujus culpa deteriora eſſe facta probatur; *l. periculum*, ſupr. *de reb. credit.* Neque pugnat *l. cum quæritur*, ſupr. *de adm. tutor.* quam objicit Accurſ. ubi tutor præſtat periculum nominum: agitur enim de nominibus contractis a tutore, horum quidem periculum præſtat tutor: ſed ſi alia nomina ſint idonea, alia deperdita, & male contracta, tutor poteſt eam conditionem deferre pupillo, ut aut nomina in totum agnoſcat, aut in totum rejiciat. Et ita etiam in herede rogato reſtituere, is quidem non præſtat periculum nominum, eorum ſc. quæ inventa ſunt in hereditate, ſed certe præſtat periculum nominum, quæ ipſe contraxit. Et ideo heres rogatus reſtituere hereditatem, non reſtituit uſuras medii temporis, quia periculo ſuo fœneravit, id eſt ſuo periculo collocavit ea nomina; *l. poſtulante*, §. 1. ſupr. *h. tit.*

§. *qui poſt tempus*.

HEres rogatus poſt certum tempus hereditatem reſtituere, uſuras perceptas a debitoribus hereditariis, quarum dies ceſſit poſt mortem teſtatoris, non reſtituit fideicommiſſario. Uſuræ, per heredem perceptæ poſt mortem teſtatoris, non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi; *l. poſtulante*, §. *ſed in hujusmodi*, ſupr. *h. tit. l. uſuræ*, *de uſur.* At uſuræ non exactæ veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, etiam ſi earum dies ceſſerit poſt mortem teſtatoris, quia hereditaria eſt actio, etiam obligatio uſurarum hereditaria eſt; *d. l. poſtulante*, §. *ſed in hujusmodi*, quia eodem jure cenſentur, quo obligatio ſortis, quæ eſt hereditaria; uſuræ enim ſunt acceſſiones ſortis. Quamobrem heredi non competit condictio indebiti, ſi uſuris non deductis, quarum dies ceſſerat, hereditatem reſtituerit ex *Trebelliano*. Quod Papinianus ſignificat his verbis: *& ideo nec indebiti repetitio erit*: heredi, qui reſtituit hereditatem non deductis his uſuris nondum exactis, ſed quarum dies ceſſit poſt mortem teſtatoris ante moram vel reſtitutionem, non datur condictio indebiti, quaſi plus debito ſolverit, quia non videtur indebitum ſolviſſe, qui reſtituit hereditatem non deductis uſuris nondum exactis, quarum actio erat hereditaria. Quod ſi heres uſuras medii temporis non ſolverit hereditario creditori, onus uſurarum ſequitur fideicommiſſarium, nec erit quod queratur fideicommiſſarius cum herede, quod de fructibus medio tempore perceptis uſuras non ſolverit, quia heres fructus jure ſuo percepit: heres non tenetur ſolvere uſuras ex fructibus medio tempore perceptis, quia eos fructus jure ſuo percepit, id eſt jure hereditario, ex judicio defuncti; *l.* † *mulier* 22. §. *ſi heres*, ſupr. *h. tit.* ita ut videatur percepiſſe ſine onere ullo. Ratio dubitandi erat, quod uſuræ æris alieni ſunt onus

bnus fructuum, & ſicut fructus non intelliguntur, niſi deductis ſumptibus factis fructuum quærendorum & colligendorum cauſa; *l. quod* † *in fructus*, ſupr. *de uſur.* ita fructus non intelliguntur, niſi deductis uſuris æris alieni, & aliis oneribus bonorum, & onus uſurarum æris alieni pertinet ad heredem, propter fructus, quos percepit, quod uſuræ ſint onus fructuum: ita qui habet uſumfructum bonorum præſtat uſuras æris alieni, non tenetur ſolvere æs alienum de uſufructu, ſed æs alienum ex bonis deducitur; *l. ult. de uſufr. legat. l. uſufructu bonorum*, *ad l. falcid.* id eſt tam de proprietate, quam de uſufructu: quare ſi ſortem non ſolvat, uſuræ æris alieni minuunt uſumfructum. Hac ratione pater, qui habet uſumfructum bonorum adventitiorum, tenetur impendere ſumptus litis, ſi quæ ſunt lites hereditariæ, & ſolvere uſuras æris alieni de fructibus bonorum; *l. ult.* §. *ubi autem*, C. † *de bon. quæ liber.* Ergo videbatur dicendum, onus uſurarum æris alieni pertinere etiam ad heredem rogatum reſtituere hereditatem. Tamen verius eſt, heredem gravatum non cogi ſolvere uſuras, quia fructus percipit jure ſuo, id eſt ex judicio teſtatoris, ideoque eos percipit ſine onere uſurarum. Heres non tenetur ſolvere uſuras, ſi tamen eas ſolverit, non reputabit fideicommiſſario, quia videtur proprium negotium geſſiſſe. Eadem ratione ſecundus creditor, qui ſortem & uſuras ſolvit primo creditori, non imputat debitori uſurarum ſolutarum uſuras, quia ſuum magis, quam alterius negotium geſſit; *l. creditor*, §. *ſciendum*, ſupr. *qui potior. in pignor.* Quod ſi heres coactus per judicem ſortem ſolverit creditoribus hereditariis, uſuras medii temporis ſortis ſolutæ non reputabit fideicommiſſario: quæ omnia colliguntur ex *hoc* §. Neque obſtat *l. ſcribit*, ſupr. *h. tit.* ubi de fructibus medio tempore perceptis debet ſupplere fideicommiſſum, quod interim caſu deminutum eſt; diverſæ enim ſunt ſpecies.

§. *acceptis centum*.

IN quartam imputantur ea quæ capiuntur jure hereditario, ex judicio defuncti; *l. in quartam*, *ad l. falcid.* Heres rogatus, acceptis centum, hereditatem reſtituere, non demonſtrata perſona dantis, tota ea centum imputat in *falcidiam*, perinde ac ſi, retentis centum ex bonis hereditatis, rogatus eſſet hereditatem reſtituere: & ita conſtitutum reſcripto D. Adriani, de quo *hic*, & in *l. acceptis*, ſupr. *ad leg. falcid.* Reſcripto D. Adriani locus eſt, ſi heres pro parte hereditatem coheredi ſuo reſtituere rogetur, id eſt reſcripto D. Adriani locus eſt, non tantum ſi heres rogetur, accepta certa pecunia vel ſumma, alii reſtituere hereditatem, ſed & ſi rogetur coheredi ſuo reſtituere, ut ſc. cum rogatur coheredi ſuo, accepta certa ſumma, hereditatem reſtituere, totam eam ſummam imputet in *falcidiam*, quia totam eam non de corpore hereditatis, ſed de parte ſua, qui rogatus eſt partem hereditatis reſtituere, retinet jure ſuo, jure hereditario. Si heres rogatus ſit, acceptis centum a Mævio, hereditatem Mævio reſtituere, heres ea centum non imputat in *falcidiam*, quia non capit ea jure hereditario, ex judicio defuncti, ſed mortis cauſa conditionis fideicommiſſi implendæ cauſa; *d. l. in quartam*, *d. l. acceptis*. Multum intereſt, utrum heres rogetur, acceptis centum a Mævio, hereditatem Mævio reſtituere, qui nihil ante cœperit ex teſtamento, id eſt cui nihil ante teſtamento relictum fuerit, aut Mævio jam coheredi ſcripto; quia priore caſu centum capiuntur mortis cauſa, non jure fideicommiſſi; poſteriore caſu jure fideicommiſſi. Quod ſi quis, retentis certis prædiis, partem hereditatis coheredi ſuo reſtituere rogetur, prædiorum quidem unam portionem retinet de parte ſua jure hereditario, aliam vero portionem non retinet de parte ſua, ſed accipit de parte coheredis, qui in ea dominium habet. Ergo ſi quis, retentis certis prædiis, partem hereditatis coheredi ſuo reſtituere rogetur, quia prædia prælegata eſſe videntur, in

Digitized by Google

falcidiam non imputat ſolida prædia, ſed partem prædiorum, quam capit à ſemetipſo jure hereditario, imputat in *falcidiam*; partem vero, quam capit a coherede jure legati, non imputat in *falcidiam*, ſed tamen compenſat eam cum *falcidia*, quam deducere deſiderat ex ſua portione, aut ſi nolit compenſare, a coherede nihil capit; *l. Neſennius*, *l. filio*, *ad l. falcid. l. heredi*, *de his, quæ ut indign. l. qui non militabat*, *de hered. inſtit. l. filium*, C. *famil. erciſc.* quæ leges nihil adverſantur *huic loco*. Magna differentia eſt inter imputationem & compenſationem, ut optime obſervavit Cujac. *hic*. In *falcidiam* heres imputat quod a ſemetipſo capit jure hereditario; compenſat cum *falcidia* quod capit a coherede jure legati. Imputatio eſt coacta, compenſatio voluntaria; nec enim compenſabo invitus, ſed ſi velim non compenſabo. Qua ex re tamen amittam quod vice mutua a coherede percipere potuiſſem, imputatio fit ipſo jure, compenſatio oppoſita exceptione doli mali. Itaque multum intereſt, utrum heres rogatus reſtituere coheredi partem hereditatis accepta certa pecunia, an retentis certis prædiis hereditariis. Nam rogatus reſtituere coheredi partem hereditatis accepta certa pecunia, pecuniam omnem retinet de portione ſua. Ergo totam eam pecuniam retinet jure hereditario, & conſequenter tota ea imputatur in *falcidiam*. At rogatus reſtituere coheredi partem hereditatis, retentis certis prædiis, prædiorum unam quidem portionem retinet de parte ſua jure hereditario, aliam vero portionem non ſumit de parte ſua, ſed de parte coheredis, & ſumit alteram partem a coherede jure legati, & eam non imputat in *falcidiam*. Et hoc eſt quod ait Papinianus his verbis: *Diverſa cauſa eſt prædiorum pro hereditaria parte retentorum*, &c. Heres autem rogatus reſtituere coheredi partem hereditatis, retentis certis prædiis, ſi ea prædia ſint majoris pretii, quam portio hereditatis, quam reſtituere rogatus eſt, *falcidiam* deducit ex ſuperfluo prædiorum, id eſt ὑπέροχα, ſeu prævalentia prædiorum, id eſt *falcidiam* non deducit ex portione, quam coheredi rogatus eſt reſtituere, cum portio prædiorum, quam capit a ſemetipſo jure hereditario, abunde ſufficiat; immo ſuperet *falcidiam* ſuæ partis; ſed ex ſuperfluo prædiorum, id eſt eo, quod pluris eſt in prædiis, quam in parte hereditatis, quam coheredi ſuo reſtituere rogatus eſt, & concurrentem prædiorum quantitatem compenſare debet cum parte hereditatis, quam reſtituere juſſus eſt: & hoc eſt quod ait Papinianus in *fin. h.* §. *concurrentem enim pecuniam compenſari placuit.*

§. *hereditatem*.

HEres rogatus poſt mortem ſuam reſtituere hereditatem, exceptis redditibus, non retinet partus ancillarum, nec fœtus pecorum, qui ſubmiſſi gregem retinent, id eſt qui ſubſtituuntur in locum demortuorum capitum, ad ſupplendum gregem, ut reſpondet Papinianus in *hoc* §. Partus ancillarum veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi: partus ancillarum medio tempore editi non poſſunt retineri ab herede, ſed fideicommiſſario ſunt reſtituendi. Ratio eſt, quia partus ancillarum non computantur in fructibus; *l. mulier* 22. §. *ſed enim*, ſupr. *h. tit. l. ancillarum*, *de petit. hered.* Vetus fuit quæſtio inter Scævolam; & Brutum, an partus ancillæ ad fructuarium pertineret, vel † non; teſte M. Tullio 1. *de finib.* (4.) Et Bruti ſententia obtinuit, partum ancillæ non eſſe in fructu; neque enim in fructu hominis homo eſſe poteſt; *l. vetus*, ſupr. *de uſufruct.* Et abſurdum videbatur, hominem in fructu eſſe, cum omnes fructus rerum natura hominum gratia comparaverit; *l. in pecudum*, ſupr. *de uſur.* Huic reſponſo Papiniani obſtat *l. uxorem*, §. *ſorori*, *de legat.* 3. ubi Scævola ait, partus ancillarum, quæ a legatario poſt mortem ejus alii per fideicommiſſum ſunt relictæ, vivo legatario editos, fideicommiſſo non contineri, id eſt non eſſe fideicommiſſario reſtituendos. Eidem ſententiæ accedit Paulus in *l.* † *reſpondit Paulus*, ſupr. *de uſur.* poſt moram in

ſol-

Digitized by Google

ſolvendo fideicommiſſo partus ancillarum eſſe reſtituendos: ſed diverſæ ſunt ſententiæ juriſconſultorum. Ex ſententia Scævolæ & Pauli partus non ſunt in fructibus, ſed jure fructuum cenſentur; & ideo partus ancillarum editi ante diem fideicommiſſi cedentem, ut fructus medio tempore percepti, non veniunt in reſtitutionem, ſed heredi imputantur in *falcidiam*, quaſi percepti ex judicio defuncti, ſicut fructus. Et idem ait Paulus in *l. falcidiæ*, §. *idem* 1. *ad l. falcid.* Ex ſententia vero Papiniani *hoc loco*, & Ulpiani in *d. l. mulier* 22. §. *ſed enim*, partus ancillarum reſtituendi ſunt fideicommiſſario, quia in fructibus non habentur: fœtus pecudum ſunt in fructu, ac proinde ad fructuarium & maritum pertinent, ita ut ex agnatis ſuppleri gregem oporteat, & in locum demortuorum capitum alia ſubmitti; *d. l. vetus*, *l. plerumque*, §. *ſed fœtus*, ſupr. *de jur. dot.*

§. *ante diem*, † §. *cum autem*.

SIcut fructus medio tempore percepti ante diem fideicommiſſi cedentem non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, ſed heredi imputantur in quartam; ita & uſuræ exactæ a debitoribus hereditariis, vel mercedes prædiorum exactæ a conductoribus prædiorum hereditariorum, non cadunt in fideicommiſſum, ſed heredi imputantur in quartam, etiam ſi dies uſurarum vel penſionum poſtea ceſſerit, etiam ſi uſuræ vel mercedes prædiorum locatorum ſolutæ ſint ante diem, (quia plerumque uſuræ & mercedes locationis prædiorum prorogabantur), non reſtituuntur fideicommiſſario, ſed heredi imputantur in quartam, ut reſpondit Papinianus † in *h.* §. *ante diem*. Heres autem rogatus, poſt mortem ſuam hereditatem reſtituere, non præſtat fideicommiſſario uſuras ſortis, quæ redigi potuit ex venditione rerum hereditariarum, propter uſum medii temporis, quia non cogitur diſtrahere res hereditarias, pecuniæ redactæ ex venditione fœnori occupandæ cauſa; ut tutor vel curator quidem tenetur vendere res mobiles pupilli, quæ ſervando ſervari non poſſunt, puta veſtes, quæ uſu deteruntur & ſimilia, & pecuniam locare fœnori; *l.* † 1. §. 2. ſupr. *de reb. eor. qua ſub tutel. vel cur. ſunt*, *l. lex qua*, *C. de adm. tutor.* ſed heres, etſi rogatus ſit poſt tempus hereditatem reſtituere, non tenetur diſtrahere res hereditarias, niſi tempore perituræ ſint; *l. mulier* 22. §. *ſed enim*, ſupr. *h. tit.* Denique heres rogatus non præſtat periculum mancipiorum, aut prædiorum urbanorum, ſed nihilominus uſus id eſt deminutio rei ex uſu; *l. nec utilem*, ſupr. *ex quib. cauſ. major.* & caſus, id eſt interitus fatalis eorum, quadrantem deminuit, ut reſpondit Papinianus in *fin. h.* §. † *cum autem*. Uſus mancipiorum hereditariorum pro fructu eſt, uſusfructus ſervi conſiſtit in operis; *l.* † 3. *&* 4. ſupr. *de oper. ſerv.* & heredi imputatur in quartam. Quod dicitur, caſum eorum etiam heredi imputari in quartam, ita intelligendum eſt, ſi culpa heredis interceſſerit, ſi culpa caſum præceſſerit: alias enim ſi heredis culpa abſit, is non præſtat periculum, id eſt non præſtat caſus fortuitos. Ergo mobilia hereditatis uſu conſumpta, ſine dolo vel culpa heredis, non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi.

† V. ſi facit, & adde *l.* 53. *ff. de petit. heredit. & l.* 4. *C. quand. decret. opus non eſt.*

§. *pen.*

HEres rogatus poſt mortem ſuam reſtituere *quod ex hereditate ſuperfuerit*, fructus ſuperfluos tempore mortis non tenetur reſtituere, quia ea verba fideicommiſſi, *rogo, ut reſtituas quod ex hereditate ſuperfuerit*, deminutionem quidem hereditatis admittunt. Heres enim coactus reſtituere *quicquid ex hereditate ſuperfuerit*, poteſt alienare & deminuere res hereditarias, dummodo bona fide alienet, non intervertendi fideicommiſſi gratia; *l. Titius*, ſupr. *h. tit.* Et hodie poteſt alienare dodrantem hereditatis, ita ut quadrans ſervetur fideicommiſſario; *auth. contra eum rogatus*, *C. h. tit.* Ea, inquam, verba fideicom-

miſſi, deminutionem quidem hereditatis admittunt, fructuum autem additamentum non recipiunt, id eſt non officiunt, ut fructus ſuperflui veniant in reſtitutionem quaſi additamentum ſeu augmentum hereditatis. Non improprie dixit Papinianus, *fructuum additamentum*, ut in *l. etiam ſi*, *C. de jur. dot.* dotis additamentum dicitur pro incremento. Opponitur *l.* 3. §. *nonnumquam*, quæ eſt Papiniani, ſupr. *de uſur.* ſi heres rogatus ſit poſt mortem ſuam, *quicquid ex bonis ſupererit Titio reſtituere*, ea quæ bona fide alienavit non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi: ſed quod ex fructibus ſupereſt, jure voluntatis fideicommiſſario reſtituendum eſt. Cujacius, ut Papinianum ſecum conciliet, ait, expungendam negationem in *hoc* §. ut ſc. legas, fructus ſuperfluos reſtituere videtur rogatus: movetur ratione Papiniani, quia, inquit, ea verba, *fructuum additamentum non recipiunt*, id eſt ſi non adjiciunt heredi quod ſupereſt ex fructibus medii temporis, conſequens eſt id eſſe fideicommiſſario reſtituendum. Videbatur heres rogatus reſtituere, *quod ex hereditate ſuperfuerit*, non teneri reſtituere fructus ſuperfluos, quia fructus medio tempore percepti non ſunt hereditatis, non hereditati, ſed rebus ipſis hereditariis accepto feruntur; *l. in fideicommiſſaria*, §. *quotiens*, ſupr. *h. tit.* Tamen heres rogatus reſtituere *quod ex hereditate ſupererit*, tenetur reſtituere fructus ſuperfluos ex tacita voluntate defuncti; *d.* §. *nonnumquam*. Regulariter fructus medio tempore percepti non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi. Excipiuntur duo caſus: unus eſt, ſi teſtator ſpecialiter expreſſerit; *d. l. in fideicommiſſaria*: alter caſus *hic* eſt, ſi teſtator ita ſenſerit, licet non expreſſerit: voluntas teſtatoris totum facit, id eſt regit totum teſtamentum; *l. ex facto proponebatur*, §. *rerum*, ſupr. *de hered. inſt.* Et non tantum expreſſa voluntas, ſed etiam tacita & præſumpta. Heres rogatus reſtituere *quod ſupererit ex hereditate*, tenetur reſtituere fructus ſuperfluos ex tacita voluntate defuncti, quia ei licet deminuere hereditatem. Heres rogatus reſtituere *quod ſupererit*, videtur etiam rogatus reſtituere fructus ſuperfluos, quaſi teſtator voluerit eſſe contentum deminutione medii temporis.

§. *ult.*

HEres rogatus reſtituere *quod ſupererit ex hereditate*, poteſt alienare res hereditarias, dummodo bona fide alienet, non intervertendi fideicommiſſi gratia; *l. Titius*, ſupr. *h. tit.* Si heres rogatus reſtituere *quod ex hereditate ſuperfuerit*, res hereditarias pignori dederit bona fide, non in fraudem fideicommiſſi, non tenetur eas liberare ſeu redimere ſua pecunia, ex *hoc* §. quia heredi permiſſa eſt deminutio, & alienatio, in quibus continetur etiam pignoratio; *l. ult. C. de reb. alien. non alienand.*

L. 59. *in princ.*

SI creditor pigneratitius, idemque heres debitoris, rogatus ſit reſtituere hereditatem, & coactus eam adierit, & fideicommiſſario reſtituerit, quæritur an poſt aditionem, & reſtitutionem, poſſit pignus retinere, ſi id poſſidet, vel an poſſit perſequi pignus actione hypothecaria, ſi id non poſſidet? Reſpondet Paulus, aditione hereditatis confuſam eſſe quidem obligationem perſonalem, ſed manere hypothecariam; ideoque creditori competit pignoris perſecutio vel retentio, ut oſtenditur *init. h. l.* Aditione hereditatis confunditur civilis & naturalis obligatio, quia per rerum naturam nemo poteſt ſibi obligari; *l. Stichum*, §. *aditio*, infr. *de ſolut.*, *l. heres a debitore*, §. *quod ſi* † *ſtipulator*, *de fidejuſſ. l. debitori*, *C. de pact.* ſublata perſonali actione, hypothecaria ſupereſt, ut *hoc loco*, & *l. intelligere*, *C. de luit. pignor.* quia propriam legem & conditionem habet hæc actio, ut non tollatur priuſquam ſolutum ſit, aut

eo

Digitized by Google

eo nomine ſatisfactum; *l. ſi rem alienam*, §. *omnis*, ſupr. *de pignerat. act. l. grege*, §. *etiam*, *de pignorib. l. pen.* † *in fin.* infr. *de except. rei judic.* Confuſione tollitur civilis & naturalis obligatio, obligatio ſc. perſonalis; realis tamen obligatio, veluti pignoris obligatio, manet. Et hoc eſt quod ait Paulus hoc loco: *Remanet ergo propter pignus naturalis obligatio*. Re autem integra, id eſt ſi creditor, idemque heres, nondum adierit hereditatem, Paulus docet in poſteriori parte *init. h. l.* non aliter compellendum adire, quam ſi ei pecunia ſoluta ſit, vel ſi cautum ſit de indemnitate: nam & heres ex parte inſtitutus, cui legatum a coherede relictum eſt, ſi heres non exſtitiſſet, non cogitur adire hereditatem, niſi legato præſtito. Et ita reſponſum eſt a Juliano; *l. ita tamen*, §. † *ſed ſi eidem*, ſupr. *h. tit.* Aditione etiam coacta confunditur obligatio, quia aditio etiam coacta aditio eſt, ac qui hereditatem adit, etiam coactus maluiſſe videtur, nam coacta voluntas, voluntas eſt; *l. ſi patre cogente*, *de rit. nupt.* Tamen creditor pigneratitius, etſi aditione hereditatis adquiſiverit dominium pignoris quod fuit debitoris, reſtituta hereditate ex cauſa fideicommiſſi, jus pignoris ſalvum habet, quia fingitur non fuiſſe dominus propter onus reſtitutionis, ut recte notat Albericus *hic*. Reſtituta hereditate ex *Trebelliano*, actiones omnes, jura, & priſtinæ ſervitutes, quæ aditione erant confuſæ, reſtituuntur; *l. ſi heres 73.* infr. *h. tit. l.* † *eum bonis*, §. *pupillis*, ſupr. *de adquir. heredit.*

§. *ea quæ*.

MUlier in dote danda pro ſe pacta eſt cum marito, ut, mortua ſe in matrimonio, dotis pars matri ejus redderetur: nec eo nomine ſtipulatio a matre interpoſita, ſed filia ſtipulata eſt matri abſenti, dotem vel partem dotis ei reddi: quæ conventio inutilis eſt, quia nemo alteri ſtipulari vel paciſci poteſt, præterquam ſervus domino, aut filius patri; *l. ſtipulatio iſta*, §. *alteri*, infr. *de V. O. l. quo tutela*, §. *ult. de R. J.* ſi filia paciſcatur matri dotem reddi, ex pacto filiæ nulla matri quæritur actio; *l. inter ſocerum*, §. *filia*, ſupr. *de pact. dotal.* propter regulam, per liberam perſonam non quæritur actio, ſi noſtra non intereſt. Moriens mulier matrem & maritum heredes ſcripſit, & matrem rogavit, ut hereditatem id eſt portionem ſuam Titio reſtitueret. Poſt mortem ejus judex † addictus de hereditate dividenda inter matrem & maritum, partem dotis, quaſi ex utili pacto, pro parte matri adjudicavit, id eſt pro parte hereditaria, ex qua mater heres ſcripta erat: quæritur, an ex cauſa fideicommiſſi, mater eam partem dotis Titio reſtituere teneatur? Et reſpondet Paulus *hoc loco*, non teneri, quia mater eam partem dotis, non quaſi heres, ſed quaſi mater ex pacto accepit, nec occaſione hereditatis, ſed errore ex pacto eam habuit. Ea, quæ non capiuntur jure hereditario, ſed ex alia cauſa, puta ex pacto, vel tranſactione, vel ſententia erronea, non cadunt in fideicommiſſum. Non eſt reſtituendum quod heres conſecutus eſt ex pacto, vel tranſactione, vel ex ſententia erronea, quia id conſecutus eſt non ut heres, ſed ut quilibet, errore & imperitia judicis, quia male eam partem adjudicavit tamquam ex utili pacto. Ita ſi heres ſcriptus hereditatem, quæ ſolvendo non eſt, vendiderit, eo nomine legatariis non tenetur, quia magis ex ſtultitia emptoris habere videtur, quam ex bonis defuncti. Et ſi heres cum creditoribus tranſegerit, ne ſolidum ſolveret, & beneficio hujus tranſactionis aliquid ex hereditate retinuerit, legatariis quoque non tenetur, quia hoc non ex hereditate, ſed ex deciſione ſeu tranſactione habet; *l. 3.* ſupr. *ad l. falc.*

Digitized by Google

L. 60.

SI patronus ex debita parte heres inſtitutus, quæ ex lege *Papia* erat ſemis, conſtitutione Juſtiniani tertia bonorum liberti; §. *ſed noſtra*, *inſt. de ſucceſſ. libert.* & ſextam partem, id eſt unciam reſtituere rogatus, eam reſtituerit per errorem, facti ſc. cum falſo exiſtimaret, fideicommiſſarium eſſe ex liberis vel parentibus liberti ejusdemque teſtatoris, quibus conſtat patronum etiam ex debita parte inſtitutum debere fideicommiſſum, ſi ab eo liberis aut parentibus relictum ſit; *l. ſi ejus*, §. *ult.* infr. *h. tit. l. ex aſſe*, *ad l. falcid.* actiones non transferuntur ex *Trebelliano* in fideicommiſſarium, quia debitum non fuit quod reſtituit: actiones ſc. non tranſeunt cum effectu in fideicommiſſarium, quia patrono competit condictio indebiti, ex *h. l.* Sicut portio legitima, quæ debetur liberis, non poteſt onerari ullo fideicommiſſo, non recipit gravamen id eſt onus fideicommiſſi; *l. quoniam in prioribus*, *C. de inoff. teſtam.* quia ea portio debetur liberis tamquam æs alienum; *l. Papinianus*, §. *ſi quis impubes*, *ff. eod. tit.* ita patronus ex debita parte inſtitutus non poteſt gravari ullo fideicommiſſo extraneo præſtando; *l. cum patronus*, *de legat.* 2. cum ea pars æque ei debeatur ut æs alienum. Patronus ſc. ex debita parte non debet fideicommiſſum, ſi ab eo extraneo relictum ſit, ſed tantum ſi ab eo liberis aut parentibus relictum ſit; *d. l. ſi ejus*, §. *ult. d. l. ex aſſe*. Si patronus, inquam, ex debita parte inſtitutus & rogatus ſextam partem reſtituere, eam reſtituerit per errorem facti, patrono datur condictio indebiti: quod ſi ſciens indebitum fideicommiſſum reſtituerit, vel per errorem juris, ceſſat condictio; *l. fideicommiſſum*, *de condict. indebit. l. pen.* §. *ſi quis jus ignorans*, *de jur. & fact. ignor. l. cum quis*, *C. eod. l.* 2. *C. de fideic. l. error*, *C. ad leg. falcid.*

L. 61.

FIdeicommiſſum relinqui poteſt non modo teſtamento, ſed etiam codicillis ad teſtamentum factis, vel codicillis factis ab inteſtato, etiam per epiſtolam fideicommiſſariam, id eſt libellum fideicommiſſarium conceptum in modum epiſtolæ, & nutu ſolo ſine verbis vel ſcriptura, adhibitis quinque teſtibus; *l. & in epiſtola*, *C. de fideicommiſſ.* Quandoque epiſtola fit cautionis vel chirographi loco inter præſentes; *l. ult. de oblig. & act.* Item fideicommiſſum relinquitur non modo directis verbis ad heredem, qui oneratur, ſed etiam directis verbis ad fideicommiſſarium: nec intereſt cum quo teſtator loquatur, ſed in quem voluntatis intentio dirigatur; *l. ſi ſervus legatus*, §. *qui margarita*, *de legat.* 1. *l. Titia cum teſtamento*, §. *Titia*, *l. peto*, in princ. *l. miles*, *l. eum pater*, §. *donationis*, *de legat.* 2. *l. cum quis decedens*, §. *nuptura*, *de legat.* 3. Si Titius teſtamento inſtituerit heredes Cajum & Sejum, & poſtea codicillis ad teſtamentum factis ita caverit: *Semproni*, † *te heredem non ſcripſi*, *feſtinans per infirmitatem*; *ideoque ei dari volo tantum*, *quantum pro* † *uncia hereditatis competeret*: his verbis, etſi directa ſint ad Sempronium, fideicommiſſum & ab heredibus Cajo & Sejo relictum intelligitur. Et his verbis etiam videtur quidem magis quantitas relicta, quam portio hereditaria, id eſt videtur relictum eſſe fideicommiſſum certæ pecuniæ, ſeu quantitatis non quotæ hereditatis, & ſic non eſſe locum *Trebelliano*; SC. enim *Trebellianum* locum non habet in fideicommiſſo particulari certæ rei, vel pecuniæ, ſed in fideicommiſſo univerſali puta hereditatis vel quotæ hereditatis; *l. cogi*, §. *& generaliter*, *l. mulier* 22. §. *ult.* ſupr. *h. tit.* Tamen ſic accipienda ſunt verba teſtatoris, ut videatur de uncia reſtituenda ſenſiſſe, etiam ſi verbis teſtatoris fideicommiſſum relictum ſit certæ quantitatis, vel pecuniæ, tamen relictum

Digitized by Google

intelligitur quotæ ſeu partis hereditatis, quia pretium relinquitur tamquam pretium quotæ, id eſt unciæ, quæ eſt 12. pars hereditatis, & perinde eſt ac ſi uncia fuiſſet relicta per fideicommiſſum; ſubrogatum enim ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur; *l. Imperator*, §. *ult.* ſupr. *de legat.* 2.

L. 62. in princ.

PAter filiam pro parte heredem inſtituit & rogavit, ut, ſi decederet ſuperſtitibus liberis, partem portionis ſuæ fratri & coheredi reſtitueret: quod ſi ſine liberis decederet, univerſam portionem fratri reſtitueret. Defuncta ea in matrimonio ſuperſtite filia, quæritur, an heres ejus partem dotis datæ, vel promiſſæ, cum parte hereditatis reſtituere teneatur? Scævola reſpondet *init. h. l.* dotem filiæ non contineri fideicommiſſo hereditatis, etiam ſi nondum ſoluta ſit, quia dos habetur vice æris alieni, dos non cadit in fideicommiſſum, quia eſt vice legitimæ, & debetur tamquam æs alienum. Eademque ratione dos non imputatur in *falcidiam*, quia filia eam habet jure proprio, non jure hereditario, & dos in hereditate patris non invenitur; *l. pater filiam*, ſupr. *ad leg. falcid* Opponitur *l. ult.* §. *filiæ*, *de legat.* 2. ubi ſi pater filiæ ex parte inſtitutæ fideicommiſerit, ut dotalem cautionem, de dote ſc. reſtituenda, poſt mortem ſuam mutet, & ita † renovet, ut fratres ſoi dotem ſtipularentur ſibi reddi, ſi decederet ſine liberis: defuncta filia ſine liberis, fratribus competit petitio fideicommiſſi in heredes mulieris. Sed hoc caſu non datur actio fideicommiſſi in dote, niſi quatenus excedit legitimam, ut recte notat Paulus Caſtrenſis *hoc loco*. Olim legitima poterat gravari reciproco fideicommiſſo; *l. ſi pater puellæ*, *C. de inoff. teſt.* quia reciproca ſeu mutua ſubſtitutio non videtur onus, ſeu gravamen, propter incertum eventum fideicommiſſi. Sed hodie legitima non poteſt onerari etiam reciproco fideicommiſſo poſt conſtitutionem Juſtiniani, quæ eſt in *l. quoniam in prioribus*, *C. eod.* ex qua legitima non recipit prorſus ullum onus vel gravamen. Excipitur caſus *l. ex tribus*, *C. eod.* ubi pater filio impuberi ex quadrante heredi inſtituto, poteſt pupillariter ſubſtituere, quia ſubſtitutio pupillaris fit in favorem filii, providentia paterna, & teſtamentum patris eſt teſtamentum filii. Et ita pater etiam impuberi adrogato inſtituto ex quarta, quæ ex D. Pii conſtitutione debetur filio adrogato in bonis patris adrogantis, poteſt pupillariter ſubſtituere; *l. ſi adrogator*, §. *ſed an* † *impuberi*, ſupr. *de adopt. l.* 1. §. *ſi impubere*, *de collat. bonor.*

§. *alumno*.

MUltum intereſt, an dies fideicommiſſo appoſitus ſit heredis gratia, an fideicommiſſarii: ſi dies appoſitus fideicommiſſo favore heredis, fideicommiſſum in diem, puta cum erit annorum 14. eſt conditionale, & fideicommiſſario ante diem defuncto eſt caducum, nec tranſmittitur ad heredem fideicommiſſarii; *l. ſi cui legetur*, §. 3. *de legat.* 1. *l. ſi Titio*, *quand. dies legat. ced.* Quod ſi dies appoſitus ſit fideicommiſſo fideicommiſſarii gratia, puta ſi fideicommiſſum relictum ſit filio impuberi, fideicommiſſum eſt purum, nec conditione, ſed mora ſuſpenditur; *l. heres meus*, ſupr. *de condit. & dem.* non conditio fideicommiſſo adjecta, ſed ſolutio in diem dilata videtur. Et ideo fideicommiſſario ante diem defuncto, fideicommiſſum tranſmittitur ad heredem; *l. ex his verbis*, *C. quand. dies legat. ced.* Ita & in ſpecie *h.* §. ſi dies adjectus ſit legato legatarii gratia, cum onere fideicommiſſi, defuncto legatario ante diem, ſubſtitutus ſtatim fideicommiſſum petere poteſt. Finge teſtator alumno centum legavit, & mandavit Sempronio tradi ab heredibus, ſub conditione uſurarum præſtandarum alumno, donec ad 20. annum pervenerit: de-

Digitized by Google

inde alumni fideicommiſit, ut ſi ſine liberis decederet, partem reſtitueret Sempronio, partem Septiciæ: defuncto alumno intra annum 20. ſubſtituti ſtatim fideicommiſſum petere poſſunt, nec coguntur ſuſtinere in id tempus, quo ſi viveret alumnus 20. annum impleret. Opponitur *l. Publius Mævius*, §. *Titia*, ſupr. *de condit. & dem.* ubi ſi Titia codicillis Septiciam rogaverit, ut filio ſuo cum erit annorum 16. reſtituat prædia teſtamento relicta, vel ſi 16. annum non impleverit ea reſtituat Publio Mævio & Gaio Cornelio: ſi Septicia deceſſerit, & deinde filius 15. annum agens defunctus ſit, heredes Septiciæ non tenentur repræſentare fideicommiſſum Publio Mævio & Gaio Cornelio, quia non eſt veriſimile, teſtatricem voluiſſe maturius reſtitui fideicommiſſum ſubſtitutis, quam filio. Sed nulla eſt pugnantia. In ſpecie propoſita, fideicommiſſum repræſentatur, quia dies adjectus erat fideicommiſſo in gratiam alumni, & Sempronius erat merus executor, & diſpenſator pecuniæ legatæ alumno, ſub onere præſtandarum uſurarum: atque ideo morte ſublato alumno ante diem cedentem fideicommiſſi, ſtatim ſubſtituti fideicommiſſum petere poſſunt. At in ſpecie *l. Publius Mævius* non repræſentatur fideicommiſſum, ſed expectatur dies quo filius 16. annum impleret, ex veriſimili ſententia teſtatoris, quia non eſt veriſimile, teſtatricem voluiſſe maturius fideicommiſſum reſtitui ſubſtitutis, quam filio, quæ eſt ratio *l. Publius Mævius*. Abſurdum eſt magis gravari illum, qui magis dilectus eſſet; *l. Titia cum teſtamento*, §. *qui invita*, *de legat.* † 2.

L. 63. in princ.

Reſtituta hereditate ex cauſa fideicommiſſi, ſtatim omnes res fiunt in bonis fideicommiſſarii, etſi nondum nactus ſit poſſeſſionem, ut definitur *hic. h. l.* Ante reſtitutam hereditatem fideicommiſſarius nihil juris habet in rebus hereditariis. Reſtituta hereditate re, vel verbo, ſtatim jura & actiones tranſeunt in fideicommiſſarium; *l. reſtituta*, ſupr. *h. tit.* Ideo reſtituta hereditate, licet verbo, tamen fideicommiſſario datur fideicommiſſaria hereditatis petitio contra quemlibet hereditatis poſſeſſorem pro herede vel pro poſſeſſore poſſidentem; *l. 1. & tot. tit.* ſupr. *de fideic. hered. petit.* Et reſtituta hereditate fideicommiſſario datur publiciana; *l. cum ſponſus*, §. 1. *de publician. in rem act.* Dominium transfertur in heredem ſine apprehenſione poſſeſſionis; *l. ſi ager*, §. 1. ſupr. *de rei vindic. l. cum miles*, *ex quib. cauſ. major. l. cum heredes*, infr. *de adquir. poſſeſſ.* Ita & reſtituta hereditate, licet verbo tantum, dominium tranſit in fideicommiſſarium, quia hereditas in jure conſiſtit, non in corporibus hereditariis. Ratio dubitandi erat, quod dominium non nudo pacto, ſed traditione transfertur; *l. traditionibus*, *C. de pact.* Ergo videbatur ſola aditione hereditatis, vel reſtitutione fideicommiſſi, dominium non transferri in heredem vel fideicommiſſarium ſine poſſeſſione. Sed hoc fit auctoritate legis & SC. poſſeſſio vero nec heredi, nec fideicommiſſario adquiritur ſine apprehenſione; *d. l. cum heredes*, *l. 1.* §. *Scævola*, infr. *ſi is. qui teſt. liber. eſſe juſſ.* quia poſſeſſio eſt facti, non juris. Reſtituta hereditate ex *Trebelliano*, fideicommiſſarius ſtatim incipit habere in bonis res omnes hereditarias, prius etiam quam corporalem earum poſſeſſionem nactus ſit: reſtituta nimirum hereditate ex *Trebelliano*, in fideicommiſſarium tranſit dominium bonitarium, non quiritarium & legitimum. Reſtituta hereditate, non prius fideicommiſſarius fit legitimus & quiritarius dominus rerum hereditariarum, quam eas uſuceperit, & ſtatuto legibus tempore poſſederit; *l. qui uſumfructum*, ſupr. *ſi uſusfruct. pet.* nempe quia fideicommiſſa juri civili incognita ſunt, nec juſtum transferendi dominii titulum præbent: juſtam vero cauſam dominii adquirendi præcedere oportet, ut juſtum & legitimum dominium tranſlatione adquiri poſſit; *l. numquam nuda*, infr. *de adquir. rer. domin.* Ex SC. *Trebelliano* actiones hereditа-

ditariæ non transferuntur in fideicommiſſarium, niſi reſtituta hereditate re, vel verbo; *l.* 1. §. *de illo*, *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, *l. reſtituta*, ſupr. *h. tit.* Sed conſtitutione Juſtiniani nonnulli ſunt caſus, in quibus actiones ipſo jure tranſeunt in fideicommiſſarium ſine reſtitutione. Puta ſi heres rogatus reſtituere hereditatem, per contumaciam vel morte præventus, nullo herede relicto non reſtituerit, actiones utiles ipſo jure transferuntur in fideicommiſſarium; *l. ſancimus*, §. *ult. C. h. tit.* Alter caſus eſt, ſi hereditas reſtituenda ſit eccleſiæ, quia dominium in eccleſiam ſine traditione transfertur; *l.* † *ut inter* 24. *C. de SS. eccleſ.* Quinimmo hodie ex jure pontificio jura & actiones tranſeunt in fideicommiſſarium ſine reſtitutione; *cap. in præſentia*, *de probat.* Ex æquitate canonica fideicommiſſum habetur pro reſtituto, quaſi brevi manu, citra realem reſtitutionem, nec opus eſt facto heredis, quia lex ipſa reſtituit.

§. *ſi is qui hereditatem.*

Licet fideicommiſſum teſtamento vel codicillis relictum eſſet, quo plures darentur actiones ejusdem rei cauſa; ſolebat in ſtipulatum deduci, id eſt fideicommiſſo teſtamento relicto in diem, vel ſub conditione, fideicommiſſarius plerumque ſibi cavebat ſtipulatione interpoſita, hereditatem reſtitui ab herede cedente die vel conditione; *l. fideicommiſſum*, ſupr. *de condict. indebit.* Et ſi fideicommiſſum teſtamento relictum, in ſtipulatum deductum, & fideicommiſſario actione ex ſtipulatu agenti reſtituta fuerit hereditas, nihilominus reſtituta hereditate actiones tranſeunt in fideicommiſſarium ex *Trebelliano*, perinde ac ſi hereditas reſtituta eſſet ex teſtamento: nec nocet quod hereditas non eſt reſtituta actione ex teſtamento, vel officio judicis, ſed actione ex ſtipulatu, quia actio illa ex ſtipulatu ſuccedit in locum actionis ex teſtamento, vel officii judicis: actio ſubrogata ſapit naturam ejus in cujus locum ſubrogatur, & ejus conditionem † aſſumit; *l. ſi eum*, §. *qui injuriarum*, ſupr. *ſi quis caution. in judic. ſiſt. cauſ. l.* 1. §. *ſi quis ſub conditione*, infr. *ut legator.* † *ſeu fideic. ſerv. cauſ. cav.* ſtipulatione interpoſita fideicommiſſi cauſa, non inſpicitur titulus actionis, ſed origo obligationis, quæ proceſſit ex teſtamento; *l. qui id*, *quod*, infr. *de donat. l. tutor*, *de fidejuſſ.* Quod ſi heres conventus actione ex ſtipulatu, ob moram in reſtituenda hereditate condemnatus fuerit præſtare hereditatis æſtimationem, hoc caſu actiones hereditariæ remanent apud eum, qui litis æſtimationem præſtitit, ex *hoc* §. quia litis æſtimatio vim aditionis obtinet, & qui litis æſtimationem præſtitit, pro emptore habetur; *l. ejus rei*, ſupr. *de rei vindic. l. litis*, *pro emptor.*

§. *ſi heres* 1.

Reſtituta hereditate ex cauſa fideicommiſſi, actiones utiles transferuntur in fideicommiſſarium; *l. ſancimus*, §. *ult. C. h. tit.* Actiones directæ activæ & paſſivæ remanent apud heredem, ſed inefficaces & inanes; ſive enim is conveniat debitores hereditarios, ſive conveniatur a creditoribus hereditariis, exceptione reſtitutæ hereditatis adjuvatur vel ſubmovetur; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi heres rogatus reſtituerit hereditatem, & poſtea de hereditate conventus, ultro litem ſuſceperit, non oppoſita exceptione reſtitutæ hereditatis, qua ſeſe tueri poterat, & ſententia judicis victus ſit, aut non expectata ſententia lite ceſſerit, durant actiones ſemel tranſlatæ in fideicommiſſarium, ex *hoc* §. Et ſic fideicommiſſario non nocet ſententia dicta cum herede, nec renuntiatio, ſeu litis ceſſio, per heredem facta poſt reſtitutam hereditatem, quia nemo poteſt tollere jus quæſitum alteri; *l. ſi partem*, §. *ult. quemad. ſervit. amitt.*

Digitized by Google

§. *ſi quis majorem.*

SI quis majorem partem reſtituerit, quam rogatus eſſet, puta rogatus reſtituere tertiam partem hereditatis, reſtituerit ſemiſſem, in eam partem, quæ excedit, id eſt pro ea parte, quæ excedit, actiones non transferuntur in fideicommiſſarium. Sed ſi heres rogatus hereditatem reſtituere, præcepta aliqua re, aut ſumma, omiſſa retentione totam hereditatem reſtituerit, recte transferuntur actiones. Si heres reſtituerit majorem partem, qnam rogatus eſt, pro parte, quæ excedit, non transeunt actiones: ut reſtituta hereditate ante diem, vel conditionem, actiones non transeunt, quia hereditas non reſtituitur ex voluntate defuncti; *l. ſed † etſi ante*, ſupr. *h. tit.* & auctoritas SC. non ſuffragatur reſtitutioni, quæ fit præter voluntatem defuncti: reſtitutio non fit ex *Trebelliano*, niſi adſit voluntas defuncti. Secus ſi heres rogatus hereditatem reſtituere, præcepta certa re, vel ſumma, totam reſtituerit, omiſſa retentione, recte transferuntur actiones. Hoc verum eſt ſi ſciens totam hereditatem reſtituerit, omiſſa retentione, indebitum fideicommiſſum, a ſciente fidei explendæ gratia ſolutum, non condicitur; *l. fideicommiſſum*, ſupr. *de condict. indebit. l. 2. C. de fideicomm.* Alias ſi per errorem facti indebitum fideicommiſſum, vel plus debito ſolutum ſit, actiones quidem ipſo jure trauſeunt in fideicommiſſarium, ſed ſine effectu, quia condicuntur; *l. patronus*, ſupr. *h. tit.*

§. *ſi heres 4.*

SI heres rogatus ſit reſtituere hereditatem in diem, hereditas medio tempore quæſita per ſervum hereditarium, non cadit in reſtitutionem fideicommiſſi, quia de ea rogatus non eſt. Sicut fructus percepti pendente die, vel conditione fideicommiſſi, non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, quia non ſunt hereditatis; *l. in fideicommiſſaria*, ſupr. *h. tit.* ita & hereditas quæſita per ſervum hereditarium medio tempore non venit in reſtitutionem fideicommiſſi. Sane ſi heres rogatus ſit cum incremento reſtituere hereditatem, & medio tempore quæſita ſit hereditas per ſervum hereditarium, eam reſtituere cogitur, quia hereditas incrementi appellatione continetur. Immo & ſi heres rogatus ſit reſtituere hereditatem cum incremento, tenetur reſtituere fructus medii temporis; *l. ſi ita relictum*, §. *Pegaſus*, *de legat.* 2. Dixi, heredem rogatum reſtituere hereditatem cum incremento cogi reſtituere hereditatem medio tempore qnæſitam per ſervum hereditarium, niſi liquido probetur ab herede contemplatione ſui, heredis ſc. ſervum eſſe heredem inſtitutum; hoc enim caſu hereditas per ſervum adquiritur heredi, cujus contemplatione relicta eſt; *l. ſi ſervi uſusfructus*, *& ſeq.* ſupr. *de uſufruct. l. ſed ſi plures*, §. *in adrogato*, *de vulgar. & pupillar. l. cum aliquis*, *C. de jur. deliber.*

§. *reſcripto*, † §. *idem juris.*

SI quis, accepta a Titio pecunia, quæ quartam contineat, rogatus ſit ei reſtituere hereditatem, licet tardius, id eſt poſt diem fideicommiſſi cedentem, detur pecunia, ea datur ſine uſuris, quia quanto tardins quiſque pecuniam dat, tanto tardius ad fideicommiſſum pervenit, & medii temporis fructus perdit. Fructus enim percepti poſt diem fideicommiſſi cedentem, non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, quia percepti ſunt negligentia non petentis; *l. mulier 22.* §. † *ſi heres*, ſupr. *h. tit.* Et ſic fructus hujusmodi compenſantur cum uſuris dandæ pecuniæ. Sed ſi fideicommiſſarius ſit in mora dandi pecuniam, puta ſi ante datam pecuniam tenuerit hereditatem, ut ſi hereditas ei reſtituta

ſit

Digitized by Google

ſit ab herede ante datam pecuniam, vel aliquo caſu ad eum pervenerit hereditas, fructus perceptos heredi reſtituere tenetur, ex reſcripto D. Antonini.

§. *ſi ſub conditione*, † §. *ſi dandæ*, §. *quod ſi conditio*, §. *ſi vero nominis*.

SI heres inſtitutus ſit ſub conditione impoſſibili per rerum naturam, ut, *ſi digito cœlum tetigerit*, vel impoſſibili de jure, ut, *ſi hominem interfecerit*, conditio pro non ſcripta habetur, conditio rejicitur, & inſtitutio pro pura habetur; *l.* 1. *l. conditiones* 9. *&* 14. ſupr. *de condit. inſtit.* Quod ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione non turpi, neque difficili, id eſt non impoſſibili; (difficile enim in jure pro impoſſibili habetur, impoſſibile dicitur, quod honeſte facere non poſſumus; *l. filius*, *eod. tit.*) ſi heres, inquam, inſtitutus ſit ſub conditione non turpi, neque difficili, & idem rogatus alteri reſtituere hereditatem, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, cogitur implere conditionem, & adire & ita reſtituere, ut oſtenditur *init. h.* §. † *ſi ſub conditione*, *&* *in l. ſi cui*, §. *ſi ſub conditione*, ſupr. *h. tit.* Si vero heres inſtitutus ſit ſub conditione turpi, aut difficili, non cogitur eam implere alterius gratia, id eſt fideicommiſſarii, quo ſc. hereditatem adeat, & reſtituat fideicommiſſario; ſed conditio remittitur ab initio; ſi turpis enim, vel difficilis, ſeu impoſſibilis conditio appoſita ſit reſtitutioni, pro non ſcripta habetur, & perinde eſt ac ſi ab initio conditio inſtitutioni adjecta non eſſet; *d. l. conditiones* 14. & ita heres non tenetur reſtituere hereditatem fideicommiſſario, quia abſurdum eſt plus tribui a prætore ei, qui fideicommiſſum petit, quam teſtator voluerit: utique autem teſtator neque ſcriptum heredem ad hereditatem vocavit, neque per hunc illi, fideicommiſſario ſc. voluit reſtitui hereditatem, niſi impleta dicta conditione turpi, vel difficili: nempe teſtator, ex quo heredem inſtituit ſub conditione, non videtur voluiſſe, quod heres ad hereditatem perveniat, & per conſequens nec fideicommiſſarius, niſi conditio impleatur; conditio enim ſuſpendit actum, & ſi deficiat facit deficere diſpoſitionem; *l. neceſſario*, ſupr. *de peric. & commod. rei vend. l. is, cui*, *de oblig. & act. l. cedere diem*, *de V. S.* Quod ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione, quæ conſiſtit in dando, hoc caſu fideicommiſſarius, qui poſcit fideicommiſſum, debet offerre pecuniam heredi, ut impleta conditione cogatur hereditatem adire & reſtituere, ut ſubjicitur in † *h.* §. *ſi dandæ*, & confirmatur *d. l. ſi cui*, §. *ſi ſub conditione*. Quod ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione turpi, aut difficili, ſufficit edictum prætoris, quo hujusmodi conditiones remittuntur, & hactenus jubendus eſt heres a prætore, ut conſtituat prætoriis actionibus uti, aut petat bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, id eſt cogendus eſt heres dicere & proteſtari apud prætorem, ſe velle uti actionibus prætoriis, id eſt hereditariis, perinde ac ſi diceret ſe velle, quantum in ſe eſt, eſſe heredem, ut ita nactus actiones hereditarias, facta proteſtatione per heredem, vel petita bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, tamquam impleta conditione prædicta turpi, aut difficili, reſtituat hereditatem fideicommiſſario, & reſtituta hereditate transferat ex *Trebelliano* in fideicommiſſarium † ex §. *quod ſi conditio*; idem enim operatur proteſtatio, quod operaturus eſſet actus ille, ſuper quo interponitur, ſi vere interceſſiſſet; *l. de pupillo*, §. *ſi quis ipſi prætori*, *de oper. nov. nunc. l. ult. C. de his*, *qui per met. judic. non appellar.* Quod ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione ferendi nominis, honeſti ſc. quam prætor exigit, ſubaudi impleri per heredem; onus enim ferendi nomen teſtatoris habet vim conditionis; tenetur implere conditionem, & ſic adire hereditatem, & eam reſtituere fideicommiſſario; nihil enim mali eſt, honeſti hominis nomen aſſumere. Quod ſi heres inſtitutus ſit ſub conditione famoſi turpisve nominis ferendi, & rogatus hereditatem reſtituere, ſi recuſet nomen ferre, conditio remittitur a prætore,

† ex §. *ſi vero nominis*: puta ſi heres juſſus ſit ferre nomen viſpellionis, quia dignitatis ratio habetur; *l. ſed ſciendum*, ſupr. *h. tit.* Conditio, inquam, turpis & famoſa remittitur, non onus fideicommiſſi. Heredi enim dandæ ſunt utiles actiones, perinde ac ſi impleta eſſet conditio, aut bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas danda eſſet ei, ut ſic nactus actiones hereditarias, eas transferat ex SC. *Trebelliano* in fideicommiſſarium: & hæc eſt ſententia *hh.* † §§.

§. *ſi cum ſuſpectam*.

SI heres inſtitutus & rogatus reſtituere hereditatem ſuſpectam dixerit, & poſtulante fideicommiſſario coactus adierit & reſtituerit, fideicommiſſarius *falcidiam* detrahit ex legatis ab herede relictis, quam heres detrahere potuit ſi ultro adiiſſet hereditatem, quia fideicommiſſarius eſt heredis vice; §. *reſtituta*, *inſt. de fideic. hered. l. poſtulante*, §. 1. ſupr. *h. tit.* Et hoc caſu fideicommiſſarius quartam detrahit, non ex perſona ſua, ſed ex perſona heredis; *l. ſi patroni*, §. *qui fideicommiſſam*, ſupr. *h. tit.* Idem vero quartam non detrahit ex legatis vel fideicommiſſis a ſe relictis, quia, quoad relicta a ſe, pro legatario habetur, & ſic non detrahit quartam. *Falcidiæ* enim detractio data eſt tantum heredi, non legatario vel fideicommiſſario ſingulari; *l. pœnalet*, §. † *pen. l. lex falcidia* 47. §. *numquam*, *ad leg. falcid.* Et hoc eſt quod dicitur hoc loco: *ſi quid a fideicommiſſario alicui per fideicommiſſum relictum ſit, id quaſi a legatario relictum non venire in computationem legis falcidiæ, ſed extrinſecus numerari*, id eſt extra legem falcidiam, ita ut de eo non poſſit detrahi falcidia: de his ſatis in *l.* 1. §. *inde Neratius*, ſupr. *h. tit.*

§. *ſi Titius*.

HEres vel legatarius non poteſt onerari fideicommiſſo ultra vires hereditatis vel legati; *l.* 1. §. *ſi is, qui quadringenta*, ſupr. *h. tit. l. filiusf.* §. *apud Marcellum*, *de legat.* 1. *l. Imperator*, *de legat.* 2. Ita ſi Titius rogatus ſit hereditatem Mævio reſtituere, Mævius Seio certam pecuniam, & Titius in reſtituenda hereditate Mævio quartam detraxerit, Mævius tanto minus Seio præſtat, ne ipſe de ſuo damnum ſentiat, id eſt ne oneretur ultra id, quod ad eum ex hereditate pervenit, ut oſtenditur in *hoc* §. & in *l. Plautius*, §. *ult.* ſupr. *de condit. & dem. & l. pœnales*, §. 4. *ad leg. falcid.*

§. *Julianus*.

SI heres inſtitutus rogatus ſit reſtituere hereditatem Titio, & ſi Titius idem ſubſtitutus ſit Mævio heredi in caſum vulgarem & per fideicommiſſum: (Idem enim poteſt ſubſtitui vulgariter, & per fideicommiſſum.) & ponendum eſt, eundem fuiſſe ſubſtitutum vulgariter, & per fideicommiſſum, ut ponit ſecunda gloſſa, rectius quam prior, quæ fingit alium fuiſſe ſubſtitutum in vulgarem caſum, alium per fideicommiſſum: ſi heres inſtitutus ſuſpectam dicat hereditatem & recuſet adire, poſtulante Titio jubendus eſt adire & reſtituere, ut ex Juliano ſcriptum eſt in *hoc* §. Et hic eſt favor fideicommiſſorum, ut ubi idem eſt ſubſtitutus in vulgarem caſum & per fideicommiſſum, admittatur ex fideicommiſſaria potius, quam ex vulgari, & cogere poſſit heredem ſuſpectam dicentem hereditatem adire & reſtituere. Hoc enim proprium eſt in fideicommiſſis, ad hoc ut hereditas ex cauſa fideicommiſſi reſtituatur, ut heres rogatus, ſi ſuſpectam dicat hereditatem & recuſet adire, compelli poſſit adire & reſtituere hereditatem: & hoc remedio opus fuit, ne non adita hereditate extinguueretur fideicommiſſum, quia fideicommiſſum non debetur, niſi adita heredita-

ditate, & fideicommiſſaria ſubſtitutio præſupponit aditam hereditatem; *l. ille a quo*, §. *ſi de teſtamento*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi ſubſtitutus admitteretur ex vulgari, non eſſet locus coactioni, repudiante hereditatem herede ſcripto, ſtatim ſubſtitutus admitteretur. Vulgatis enim præſupponit non aditam hereditatem, & ſtatim adita hereditate expirat; *l. poſt aditam*, *C. de impub. & aliis ſubſtit. l. ſi legata*, *C. de legat.*

§. *ſi quis bonorum*.

Fideicommiſſum relinqui poteſt, non ſolum ab herede, ſed etiam a bonorum poſſeſſore, puta a filio emancipato herede ſcripto teſtamento, cui datur bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, vel ab inteſtato, cui datur bonorum poſſeſſio unde liberi. Codicillis ab inteſtato factis, fideicommiſſum relinqui poteſt a ſuccedentibus ab inteſtato; *l.* 3. *&* 5. *C. h. tit. l.* 4. *C. de codicill.* ſi a bonorum poſſeſſore fideicommiſſum hereditatis relictum ſit, & is paſſus fuerit diem agnoſcendæ bonorum poſſeſſionis tranſire, aut intra hoc tempus is, cui reſtituenda eſt hereditas, aliqua ex cauſa non potuerit adire prætorem, & poſtulare, ut petita bonorum poſſeſſione ſibi reſtituatur hereditas, ei ſuccurritur, ut reſtituatur tempus petendæ bonorum poſſeſſionis, exhibendi ſeu reſtituendi fideicommiſſi gratia, ut oſtenditur in *hoc* §. Liberis & parentibus datur annus ad petendam bonorum poſſeſſionem, ceteris agnatis & cognatis centum dies; *l.* 1. §. *ſi* † *intra*, §. *largius*, infr. *de ſucceſſ. edict.* Quod ſi bonorum poſſeſſor, a quo fideicommiſſum relictum eſt, non agnoverit bonorum poſſeſſionem intra tempus, puta intra annum, vel centeſimum diem, ei ſuccurritur a prætore, & fideicommiſſarii gratia heredi reſtituitur tempus petendæ bonorum poſſeſſionis, quo valeat reſtituere fideicommiſſum, quia negligentia & culpa heredis non debet nocere fideicommiſſario. Pugnare videtur *l. ſi heres* 70. §. *ſi temporalis*, infr. *h. tit.* ſi temporalis actio relicta ſit in hereditate, quam heres ſcriptus reſtituere rogatus eſt, tempus, quo heres ante reſtitutam hereditatem experiri potuit, imputabitur ei, cui reſtituta fuerit. Unde ſequitur, præſcriptionem currere adverſus fideicommiſſarium priuſquam ei ſit reſtituta hereditas, & fideicommiſſatio imputari negligentiam heredis. Sed hæc ita recte conciliantur: tempus petendæ bonorum poſſeſſionis lapſum adverſus heredem, vel bonorum poſſeſſorem, currit quidem adverſus fideicommiſſarium, ſed beneficio prætoris heredi reſtituitur, ut conſulatur fideicommiſſario ex juſta cauſa: puta ſi ob juſtum impedimentum fideicommiſſarius non potuit cogere heredem, vel bonorum poſſeſſorem, ut adiret hereditatem, vel ut intra tempus peteret bonorum poſſeſſionem. Sed ſi actio temporalis fuit in hereditate, & tempore præſcripta ſit ante reſtitutam hereditatem, præſcribitur actio, non tantum heredi, ſed & fideicommiſſario: ſed hoc caſu heres tenetur fideicommiſſario, ut negligentiæ & culpæ ſuæ periculum præſtet, ut tradit Accurſ. in *d.* §. *ult.* † *al. ſi temporalis*, ex *l. mulier* 22. §. *ſed enim*, ſupr. *h. tit.* Quinimmo ſi heres non ſit ſolvendo, hoc caſu fideicommiſſario danda eſt actio ſubſidiaria adverſus debitores, quamvis tempore liberatos, ac ſi nondum eſſent liberati, ne lucrum conſequantur ex culpa heredis in fraudem fideicommiſſarii, ut recte notat Paul. Caſtren. & alii in *d.* §. *ult. & l. ult.* ſupr. † *de eo per quem fact. erit*, *quomin. quis in judic. ſiſt. l. plane* † *ſi filium*, §. *qui rogatus* 1. *de legat.* 1. Temporalis actio, ſi tempore ſublata ſit ante reſtitutam hereditatem, extinguitur tam heredi, quam fideicommiſſario, nec reſuſcitatur reſtituta hereditate. Sunt quædam actiones temporales dictæ, quæ finiuntur tempore ipſo jure; *l. in omnibus*, *l. in honorariis*, infr. *de oblig. & act.* nec fieri poteſt, ut poſt tempus ſuſcitentur, cum ab initio talem naturam & conditionem habuerint,

Digitized by Google

† Lex iſta deſideratur. Adde *l. ædiles* 38. *l. cum ſex*, *eod. tit.*

ut certo tempore finiantur, qualis eſt actio redhibitoria, quæ finitur ſex menſibus; *l. ſciendum*, §. *ult. l.* † *in omnibus*, *de ædil. edict.* vel actio prætoria, quæ non rei, ſed pœnæ perſecutionem continet, ut actio de dolo, quæ jure veteri finitur anno utili, conſtitutione † Conſtantini biennio continuo; *l. ult. C. de dol.* Aliæ ſunt actiones perpetuæ, quæ non finiuntur tempore ipſo jure, ſed per exceptionem; *l. obligationum* 44. §. 1. *verſ. placet*, infr. *de oblig. & act.* id eſt præſcriptione temporis, quales ſunt omnes actiones civiles, quæ lege vel SC. vel conſtitutione Principis introductæ ſuut; *inſt. de perpet. & tempor. act. in princ. l. ſi* † *mandatu* 59. §. *pen.* ſupr. *mandat.* vel prætoriæ, quæ rei perſecutionem continent; *d. l. in honorariis.* Et hæ actiones ſi relictæ ſint in hereditate reſtituenda, negligentia heredis interim non extinguuntur, & facilius incolumes ſervantur fideicommiſſario, quia ſui natura ſunt perpetuæ, nec finiuntur tempore, niſi ope exceptionis. Erant autem olim temporales ſolæ prætoriæ, non civiles: hodie vero etiam civiles, quæ olim perpetuæ erant, finiuntur tempore, puta præſcriptione 30. vel 40. annorum; *l. ſicut in rem*; *l. cum notiſſimi*, *C. de præſcript.* 30. *ann.* Aliorum ſententia eſt, præſcriptionem cœptam contra defunctum, etiam pendente die vel conditione fideicommiſſi, currere contra fideicommiſſarium, quia preſcriptio ſemel inchoata non deſinit currere; *l. ſi fundum*, ſupr. *de fund. dotal.* præſcriptio ſemel inchoata uon interrumpitur, niſi lite conteſtata, & aliis certis modis; *l. cum notiſſimi*, §. *immo & illud*, *C. de præſcript.* 30. *ann.* Præſcriptionem vero cœptam adverſus heredem, non currere adverſus fideicommiſſarium: ut ſi heres, rogatus hereditatem reſtituere, res hereditarias alienaverit vel pignori obligaverit, impleta conditione fideicommiſſi fideicommiſſario licet rem vindicare, nec uſucapio aut longi temporis præſcriptio contra fideicommiſſarium procedit; *l. ult.* §. *ſin autem*, *C. comm. de legat.* Immo hodie præſcriptio actionum hereditariarum omnino non procedit adverſus ſubſtitutum ante cedentem diem vel conditionem fideicommiſſi, quia cum agendi facultatem non habeat ante reſtitutam hereditatem, nihil eſt quod ei imputetur: non valenti agere non currit præſcriptio; *d. l. cum notiſſimi*, §. *illud autem*, *l. ult.* §. *ſin autem*, *eod. tit. commun. de legat.* Sic fideicommiſſi actio, antequam dies aut conditio exſtiterit, nullo tempore excluditur; *d. l. ult.* §. *ſin autem*.

L. 64. in princ.

Reſtituta hereditate ex cauſa fideicommiſſi, actiones omnes hereditariæ ex *Trebelliano* tranſeunt in fideicommiſſarium; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *hoc tit.* non modo civiles, ſed etiam naturales; *l. quamvis*, ſupr. *h. tit.* Ut ſi pupilli, cui ſine tutoris auctoritate pecunia credita erat, reſtituta ex *Trebelliano* mihi fuerit hereditas, ſi ſolvam creditori non repetam. Finge pater filium impuberem ex aſſe heredem inſtituit, & filio impuberi ſubſtituit in ſecundum caſum, & rogavit hereditatem reſtituere Sempronio, ſi filio impuberi ſine tutoris auctoritate credita ſit pecunia, & reſtituta hereditate ex *Trebelliano* fideicommiſſarius ſolvat pecuniam creditori, non condicet quaſi indebitam ſolutam, quia pupillus erat naturaliter obligatus: ſi pupillus etiam ſine tutore accepit mutuam pecuniam, ex qua factus ſit locupletior, obligatur naturaliter; *l.* 1. *in fin.* infr. *de novat.* At ſolutum ex naturali obligatione non poteſt condici quaſi indebitum; *l. ſi non ſortem*, §. *ſi libertus* ſupr. *de condict. indebit. l. naturales*, *de oblig. & act.* Si autem heres, id eſt ſubſtitutus pupillo, reſtituta hereditate ſolvat creditori, ſolutum repetet, non alia de cauſa, quam quod reſtituta hereditate obligatio naturalis in fideicommiſſarium tranſlata intelligitur. Et ſic reſtituta hereditate, indebitum omnino ſolviſſe videtur, qui ſolvit quod naturaliter tantum debebatur. Reſtituta hereditate

tate ex *Trebelliano*, & obligationes civiles & naturales non in totum tranſeunt in fideicommiſſarium: actiones utiles transferuntur in fideicommiſſarium, actiones directæ manent apud heredem, ſed ſine effectu; heres enim obligatus quidem remanet ipſo jure, ſed juvatur exceptione reſtitutæ hereditatis; *l.* 1. §. † *quamquam*, *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* At reſtituta hereditate ſola naturalis obligatio tota transfertur in fideicommiſſarium, quia non eſt duplex directa & utilis, obligatio naturalis eſt fragilior, ſolo æquitatis vinculo, id eſt ſola æquitate naturali continetur; *l. Stichum*, §. *naturalis*, infr. *de ſolut.* obligatio naturalis deſtituitur juris civilis præſidio. Si autem ejus creditoris, qui pupillo ſine tutoris auctoritate pecuniam credidit, mihi reſtituta ſit hereditas ex *Trebelliano*, & pupillus mihi ſolverit, ſolutum non repetit condictione indebiti, quia, ut modo dixi, naturaliter tenebatur: at ſi heredi ſolverit, poſt reſtitutam ſc. hereditatem, repetit, quia reſtituta jam hereditate, nullo jure tenebatur heredi, nec civiliter, quia nulla de jure erat obligatio, nec naturaliter, utpote translata jam in fideicommiſſarium naturali obligatione, per reſtitutionem hereditatis: quod ſi pupillus ante reſtitutionem heredi ſolviſſet, ſolutam non repetit, ut traditur *in fin. init. h. l.* quia non indebitum ſolvit ei, cui naturaliter tenebatur. Ante reſtitutam hereditatem heredi recte ſolvi poteſt, & debitores ſolvendo liberantur; *l. ante reſtitutam*, infr. *de ſolut.* Si pupillus, qui erat naturaliter obligatus, ſolverit fideicommiſſario poſt reſtitutam hereditatem, vel heredi ante reſtitutam hereditatem, ſolutum non condicit, jure communi ſc. ſed beneficio prætoris poteſt reſtitui, ut repetat. Interdum perſona locum facit repetitioni; *l.* † *indebito*, *C. ſi adverſ. ſolut.*

§. *ſi neceſſarii*.

SUus & neceſſarius heres, puta filiusf. ſub conditione poteſtativa inſtitui poteſt; *l. ſuus quoque*, ſupr. *de hered. inſt.* Quod ſi inſtituatur ſub conditione caſuali, vel mixta, & in defectum ejus conditionis † non ſit exheredatus, inſtitutio nulla & irrita eſt; *l. filius a patre*, ſupr. *de liber. & poſth. l. Lucius Titius*, *de condit. & dem. l. ſi pater*, *C. de inſtit. & ſubſtit.* Tamen ſi neceſſarii heredes inſtituti ſint ſub conditione leviſſima, cui pareri ſolet, poſtulante fideicommiſſario coguntur parere conditioni, & hereditatem reſtituere, ut oſtenditur in *hoc* §. inſtitutio ſub conditione leviſſima, & cui pareri ſolet, pro pura habetur, propter levitatem oneris. Dubitatio ſuberat, quod ſui heredes ſtatim quidem ipſo jure heredes exiſtunt, citra aditionem, ſed habent beneficium abſtinendi a prætore; *l. ult.* §. † *etſi quidem*, *C. de jur. delib.* unde videbatur, quod ſui heredes non poſſent compelli hereditatem adire & reſtituere: ſed hæc facile conciliantur: ſuus heres pure inſtitutus, id eſt ſine gravamine, ſeu onere fideicommiſſi, habet beneficium abſtentionis: ſed ſi rogatus ſit reſtituere hereditatem, compelli poteſt ſe immiſcere & hereditatem reſtituere. Exiſtentia ſui heredis confirmat fideicommiſſum univerſale; *l. ita tamen*, §. *ſi pater*, ſupr. *h. tit.*

† §. iſte deſideratur. V. in terminis §. 2. *inſt. de hered. qual. & diff. & l.* 57. *ff. de adqu. hered.*

§. *ſi quis rogatus*.

SI heres inſtitutus & rogatus reſtituere hereditatem deceſſerit ante reſtitutam hereditatem, heres heredis tenetur reſtituere, & reſtituta hereditate actiones ex *Trebelliano* transferuntur in fideicommiſſarium: & ſi deceſſerit duobus vel pluribus heredibus relictis, uti quiſque eorum reſtituiſſet, actiones pro ea parte transferuntur; nam & ſi ipſe heres partem hereditatis reſtituiſſet, pro ea parte interim tranſituræ eſſent actiones in fideicommiſſarium. Sed & ſi duo

Digitized by Google

vel plures heredes exſtiterint ei, cui reſtituenda fuerit hereditas, & cui ex his reſtituta fuerit pars hereditatis, actiones ex *Trebelliano* in eum transibunt pro ea parte, ut traditur in *hoc* §. Ratio dubitandi adduci poterat, quod reſtituta hereditate, vel verbo tenus, actiones hereditariæ in totum transferuntur in fideicommiſſarium; *l. reſtituta*, ſupr. *h. tit. l. cum ſponſus*, §. *is*, *cui*, *de publician.* Ergo multo magis reſtituta parte hereditatis, actiones videbantur in totum transferri in fideicommiſſarium, non pro ea parte dumtaxat: ſed hæc ita poſſunt conciliari. Reſtitutio fideicommiſſi poteſt fieri re, id eſt traditione rerum hereditariarum, vel verbo tenus. Et reſtituta hereditate re, vel verbo, actiones univerſæ transeunt in fideicommiſſarium, quia hoc fiebat eo animo, ut reſtitueretur hereditas. At ſi heres rogatus reſtituere hereditatem deceſſerit ante reſtitutionem, duobus vel pluribus heredibus relictis, & unus ex his partem reſtituerit, hereditas non habetur reſtituta in totum, ſed pro ea parte, & actiones pro ea parte transeunt in fideicommiſſarium, quia eo animo reſtituit, ut pro parte tantum transirent actiones. Reſtitutio fideicommiſſi pro parte fieri poteſt, volenti non invito fideicommiſſario, quia non tam eſt ſucceſſio, quam ſolutio; *l. non enim*, ſupr. *h. tit.* & reſtitutio hereditatis eſt magis facti, quam juris, ut ſolutio; *l. conſilio*, §. *quæſitum*, ſupr. *de curat. furioſ.*

L. 65. in princ.

SI filiusf. vel ſervus heres inſtitutus ſit, non poteſt adire hereditatem ſine juſſu patris vel domini, ne invitus pater vel dominus æri alieno obligetur, & juſſum præcedere oportet, nec ſufficit ratihabitio; *l. 6. l. ſi quis mihi bona*, §. *juſſum*, ſupr. *de adquir. hered.* Quod ſi bonorum poſſeſſio delata ſit filiof. vel ſervo, poteſt petere bonorum poſſeſſionem ſine præcedente juſſu patris, ſufficitque † ratihabitionem ſubſequi; *l. ult.* §. 1. infr. *quis ord. in bon. poſſ. ſerv. l. 1. C. qui admitt. ad bon. poſſeſſ.* Si quis heres inſtitutus ſit, & rogatus reſtituere hereditatem Sticho ſervo, non recte reſtituitur hereditas Sticho invito vel ignorante domino: ſed ſi reſtitutio facta ſit ſervo invito vel ignorante domino, ſi poſtea dominus ratum habeat, reſtitutio, quæ ab initio nulla erat, ex poſt facto convaleſcit. Dubitandi ratio erat. Reſtitutio hereditatis, quæ fit ex *Trebelliano*, ſimilis eſt adquiſitioni hereditatis, quia effectu ipſo fideicommiſſarius, cui ex *Trebelliano* reſtituta eſt hereditas, heredis vice eſt; §. *reſtituta*, *inſt. de fideic. hered. l. poſtulante*, §. 1. ſupr. *h. tit. l. 5.* §. 1. *quod cum eo*, *qui in alien. poteſt. eſt*. Ergo in reſtitutione hereditatis, ſicut in aditione, juſſum patris vel domini præcedere oportet. Sed in reſtitutione hereditatis ſufficit ratihabitio ſubſequens, ſicut in bonorum poſſeſſione. Et in hoc differt reſtitutio hereditatis ab aditione; in aditione hereditatis juſſum patris vel domini præcedere oportet; in reſtitutione hereditatis ſufficit ratihabitio ſubſequens, ſicut in bonorum poſſeſſione. Ratio differentiæ eſt, quod aditio hereditatis eſt actus legitimus & civilis; *l. actus legitimi*, *de R. J.* ac ideo majorem ſolemnitatem deſiderat: reſtitutio hereditatis eſt actus minus ſolemnis, ideoque in eo ſufficit ratihabitio, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato ſeu juſſui comparatur; *l. ult. C. ad Maced.* maxime in his, quæ ſunt potius juris, quam facti; *l. donationes 25. C. de don. int. vir. & ux.* At reſtitutio hereditatis non modo eſt facti, ſed etiam juris, quia fit ex SC. *Trebelliano*, & ex voluntate teſtatoris, & non tantum ſpectatur ut ſolutio æris alieni, ſed etiam ut ſucceſſio, cum per reſtitutionem fideicommiſſarius velut heres obligetur æri alieno hereditatis; *l. non enim*, ſupr. *h. tit.* Si heres inſtitutus rogatus ſit reſtituere hereditatem Sticho ſervo alieno, reſtitutio poteſt fieri ipſo domino, ſine conſenſu vel miniſterio ſervi. Et hoc eſt quod voluit Mæcianus in *hoc* §. his verbis: *nec in ea re conſenſu aut opera ſervi opus*

Digitized by Google

opus eſt. E contra ſi ſervus heres inſtitutus ſit, vel ei bonorum poſſeſſio delata ſit, dominus non poteſt adire hereditatem vel petere bonorum poſſeſſionem ſine conſenſu ſervi. Ratio differentiæ eſt, quia aditio hereditatis & bonorum poſſeſſio pendet ex mera voluntate heredis vel bonorum poſſeſſoris; *l.* 3. *C. de hered. inſtit.* neceſſe eſt ut declaret, ſe velle eſſe heredem; §. *ult. inſt. de hered. qualit. & diff.* At reſtitutio non pendet ex mera voluntate fideicommiſſarii, cui reſtituenda eſt hereditas: ſed in primis ex facto heredis, qui rogatus eſt reſtituere; itaque ſi quis rogatus reſtituere hereditatem ſervo, ſuſpectam dicat hereditatem, poſtulante domino compellendus erit adire, & reſtituere hereditatem, ut traditur *init. h. l.* nec opus eſt conſenſu vel opera ſervi.

§. *ſi teſtator*.

COnditio, ſi non nupſerit, appoſita inſtitutioni vel legato, rejicitur, & pro non ſcripta habetur; *l. quotiens*, *l. heres meus*, §. *ult. l. Titia*, *ſi non nupſerit*, ſupr. *de condit. & dem.* quia tollit libertatem nuptiarum; *l. Titio centum*, §. *Titio centum* 1. *eod. tit.* Unde ſi heres rogatus reſtituere hereditatem mulieri, ſi non nupſerit, ſuſpectam dicat hereditatem, compellitur eam adire & reſtituere mulieri etiam ſi nupſerit. Idem dicendum eſt, ſi heres inſtitutus rogatus ſit reſtituere hereditatem ſub alia conditione, quæ conſiſtit in non faciendo, quæ niſi vitæ exitu impleri non poteſt: puta, *ſi Capitolium non aſcenderit* fideicommiſſarius, quæ conditio negativa dicitur, tenetur reſtituere hereditatem, præſtita cautione de non faciendo, ut oſtenditur in *hoc* §. Conditio, quæ conſiſtit in non faciendo, ſtatim impletur, præſtita cautione de non faciendo, quæ cautio Mutiana dicitur ab inventore Quinto Mutio Scævola; *l. Mucianæ*, *l. is*, † *cui*, *l. Titio fundus*, *l. heres meus*, §. *qui poſt*, ſupr. *de condit. & dem.*

§. *cum* † *prætor*.

CUm prætor cauſa cognita, per errorem juris, vel per ambitionem, id eſt per gratiam, juſſit hereditatem ex fideicommiſſo reſtitui, ſententiæ licet non jure dictæ parendum eſt, & ex ea hereditas reſtitui debet, quia publice intereſt reſtitui propter auctoritatem rerum judicatarum, ut traditur in *hoc* §. Nimirum ſententia, etiam ſi per injuriam lata ſit, ſi ab ea appellatum non ſit intra decendium, tranſit in rem judicatam, quoad effectum ſc. executionis quod ex eo poſſet mandari executioni, propter auctoritatem rei judicatæ; *l. ſi fidejuſſor*, §. *pen.* ſupr. *mandat. l. ſi fundus*, §. *ſi plures*, *de pignorib. cap. cum inter*, *cap. quod ad conſultationem*, *de ſentent. & re judicat.* Auctoritate rerum judicatarum continetur ſtatus reipublicæ; ac imminentis exitii non aliud certius ſignum, quam rerum judicatarum reſciſſio; M. Tull. 2. in Rull. (4.) *judiciorum perturbationes*, *rerum judicatarum infirmationes*, *reſtitutio damnatorum: qui civitatum afflictarum*, *perditis jam rebus*, *extremi exitiorum ſolent eſſe exitus*. Sententia etiam injuſta, poſtquam tranſiit in rem judicatam, poteſt mandari executioni: ſed executio ſuſpenditur remedio appellationis vel reſtitutionis in integrum; *l. præſes*, *l. cum probatis*, *l. divus Adrianus* † infr. *de re judic. l. ſi cauſa cognita*, *C. de tranſact.* Sententia per errorem, vel per gratiam a judice lata, non reſcinditur ipſo jure per viam nullitatis, ſed per appellationem. Alias ſententia venalis, id eſt lata per judicem mercede corruptum, ipſo jure ſine appellatione reſcinditur; *l. venales*, *C. quand. provoc. non eſt neceſſ.* Ambitioſe dicitur *hoc loco* ferri ſententia, quæ fertur per gratiam: hoc ſenſu ambitioſa decreta decurionum dixit Ulpian. in *l. ambitioſa*, infr. *de decret. ab ordin. fac.* & ambitioſas centumvirorum ſententias dixit Tranquill. *in Domitian. cap.* 8.

Digitized by Google

§. *ſi pupillo*.

PEr tutorem hereditas pupillo adquiri non poteſt, niſi pupillus infans ſit, id eſt minor ſeptem annis. Pupillo recte adquiritur hereditas tutore auctore; *l. pupillus*, ſupr. *de adquir. hered. l. potuit*, *l. ſi infanti*, §. 1. *&* §. *ult. C. de jur. deliber.* Aliud eſt tutore auctore, aliud per tutorem adquiri hereditatem. In aditione hereditatis, quæ fit tutore auctore, ipſe pupillus adit hereditatem, ac ſolemnia aditionis explicat, adhibito tutore auctoritatis gratia. In aditione, quæ fit per tutorem, ipſe tutor adit hereditatem, & ſolemnia actirat. Si heres inſtitutus rogatus ſit pupillo infanti hereditatem reſtituere, ſi ſponte adierit hereditatem, pupillo ipſi tutore auctore reſtituetur hereditas. Si autem heres ſuſpectam dicat hereditatem, & recuſet eam adire & reſtituere, pupillo infanti ſubveniendum eſt, ut heres ſc. poſſit per tutorem compelli adire & reſtituere hereditatem: idque ex ſimilitudine juris civilis vel honorarii conſtituendum eſſe ait Mæcianus *hoc loco*, id eſt ut in aditione hereditatis, quæ eſt juris civilis, vel in bonorum poſſeſſione, quæ eſt juris prætorii; ſicut enim tutore auctore recte pupillus hereditatem adire poteſt, vel pro herede gerere & bonorum poſſeſſionem per tutorem petere poteſt, ut nominatim traditur *hoc loco*, *& l. bonorum*, C. *qui admitt. ad bonor. poſſeſſ. l.* † *ſi curatorem*, C. *de in integr. reſtit. minor.* ita & heres, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, per tutorem compelli poteſt adire & reſtituere hereditatem.

† V. ſi facit, & add. *l.* 7. *&* 8. *ff. de bonor. poſſeſſ.*

§. *ult.*

NIhil intereſt hereditas ex cauſa fideicommiſſi mihi reſtituatur, an alteri ex voluntate mea: ſi ſingulæ res ab herede rogato reſtituere hereditatem traditæ ſint juſſu meo ei, cui eas vendideram, ſine dubio mihi intelligitur facta reſtitutio. Idem dicendum erit, ſi juſſu meo traditæ ſint cui ex fideicommiſſo aliave qua cauſa eas præſtare debueram, vel in creditum ire, vel donare voluerim, ut traditur in *hoc* §. Et ſi voluntate mea alii reſtituatur hereditas, actiones hereditariæ in me tranſibunt ex Trebelliano; *l. reſtituta*, *init.* ſupr. *h. tit.* Res mihi tradita videtur, quæ tradita ſit procuratori meo; *l.* 1. §. *ſi juſſerim*, † infr. *de adquir. poſſeſſ.* Pugnare videtur *l. ſi mulier* 59. §. *ex aſſe*, ſupr. *de jur. dot.* ubi fideicommiſſum cedi non poteſt etiam dotis cauſa, id eſt fideicommiſſi perſequendi jus non poteſt in alium per ceſſionem ſeu delegationem transferri. Ergo non videtur reſtituta hereditas, ſi alii quam ipſi fideicommiſſario reſtituatur, etiam me jubente. Sed hæc minime pugnant. Jus fideicommiſſi perſequendi non poteſt cedi & transmitti in alium, quia fideicommiſſum non videtur reſtitui ex *Trebelliano*, niſi reſtituatur ſicut heres rogatus. Et actiones hereditariæ non transferuntur in alium, quam cui fideicommiſſum ex teſtamento debetur: at non reſtituit fideicommiſſum ſicut rogatus eſt, qui alii quam cui debetur reſtituit, ut diſerte proditum eſt in *d.* §. *ex aſſe*. Sed hoc non impedit quominus res ſingulæ, ab herede rogato reſtituere, tradi poſſint alii, quam fideicommiſſario: juſſu fideicommiſſarii & traditione rerum fideicommiſſum reſtitutum intelligitur, quia res tradita alii mandato meo, mihi tradita videtur: ſed illi res hereditariæ quidem tradi poſſunt, ſed idem non habet actionem ceſſam perſequendi fideicommiſſi.

L. 66. in princ.

SI heres ſcriptus, & rogatus reſtituere hereditatem, ſuſpectam dicat hereditatem, & recuſet eam adire & reſtituere, poſtulante fideicommiſſario officio præ-

Digitized by Google

prætoris ex SC. *Pegaſiano* cogitur adire & reſtituere hereditatem, & quartæ commodum amittit; *l.* 4. ſupr. *h. tit.* §. † 6. *verſ. ſed ſi recuſabat*, *inſt. de fideic. hered.* Quod ſi quis inſtitutus ſit ex parte ſub conditione, *ſi coheres ejus adiiſſet*, ſi idem rogatus ſit partem ſuam hereditatis reſtituere alteri, poteſt uti lege falcidia, id eſt detrahere quartam *Pegaſianam* ſeu *Trebellianicam*, (quæ paſſim *falcidia* dicta eſt, quia introducta eſt ad exemplum *falcidiæ*) etſi coheres ejus coactus adiiſſet, modo ſi ipſe non coactus adierit hereditatem, ut traditur *init. h. l.* Ratio dubitandi eſſe poterat, quod inſtitutus ſub conditione, *ſi coheres ejus adiiſſet*, non aliter poterat eſſe heres, niſi impleta conditione, id eſt niſi coheres eius adiiſſet; *l. qui heredi*, §. *ult.* ſupr. *de condit. & demonſtrat.* At coherede coacto adeunte, videtur ejus vitio & coactione fieri heres, & ſic non juvari vitioſa & coacta aditione, nec poſſe detrahere quartam, vel etiam heres, qui coactus adiit hereditatem, videtur non adiiſſe. Aditio hereditatis eſt actus legitimus, qui propriam voluntatem deſiderat, quare per tutorem expediri non poteſt, niſi pupillus infans ſit; *l. potuit*, *C. de jur. delib.* Aditio coacta non videtur aditio. Ergo ſi quis inſtitutus ſub conditione, *ſi coheres adierit*, & idem rogatus reſtituere hereditatem, ſi coheres coactus adierit videtur defeciſſe conditio. Sed aditio coacta heredis non nocet coheredi, tum quia etſi inſtitutus ſit ſub conditione, *ſi coheres adierit*, non habet cauſam ab eo, ſed ex judicio & voluntate defuncti, & ita coheredis vitio non repellitur; *l. Pomponius*, §. *cum quis*, infr. *de adquir. poſſeſſ.* cum etiam, quia aditio coacta videtur aditio quoad omnia, præterquam ad commodum heredis; *d. l.* 4. Aditio coacta prodeſt ad impendam conditionem, *ſi heres erit*, quia coacta voluntas, voluntas eſt; *l. ſi patre cogente*, *de rit. nupt. l. ſi mulier*, §. *ſi metu* † *coactus* 5. *quod met. cauſ.* Et coactio heredis non arcet quem commodo quartæ, ſed propria: noxa caput ſequitur; *l. ſancimus*, *C. de pæn.* Olim ex SC. *Pegaſiano*, ut hoc addam, heres ſcriptus & rogatus reſtituere hereditatem, ſi ſuſpectam diceret, compellebatur adire & reſtituere: ſed hodie ſublata eſt coactio illa, & ex parte ſublatum eſt SC. Pegaſianum; *nov. juſt. de hered. & falcid.* ubi recuſante herede adire & reſtituere hereditatem, fideicommiſſario licet adire hereditatem, neque per heredis manus eam reſtitui neceſſe eſt.

§. *etiam abſentis*.

Hereditas non poteſt adquiri per procuratorem; *l. per curatorem*, *l.* † *Paulus*, ſupr. *de adquir. heredit.* hereditatis aditio eſt actus legitimus & ſolemnis, qui propriam voluntatem & animum adeuntis deſiderat. Hereditas adquiritur ſolo animo, nuda voluntate, nuda deſtinatione heredis, quod heres eſſe vellet; §. *ult. inſt. de hered. qualit. & different. l. ſi avia*, *C. de jur. delib.* Hereditas adquiritur ſola animi deſtinatione, ſine prehenſione rerum hereditariarum, quia hereditas eſt nomen juris; *l. hereditatis* 119. *l. pecuniæ* 178. §. 1. *de V. S.* Hereditas magis conſiſtit in jure, quam in corporibus hereditariis, unde hereditas etiam ſine ullo corpore juris intellectum habet; *l. hereditas*, ſupr. *de petit. heredit.* Idcirco hereditati furtum non fit, quia hereditas poſſeſſionem non habet, quæ eſt facti & animi; *l.* 1. §. *Scævola*, infr. *ſi is, qui teſt. liber eſſe juſſ.* Secus bonorum poſſeſſio per procuratorem peti poteſt; *l. ſervo invito*, §. *ſi pupillo*, ſupr. *h. tit. l. ſi quis alicui*, *de* † *adquir. hered. l. ſi maritus*, *C. mandat.* quia bonorum poſſeſſio, cum ſit juris prætorii, eſt actus minus ſolemnis. Etiam abſentis procuratori hereditas fideicommiſſaria reſtitui poteſt, ita ut caveat de rato, id eſt rem ratam dominum habiturum, ſi non evidens abſentis voluntas ſit, id eſt ſi dubitetur de mandato, vel minus idoneum, id eſt obſcurius mandatum proferatur. Abſentis enim

† Lex iſta deſideratur. V. *l.* 1. §. *ult. de offic. procur. Cæſar.*

Digitized by Google

procurator non alias tenetur ſatisdare de rato, quam ſi dubitetur de mandato; *l. 3. §. ſi procurator*, inſr. *ut in poſſeſſ. legat. l. de pupillo, §. qui procuratorio, de nov. oper. nunciat. l. Pomponius, §. ſed & is, qui, l. non cogendum, §. ult. de procurat. l. 1. C. eod. l. ſi quis ex argentariis, §. 5. verſ. procuratori, de edend.* Si tamen heres ſuſpectam dicat hereditatem, non eſt compellendus adire poſtulante procuratore abſentis fideicommiſſarii nomine, ſi non conſtet de mandato, ſi certum non ſit mandatum, quamvis ei offeratur cautio de rato, idque propter fragilitatem cautionis. Cautionis enim nomine continetur nuda promiſſio: aliud eſt cavere, aliud ſatisdare. Satisdatio eſt, quæ fit datis fidejuſſoribus: nuda cautio eſt, quæ ſolam fidem promittentis obligat; *l. 1. ſupr. qui ſatisd. cog. l. ſancimus, C. de V. S.* Non ſufficit cautio de rato, ut cogatur heres adire & reſtituere, poſtulante procuratore abſentis, ubi dubitatur de mandato, propter fragilitatem cautionis de rato, nec ſufficit etiam ſi offeratur cautio de indemnitate propter incertum cautionis: non oportet ſub incerto cautionis ſe committere aditioni hereditatis; *l. cogi, §. idem quærit*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi heres ſcriptus, & rogatus reſtituere hereditatem, ſponte eam adierit, reſtituere compellitur etiam abſentis procuratori illi, qui ſe dicit procuratorem fideicommiſſarii, ſi caveat de rato, quia non magna captio eſt, ut ait Paulus in *hoc* §. Hoc caſu minus periculum eſt hereditatem reſtitui illi, qui dicit ſe procuratorem fideicommiſſarii, dum caveat de rato, ſi de mandato dubitetur, quia ſi reſtituatur falſo procuratori, id eſt ei, qui mandatum non habet, actiones hereditariæ non transeunt in fideicommiſſarium, priusquam ratum habuerit, ut ſubjicitur in *hoc* §. Abſentis procuratori hereditas fideicommiſſaria reſtitui poteſt, ſive præcedat mandatum, ſive ſequatur ratihabitio; *l. quamvis, §. ult. & dd. ſeqq.* ſupr. *h. tit.* quia ratihabitio retro trahitur & mandato comparatur; *l. ult. C. ad Maced. l. donationes 25. C. de don. int. vir. & uxor.*

§. *ſi damnum*.

RESTITUTA hereditate in fideicommiſſarium transeunt actiones hereditariæ, quæ fuerunt in hereditate bonisve defuncti; *l. ita tamen, §. qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* Actiones, quæ non fuerunt in bonis defuncti tempore mortis, non transeunt in fideicommiſſarium, quia non ſunt hereditariæ: ut ſi damnum in ſervo hereditario datum ſit, ſervo vulnerato, licet per ſervum hereditarium actio legis Aquiliæ heredi competere cœpit, non tamen transit in fideicommiſſarium reſtituta hereditate. Reſtituta enim hereditate, hæ actiones transeunt in fideicommiſſarium, quæ ex bonis defuncti pendent, ut tradit Paulus in *hoc* §. id eſt quæ trahunt originem ex contractu, vel facto defuncti. Actio legis Aquiliæ, licet heredi competat occaſione rei hereditariæ, puta ob ſervum hereditarium vulneratum vel occiſum, non eſt hereditaria, quia actio legis Aquiliæ eſt pœnalis: non mere pœnalis, ſed mixta, partim pœnalis, partim rei perſecutoria: unde hæc actio datur heredi ceterisque ſucceſſoribus, ſed in heredem ceterosque ſucceſſores non datur, cum ſit pœnalis, niſi forte heres locupletior factus ſit ex delicto defuncti; *l. inde Neratius, §. hanc actionem*, ſupr. *ad leg. Aquil. l.* †† *actione, pro ſoc.* §. † *vi autem, inſt. de actionib.*

†† V. ſi facit, & adde *l.* 111. *in fin. de R. J. l. 1. de privat. delict.* cum concord.

§. *ſi legatus*.

SI heres, inſtitutus & rogatus reſtituere hereditatem, Romam legatus ſit reipublicæ cauſa, ſi interim ſuſpectam dicat hereditatem, Romæ, dum legatione fungitur, compelli poteſt adire hereditatem: ſed non cogitur eam reſtituere priusquam domum reverſus ſit; *l. ſi legatus*, ſupr. *h. tit.* Et ſi legatus adierit hereditatem Romæ ipſo legationis tempore, neque a creditoribus here-

hereditariis, neque a legatariis conveniri poteſt quamdiu durat legatio; *l. de eo, & dd. ſeqq.* ſupr. *de judic.* Nimirum legatus provincialis tempore legationis non cogitur ſuſcipere actiones, ne a legationis officio avocetur: ſed ſi ſuſpectam dicat hereditatem, compellitur eam adire, propter periculum moræ, ne moriente herede non adita hereditate fideicommiſſum intercidat. Si legatus Romæ compulſus adierit, & reſtituerit hereditatem, fideicommiſſarius, cui reſtituta erit hereditas, cogitur pati actiones, quamvis heres idemque legatus non cogeretur, ut traditur in *hoc* §. Exceptio, quæ cohæret perſonæ heredis, ne cogatur Romæ pati actiones creditorum hereditatiorum, non tranſit in fideicommiſſarium, quia hujuſmodi legati perſonale beneficium eſt; *l. ſed & ſi reſtituatur*, §. 1. *de judic.* Exceptiones, quæ cujusque perſonæ cohærent, ad alium non tranſeunt; *l. exceptiones* 7. infr. *de except.*

§. *ult.*

RESTITUTA hereditate actiones activæ & paſſivæ, quæ heredi & in heredem competebant, tranſeunt in fideicommiſſarium; *l.* 1. §. *de illo*, *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* quia fideicommiſſarius eſt heredis vice; §. *reſtituta*, *inſt. de fideic. heredit. l. poſtulante*, §. 1. ſupr. *h. tit. l. ſi filiusf.* §. 1. *quod cum eo, qui in alien. poteſt. eſt.* Reſtituta hereditate, quæritur *hic*, ubi conveniendus ſit a creditoribus hereditariis fideicommiſſarius, cui reſtituta eſt hereditas? Et videbatur, adita ſponte per heredem & reſtituta hereditate, fideicommiſſarium conveniendum eſſe, vel ubi defunctus conveniri debuit, quia fideicommiſſarius eſt heredis loco, (heres autem ibi conveniendus eſt, ubi defunctus debuit, licet ibi domicilium non habeat, & ex perſona ſua privilegio fori non utitur; *l. heres abſens*, ſupr. *de judic.*) vel ubi heres conveniri debuit, quia actiones ab herede tranſeunt in fideicommiſſarium, vel ubi ipſe domicilium habet. Tamen verius eſt, fideicommiſſarium ibi conveniendum eſſe, vel ubi ipſe domicilium habet, vel ubi eſt major pars hereditatis. Fideicommiſſarius conveniendus non eſt ubi defunctus debuit, quia etſi ſit heredis loco, non eſt proprie heres: idem non eſt conveniendus in domicilio heredis, vel alio loco, ubi heres forum ſortitur, quia fideicommiſſarius quidem eſt heredis vice, non ita ut in jus heredis ſuccedat, tamquam ipſius ſucceſſor, ſed ut defuncti perſonam repræſentet, quia per fideicommiſſum non heredi ſucceditur, ſed teſtatori; *l. coheredi*, §. *quod ſi heredem*, ſupr. *de vulgar. & pupillar.* Igitur fideicommiſſarius conveniendus eſt ubi domicilium habet, vel ubi major pars hereditatis eſt, non ubi defunctus vel heres conveniri debuit. Eodem jure fideicommiſſum ibi petendum eſt, ubi eſt major pars hereditatis reſtituendæ, vel ubi heres domicilium habet; *l. ſi fideicommiſſum, cum dd. ſeqq.* ſupr. *de judic. l. unic. C. ubi fideic. pet. oport.* fideicommiſſi enim perſecutio, licet in perſonam heredis dirigatur, tamen in rem quoque ſcripta eſt; *l. actio*, ſupr. *de oblig. & act. l. pecuniæ* 178. §. † *actionis*, *de V. S.* Ideoque mirum videri non debet, ſi in eo loco exercenda ſit, in quo res ſitæ ſunt, vel major pars hereditatis, quia pars major trahit ad ſe minorem; *l. jurisgentium*, §. *ult. & l. ſeq.* ſupr. *de pact.* Et in legatis & fideicommiſſis generale eſt, ut ibi præſtari debeant, ubi a teſtatore res relictæ ſunt; *l. cum res legata*, *l. ſi ſervus legatus*, *de legat.* 1. *l. quod legatur*, *de judic.*

L. 67. *in princ.* † & §. *etiam*, §. *ſed & ſi.*

SI heres ſcriptus & rogatus reſtituere hereditatem, poſtulante fideicommiſſario, ſuſpectam hereditatem ex decreto prætoris coactus adierit, & fideicommiſſarius poſtea eam ſibi reſtitui nolit, hereditas pro reſtituta habetur, &

Digitized by Google

actiones prætoris officio perinde dantur in fideicommiſſarium, ac ſi hereditatem recepiſſet, quia nemo poteſt mutare conſilium in alterius injuriam; *l. nemo poteſt mutare* 75. *de R. J.* Quod eſt verius etiam ſi heres ſuſpectam dixerit hereditatem, & coactus eam adierit, & eam reſtituiſſet eo tempore quo creditorum fraudandorum conſilium iniit; quia heres, qui ſuſpectam dixit hereditatem, & coactus eam adiit & reſtituit, citra periculum *interdicti fraudatorii* eam adiit & reſtituit. Actione *Paulina & interdicto fraudatorio*, cujus mentio fit *hoc loco*, & in *l. pupilli debitor*, † *in princ.* infr. *de ſolut.* revocantur quæcumque geſta ſunt a debitore in fraudem creditorum. *Pauliana vel interdicto fraudatorio* non tenetur qui ſuſpectam dixit hereditatem, & coactus adiit, quia nihil videtur facere in fraudem creditorum qui repudiat hereditatem, quia non diminuit, ſed non adquirit; *l. quod autem*, *in princ.* §. *proinde*, *& ſeq. quæ in fraud. cred.* Sed & ſi filius ſuus heres ſcriptus & rogatus mihi hereditatem reſtituere, creditorum ſuorum fraudandorum conſilio, ſuſpectam hereditatem dixerit, & coactus adierit & reſtituerit, vix *fraudatorio interdicto locus erit*, id eſt creditoribus filii non licet agere *interdicto fraudatorio*, ut revocet quartam, quam heres eſſet detracturus ſi ſponte adiiſſet & reſtituiſſet. Ratio dubitandi eſſe videbatur, quia filius ſuus heres, qui coactus adiit & reſtituit hereditatem, & ſic quartæ commodum amittit, videtur de bonis ſuis in fraudem creditorum diminuere, cum ad bona paterna tamquam propria veniat; *l. in ſuis*, *de liber. & poſth.* Tamen verius eſt, non eſſe locum *interdicto fraudatorio*, quia bona patris re vera non ſunt filii, ſed fictione juris; & creditoribus paternis poſtulantibus datur beneficium ſeparationis bonorum; *l.* 1. infr. *de ſepar. bonor.* Et ſi bona patris veneant a creditoribus paternis, nihil proprium creditores filii ex ea hereditate ferre poterunt, ſaltem priuſquam dimiſſi ſunt creditores paterni: certe creditores filii audiri debent, ſi poſtulent, ut, dimiſſis creditoribus patris, reſidua bona ſibi vendere liceat, ut oſtenditur in *h.* §. † *ſed & ſi*. Sed etſi heres rogatus reſtituere ſuſpectam hereditatem dixerit, & coactus adierit, & jam non ſit cui reſtituat, finge fideicommiſſarium deceſſiſſe ſine herede, hoc caſu heredi ſuccurritur ex reſcripto D. Pii, ut bona veneant a creditoribus hereditariis nomine defuncti, perinde ac ſi hereditas adita non eſſet; *l.* 1. §. *ſed ſi quis ſuſpectam*, inſr. *de ſeparat.*

§. *ſi donationis*.

SI heres inſtitutus, & rogatus totam hereditatem reſtituere ei, qui ſolidum capere non poſſit, donationis cauſa, id eſt donandi animo, ſuſpectam hereditatem dixerit, & coactus adierit & reſtituerit, ei aufertur id, quod capere non poteſt, & fiſco vindicatur. Si enim tacitum fideicommiſſum in fraudem legum ab herede relictum ſit incapaci, ei velut indigno aufertur, & fiſco vindicatur; *l. in fraudem*, §. 1. ſupr. *de his*, *quæ ut indign.* Idem dicendum eſt ſi heres fiduciarius rogatus reſtituere hereditatem incapaci, citra conſilium ſeu animum donandi ſuſpectam dixerit hereditatem, & coactus totam reſtituerit, fideicommiſſario aufertur quod capere non poteſt, & fiſco vindicatur: quæ duo probantur in *hoc* §. Sed ſi heres rogatus reſtituere hereditatem ei, qui capere poſſit, ſponte adierit, & totam reſtituerit non deducta quarta, quarta omiſſa non poteſt revocari a creditoribus heredis, quaſi donandi animo remiſſa in fraudem creditorum, quia non videtur donaſſe, ſed potius plenam fidem & obſequium exhibuiſſe voluntati defuncti; *l. ſi ſponſus*, §. *ſi quis rogatus*, ſupr. *de don. int. vir. & uxor. l. patrem*, *quæ in fraud. creditor.*

L. 68.

SI heres ſcriptus & rogatus reſtituere hereditatem, quæ ſolvendo non erat, ſuſpectam dicat, & coactus adeat & reſtituat, dubium non eſt quin hodie coa-

coactus, ex *Trebelliano* ſc. reſtituat. Ratio dubitandi eſſe videbatur, quod non videbatur heres compellendus adire & reſtituere hereditatem, ſi liquido conſtet eam eſſe damnoſam, non videtur indulgendum ſtultitiæ fideicommiſſarii deſiderantis adire hereditatem, nullum inde lucrum commodumve laturi; *l. in fundo*, ſupr. *de rei vindicat.* Tamen etſi conſtet hereditatem non eſſe ſolvendo, heres cogi poteſt, poſtulante fideicommiſſario, adire & reſtituere hereditatem. Et reſtitutio hujuſmodi coacta, hodie fit ex SC. *Trebelliano*, quia hereditas, etiam damnoſa, eſt hereditas, quod ſit nomen juris; *l. hereditatis* 119. infr. *de V. S. l. hereditas*, ſupr. *de hered. petit.* Sed etſi heres inſtitutus & rogatus reſtituere hereditatem, quæ non eſt ſolvendo, eam ſponte adierit, æque eam reſtituturus eſt ex SC. *Trebelliano*. Fideicommiſſum univerſale valet, licet hereditas non ſit ſolvendo, quia eſt nomen juris, id eſt magis conſiſtit in jure, quam in corporibus hereditariis. Sed ſi ſingulare fideicommiſſum certæ rei vel ſummæ ſeu quantitatis pecuniæ relictum ſit ab eo, qui ſolvendo non eſt, perinde non debetur, atque ſi legatum eſſet; legata enim & fideicommiſſa ſingularia non præſtantur ultra vires hereditatis; *l.* 1. §. *ſi is, qui quadringenta*, ſupr. *h. tit. l. ſi univerſæ*, *C. de legat.* eo enim caſu legatarii, ſuperiore heredis vice fungitur is, cui fideicommiſſum relictum eſt, ut dicitur in *fin. init. h. l.* Fideicommiſſarius particularis ſc. eſt vice legatarii, fideicommiſſa ſingularia exæquantur legatis; *l.* 1. ſupr. *de legat.* 1. fideicommiſſarius autem univerſalis habetur loco heredis.

§. *ſi totam*.

SI heres ſcriptus & rogatus totam hereditatem reſtituere, eam ſponte adierit & reſtituerit, non deducta quarta, difficile creditur hoc feciſſe per ignorantiam & errorem magis, quam explendæ fidei cauſa, ait † Valens in *hoc* §. Et ideo non eſt locus condictioni indebiti, quia favor fideicommiſſorum præſtat, ut explendæ fidei cauſa potius, quam per errorem, aut donandi animo ſolutum videatur; *l. ſi ſponſus*, §. *ſi quis rogatus*, ſupr. *de don. int. vir. & uxor.* Et fideicommiſſum teſtamento minus ſolemni relictum, ſi in ſtipulationem deductum & ſolutum ſit, non poteſt condici quaſi indebitum, quod explendæ fidei cauſa a ſciente ſolutum ſit; *l. fideicommiſſum*, ſupr. *de condict. indebit. l. patrem*, *quæ in fraud. credit.* & conſcientia relicti; *l.* 2. *C. de fideic.* Dices, qui indebitum ſolvit, in dubio præſumitur indebitum ſolvere per errorem, & conſequenter locus eſt condictioni, quia nemo præſumitur velle jactare ſuum; *l. cum de indebito*, *de probat.* Sed favor fideicommiſſorum hoc operatur, ut fideicommiſſi etiam indebiti ſoluti denegetur repetitio, in dubio, quod magis ex certa ſcientia, & fidei explendæ gratia, quam per errorem ſolutum videatur: ſed ſi probetur per errorem, ſc. facti, quartam omiſiſſe, poterit eam repetere condictione indebiti, ut additur in *hoc* §. Indebitum per errorem juris ſolutum non condicitur: quod ſi indebitum per errorem facti ſolvatur, datur condictio indebiti; *l. pen.* §. *ſi quis jus*, ſupr. *de jur. & fact. ignor. l. error*, *C. ad leg. falcid.* quod ex cauſa fideicommiſſi indebitum datum eſt, non poteſt repeti quaſi indebitum, niſi probetur per errorem facti ſolutum, ex reſcripto Severi & Antonini; *d. l. pen.*

L. 69.

HEres non tenetur legatariis & fideicommiſſariis de evictione, ſi certa res legata ſit, vel certus homo, veluti Stichus, quia talem rem dare debet qualis eſt, liberatur præſtando rem qualis eſt; *l. ſi a ſubſtituto*, §. *heres*, *l. ſi domus*, §. 1. *de legat.* 1. *l. cum pater*, §. *evictis*, *de legat.* 2. niſi teſtator

Digitized by Google

ſciens rem alienam legaverit, quia ex conjectura voluntatis præſumitur teſtator heredem onerare voluiſſe periculo evictionis; *d. l. cum pater*, §. *evictis*, *l. Sticho*, §. *ult. de uſufr. legat.* Si autem incerta res legata ſit, aut incertus homo generaliter, quo caſu electio eſt heredis, ſi is, quem elegit heres & præſtitit, evincatur, tenetur de evictione actione ex teſtamento, quia male elegit; *d. l. ſi a ſubſtituto*, *d. l. ſi domus*, *l. qui concubinam*, §. *ſi heres*, *de legat.* 3. *l. heres ſervum*, *de evict.* Similiter heres inſtitutus & rogatus reſtituere hereditatem, eam reſtituendo, non tenetur cavere fideicommiſſario de evictione rerum hereditariarum, ut traditur in *h. l.* quia reſtitutio hereditatis eſt neceſſaria. Heres rogatus reſtituit hereditatem fidei explendæ gratia; *l. ſi ſponſus*, §. *ſi quis rogatus*, *de don. int. vir. & uxor.* *l. patrem*, *quæ in fraud. cred.* atque ita officium expletæ fidei heredi damnoſum eſſe non debet. Praterea reſtituta hereditate ex cauſa fideicommiſſi, omnia jura activa, & paſſiva transferuntur in fideicommiſſarium; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* quod ſit heredis vice: ergo periculum evictionis ſpectat ad eum, non ad heredem, qui ſemel reſtituit hereditatem. Et cum fideicommiſſum ſit onus; *l. ſi adrogator*, §. 1. ſupr. *de adopt.* *l.* 2. *in fin.* infr. *de ſuis & legitim. hered.* non eſt gravandus heres ſatisdationis onere, ne duplici onere gravetur; *l. cogi*, §. *inde quæritur*, ſupr. *h. tit.* *l. fideicommiſſa*, §. *ſi quis* † *decem*, *de legat.* 3. Certe heres rogatus reſtituere hereditatem in diem vel ſub conditione, pendente die vel conditione tenetur cavere ſubſtituto de fideicommiſſo ſervando, & hereditate reſtituenda; *l. inter omnes*, ſupr. *qui ſatisd. cog.* Excipiuntur pater vel mater, quibus remittitur onus ſatisdationis de fideicommiſſo ſervando, niſi tranſierint ad ſecundas nuptias, vel ſpecialiter id teſtator juſſerit; *l. jubemus*, §. *in ſupradictis*, *C. h. tit.* *l. filio* infr. *ut legat. ſerv. cauſ. cav.* Sed quando heres reſtituit hereditatem, non tenetur cavere fideicommiſſario de evictione rerum hereditariarum, quia reſtituta hereditate omnino liberatur. Qui idcirco tenetur, quod rem habet, liberatur præſtando rem, ut qui tenetur quod habet actionem, liberatur cedendo actione; *l. quod debetur*, ſupr. *de pecul.* Quinimmo fideicommiſſarius, cui reſtituta erit hereditas, heredi cavere debet de indemnitate, ſi quid ex his evictum eſſet, quæ ab ipſo herede veniſſent, ut ſubjicitur in *fin. h. l.* Quod accipiendum eſt, ſi res venditæ ſint ab herede ob juſtam cauſam: puta æris alieni ſolvendi cauſa, quia fideicommiſſarius non poteſt revocare res alienatas ab herede ob juſtam cauſam; vel ſi pretium rerum venditarum refuſum ſit fideicommiſſario in reſtituenda hereditate, quia rem habere videtur, qui habet pretium redactum ex venditione rerum hereditariarum. Pretium eſt loco rei, & perinde eſt ac ſi res hereditariæ reſtitutæ eſſent fideicommiſſario: ſubrogatum ſapit naturam ejus in cujus locum ſubrogatur; *l. Imperator*, §. *ult. & l. ſeq. de legat.* 2.

L. 70. in princ.

RЕſtituta hereditate ex *Trebelliano*, actiones directæ manent apud heredem, utiles dumtaxat transeunt in fideicommiſſarium; *l. ſancimus*, *in fin C. h. tit.* Actiones, inquam, directæ manent apud heredem etiam reſtituta hereditate: verum inefficaces, quia heres reſtituta hereditate, ſi agat contra debitores hereditarios vi directarum actionum, ſubmovetur exceptione reſtitutæ hereditatis, ut & ſi conveniatur a creditoribus hereditariis, tuetur ſe exceptione reſtitutæ hereditatis; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, ſupr. *h. tit.* Quod ſi heres inſtitutus rogatus ſit reſtituere hereditatem Titio, & rurſus Titius heredi poſt tempus, ſufficiunt directæ actiones heredi, ut oſtenditur *init. h. l.* id eſt directæ actiones, quæ manent apud heredem reſtituta hereditate ex *Trebelliano*, ei ſufficiunt, nec ei neceſſariæ ſunt utiles, quia ubi ſunt directæ efficaces, non ſunt neceſſariæ utiles, nec utiles habere poteſt, qui habet directas, quia

dire-

directæ & utiles non poſſunt concurrere in ejuſdem perſona, niſi diverſo reſpectu *; l. Stichum*, §. *aditio*, ſupr. *de ſolut.* eo nimirum jure, quo major & principalior obligatio tollit minorem *; l. ſi reus*, infr. *de duob. reis l.* † *debitori*, infr. *de fidejuſſ.*

§. *ſi heres.*

Reſtituta hereditate ex *Trebelliano*, actiones directæ non tranſeunt in fideicommiſſarium, ſed utiles dumtaxat. Hoc jure, ſi heres antequam fideicommiſſam hereditatem reſtitueret alienaverit quid ex hereditate, vel ſervum hereditarium manumiſerit, vel ruperit quid vel fregerit, vel uſſerit, in eum non competit ulla civilis actio, ne quidem reſtituta poſtea hereditate ex *Trebelliano*: ſed ex fideicommiſſi cauſa erit hoc, quod deperierit, perſequendum, ut ait Pomponius in *hoc* §. Etiam reſtituta hereditate, non datur fideicommiſſario ulla civilis actio, puta vindicatio, vel legis Aquiliæ actio, ut res alienatæ ante reſtitutionem hereditatis revocentur, vel res conſumptæ aut deteriores factæ reſtituantur, quia civiles & directæ actiones manent apud heredem, etiam reſtituta hereditate; utiles dumtaxat tranſeunt in fideicommiſſarium: ſed fideicommiſſario ſupereſt actio ex cauſa fideicommiſſi in heredem, quaſi fideicommiſſum non omnino reſtitutum ſit, ubi deminutum vel deterioratum reſtitutum eſt: non videtur res reddita, quæ deterior redditur *; l.* 3. §. *ſi reddita*, ſupr. *commod.* Quod ſi heres, poſt reſtitutam hereditatem, ſervum hereditarium † aut vulneraverit aut occiderit, in eum datur legis Aquiliæ actio, ut additur in *calce h.* §. Eademque ratione dicendum eſt, ſi heres poſt reſtitutionem res hereditarias alienaverit, fideicommiſſarium habere vindicationem, quia de rebus alienatis, vel de damno dato in rebus hereditariis per heredem poſt reſtitutionem, fideicommiſſario datur civilis actio in heredem, quæ competeret in extraneum, quia tenetur ut quilibet *; l.* † *ſi paterfamilias*, §. *ſi duos*, ſupr. *de adopt.* ut recte notat Albericus *hic*.

§. *ſi temporalis.*

Dixi ſupr. in *l.* 63. §. *ſi quis bonorum.*

L. 71.

Si heres rogatus reſtituere hereditatem ſuſpectam dicat, & præciſe recuſet adire, ſtatim compellitur adire & reſtituere, & quartæ commodum amittit *; l.* 4. ſupr. *h. tit.* Sed ſi heres præciſe non recuſet adire, ſed petat tempus ad deliberandum de adeunda hereditate, ei datur tempus ad deliberandum, quia jus deliberandi, quod eſt beneficium legis, petenti non denegatur. Sed interim dum deliberat, poſtulante fideicommiſſario cogitur adire hereditatem: verum non eſt cogendus ſtatim reſtituere, ſed expectandum eſt donec impleatur tempus deliberationis, & tunc ſi compererit ſibi expedire hereditatem, ſentiet commodum teſtamenti, id eſt detrahet quartam, quæ recte dicitur commodum teſtamenti, quia non competit heredi rogato reſtituere, niſi ex teſtamento, id eſt ultro adierit hereditatem, detrahit, inquam, quartam eo jure, quo detraheret ſi ſponte adiiſſet: ſi heres poſt deliberationem dicat, ſibi expedire hereditatem, ſe malle eſſe heredem, & ſponte reſtituat, non videtur coactus adiiſſe, ſed ſponte poſt deliberationem *; l. ſed & ſi*, §. *plane*, ſupr. *h. tit.* Si vero heres poſt deliberationem oneroſam hereditatem crediderit, & dixerit, ſe nolle eſſe heredem, reſtituta hereditate exoneratur actionibus hereditariis, ut ait Mæcianus in *h. l.* & heres amittit commodum quartæ. Si enim heres coactus adeat & reſtituat hereditatem, actiones univerſæ tranſeunt in

Digitized by Google

fideicommiſſarium, & nihil omnino remanet apud heredem, ne quidem commodum quartæ; *d. l.* 4.

L. 72.

SI heres inſtitutus rogatus fuerit reſtituere hereditatem, præcepto certo fundo, fundus ille heredi imputatur in quartam; *l.* 1. §. *ſi heres*, *l. deducta*, §. *acceptis*, ſupr. *h. tit.* §. *ſi quis una*, *inſt. de fideic. hered.* Quod ſi heres rogatus ſit, præcepto fundo, hereditatem reſtituere, & fundus ille forte evictus ſit, quod compertum ſit fundum eſſe alienum, non teſtatoris, (& ſic rectius legitur in Florentinis *fundus alienus erat*, quam quod in vulgatis codicibus *fundus alienatus erat*) evicto fundo, inquam, quæritur, an heres in reſtituenda hereditate, æſtimationem hujus fundi ex hereditate deducat? Ariſto, cujus ſententia exponitur a Pomponio, aiebat, videndum, utrum teſtator voluerit fundum omnimodo eſſe penes heredem, id eſt indiſtincte, ſive fundus alienus eſſet, ſive proprius teſtatoris, an ita demum ſi ipſius eſſet: ſed ſibi ſuperius placere, ſc. quod omnino fundum habeat heres. Et ideo ſi forte fundus ille evictus ſit, æſtimatio ejus retinenda eſt per heredem, ut oſtenditur in *hac l.* unde colligitur pro quarta *Trebellianica*, vel præceptione, quæ imputatur in quartam, heredi præſtari evictionem. Nec quicquam obſtat, quod pro prælegatis non præſtatur evictio; *l. ſi a ſubſtituto*, ſupr. *de legat.* 1. *l. cum pater*, §. *evictis*, *de legat.* 2. quia quod heres præcipere ſeu retinere juſſus eſt in reſtituenda hereditate, non eſt legatum, ſed eſt vice quartæ, quæ heredi debetus ex SC. non ex beneficio teſtatoris, ut recte diſtinguit Accurſius *h. loco*.

L. 73.

REſtituta hereditate ex *Trebelliano*, in fideicommiſſarium non tranſeunt actiones quæſitæ per heredem, natæ ex facto id eſt contractu heredis, ſine ceſſione ſeu mandato heredis, quia non ſunt hereditariæ: at in fideicommiſſarium non tranſeunt ipſo jure, niſi res vel actiones hereditariæ; *l. in fideicommiſſaria*, §. *quotiens*, *l. qui ita*, §. *ſi damnum*, ſupr. *h. tit.* Hoc jure, ſi heres pecuniam hereditariam crediderit, & in eam cauſam pignora acceperit, reſtituta hereditate, fideicommiſſario non competit actio adverſus ipſa pignora, id eſt actio pigneratitia. Quod ſi heres antequam reſtitueret hereditatem, in eum contractum, qui a defuncto fuerit interpoſitus, id eſt pro nomine contracto a defuncto, pignora acceperit, caſus hic majorem dubitationem habere videbatur, quia hoc caſu actio principalis erat hereditaria, ut pote contracta a defuncto. Actio hypothecaria erat acceſſoria actionis hereditariæ, quippe quæ accedebat actioni propria ſtipulatione quæſitæ per heredem, unde videbatur etiam acceſſoria tranſire ipſo jure in fideicommiſſarium, una cum principali, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis; *l. nihil dolo*, §. 1. infr. *de R. J. l. eos qui*, *C. de uſur.* Nec hic tamen admittendus eſt ex fideicommiſſo, ſed habet dumtaxat adverſus heredem actionem, ut ei hypothecaria cedat. Non cogitur quis cedere aut præſtare actionem, quam habet, † niſi quoties aut ſine ullo ſuo diſpendio id facere poteſt; *l. in creditore*, ſupr. *de evict.* aut ob id dumtaxat tenetur, quod actionem habeat; *l. item veniunt*, §. *ait ſenatus: placere* 17. ſupr. *de petit. heredit. l. quod debetur*, in fin. *de pecul. l.* 2. † §. *perveniſſe*, *de hered. vel act. vendit.* Opponitur *l. heres*, infr. *de fidejuſſ.* ubi, ſi heres antequam reſtitueret hereditatem ex SC. *Trebelliano*, a debitore hereditario fidejuſſorem acceperit, reſtituta hereditate ex *Trebelliano*, fidejuſſoris obligatio in ſuo ſtatu manet, id eſt non extinguitur, ſed ipſo jure tranſit in fideicommiſſarium: ſed nulla eſt pugnantia inter *has leges*. Nempe, ſi heres contraxerit obligationem ſuo nomine, non hereditario, obligatio non tranſit ipſo

Digitized by Google

ipſo jure in fideicommiſſarium, ſed ceſſione opus eſt. Et ita accipienda eſt *hæc lex*. At ſi heres contraxerit obligationem hereditario nomine, in fideicommiſſarium tranſit utilis actio ex *Trebelliano*, ut in *d. l. heres*. Et ita intelligendum eſt de pecunia conſtituta heredi, hereditario nomine, quod traditum eſt in *l. ſi poſt*, ſupr. *de conſtit. pecun.* heredi conſtituta pecunia, jam defuncto debita, ante reſtitutam hereditatem, reſtituta hereditate denegandam eſſe heredi conſtitutæ pecuniæ actionem, & magis eſſe, ut fideicommiſſario decernenda eſſet actio: & recte *utramque legem* ſic accepit Cujac. poſt Græcos interpretes.

§. *cum ex Trebelliano*.

SI creditor debitori heres extiterit, idemque rogatus ſit alii reſtituere hereditatem, aditione hereditatis confunduntur actiones, ſed reſtituta hereditate ex *Trebelliano* in priſtinum ſtatum revocantur; *l. debitor*, *in princ.* ſupr. *h. tit.* Sic & ſi dominus prædii dominantis heres extiterit, domino fundi ſervientis, vel e contrario, confuſione ſervitutes extinguuntur, quia nemo ſibi ſervitutem debere poteſt; *l. Papinianus*, ſupr. *de ſervit. l. ſi quis ædes*, *de ſervit.* † *urban.* Quod ſi dominus prædii dominantis heres inſtitutus ſit a domino prædii ſervientis, idemque rogatus alii reſtituere hereditatem, aditione quidem hereditatis confuſæ ſunt ſervitutes, ſed reſtituta hereditate nihilominus valent, id eſt redintegrantur, ſeu convaleſcunt, ut traditur in *hoc* §. quia reſtitutione hereditatis ſolvitur confuſio obligationum & actionum, quæ contracta fuerat aditione hereditatis. Hodie ex conſtitutione Juſtiniani, ſi creditor debitori heres extiterit confecto inventario bonorum, beneficium inventarii id præſtat, ut aditione hereditatis actiones, quas heres habuit adverſus defunctum, non confundantur, & in venditione bonorum ipſe deducat, ſibique ſolvat quod a defuncto † debebatur; *l. ult.* §. *in computatione*, *C. de jur. delib.*

L. 74. *in princ.*

FIdeicommiſſum inducitur etiam ex conjecturis; *l. cum proponebatur*, *de legat.* 2. *l. quiſquis*, *de legat.* 3. *l. cum virum*, *C. de fideicommiſſ.* Si unus ex liberis ex parte heres inſtitutus ſit, & prohibitus teſtari, *donec liberos ſuſceperit*, tacite videtur rogatus reſtituere partem hereditatis fratri ſuperſtiti, ſi ſine liberis moriatur, perinde enim eſt, ac ſi rogatus eſſet, ut fratrem inſtitueret heredem, ut oſtenditur *init. h. l.* Heres quidem rogari non poteſt, ſubaudi expreſſe, ut aliquem heredem inſtituat: ſed ex SC. hoc fideicommiſſum valet, & perinde habendum eſt, ac ſi teſtator hereditatem reſtitui rogaſſet; *l. filiusf.* §. *ut quis heredem*, *de legat.* 1. *l. ex facto*, ſupr. *h. tit.* Opponitur *l. cum pater*, §. *mando*, *de legat.* 2. ubi, ſi pater mandaverit filiæ, ut, quoad liberos pariat, teſtamentum non faciat, non videtur hereditas per fideicommiſſum relicta venientibus ab inteſtato. Sed facile eſt *his leges* conciliare. In *hac lege* fideicommiſſum non videtur relictum, quia pater mandavit filiæ, ne teſtamentum faceret priuſquam liberos pareret, de ipſius ſalute ſollicitus, ut conſuleret ſecuritati filiæ, ne forte ab eo, quem heredem inſtituiſſet, vitæ inſidias pararentur; non eo animo, ut filiam rogaret de hereditate per fideicommiſſum reſtituenda. Mandatum patris *hic* non inducit fideicommiſſum, quia eſt nudum conſilium paterni affectus: conſilium teſtatoris non obligat heredem, ut recte dicitur in *illa l.* At in *noſtra lege*, ſi heres prohibitus ſit teſtari, *donec liberos ſuſceperit*, ex hoc fideicommiſſum inducitur, perinde ac ſi conceptum eſſet hoc modo, *ſi prius moreretur*, *quam liberos ſuſciperet*, quia teſtator prohibuit heredem teſtari quouſque liberos pareret, verbis præceptivis ad inducendum fideicommiſſum idoneis. *Hic* præceptum, *ibi* conſilium, ut ait Accurſius.

Sed non mediocris reſtat ſcrupulus. Quare ſuſtinetur ut fideicommiſſum, præceptum teſtatoris, ne heres teſtetur, antequam liberos ſuſceperit? videtur teſtator, non poſſe vetare, ne heres teſtetur donec liberos pariat, non poteſt derogare juri communi, teſtamentum fieri prohibendo, quod voluiſſe videtur Papinianus in *d.* §. † *mando*, *l. cum pater*. Pater nequaquam poteſt tollere filio, vel coercere jus teſtamenti faciendi, quia teſtamenti factio eſt juris publici, cui derogari non poteſt; *l. nemo*, *de legat.* 1. Sed prohibitio iſta, quæ ſuapte natura non valet ex conjectura voluntatis, valet ut fideicommiſſum, quia perinde habetur, ac ſi heres tacite rogatus eſſet per fideicommiſſum reſtituere hereditatem, quod ſufficit, ut eliciatur fideicommiſſum; in fideicommiſſis enim verba non ſpectantur, ſed voluntas teſtatoris; *l. ubi pure*, §. 1. ſupr. *h. tit.*

§. *Fabius Antoninus*.

JUre veteri impubes potuit exheredari, ut colligitur ex *hoc* §. & ex *l. Papinianus*, §. *ſi quis impubes*, ſupr. *de inoffic. teſtam.* &, ut retulit Paulus in libris quæſtionum, infans poterat exheredari a matre in odium mariti. Sed conſtitutione Juſtiniani infans non poteſt exheredari, quia liberi non poſſunt exheredari, niſi probentur ingrati. Vitium autem ingratitudinis non cadit in impuberem; *l. ſi quis ſuo teſtamento*, §. 1. *C. de inoff. teſt. nov.* 115. *cap.* † 3. quæ refertur in *auth. non licet*, *C. de liber. præterit. vel exheredat.* Item exheredatio poterat fieri ab uno gradu, puta ab inſtituto; *l. non putavit* §. *ſi quis ab uno*, infr. *de bonor. poſſeſſ. contr. tabul.* & exheredatus a primo gradu ſeu ab inſtituto, non repellebatur a petitione fideicommiſſi, quod ei ab herede relictum erat, ut oſtenditur etiam in *hoc* §. Sed hodie exheredatio debet fieri ab omni gradu; *l.* 1. *C. de liber. præterit. vel exheredat.* His præmiſſis finge, pater, qui habebat filium impuberem & filiam, utrumque teſtamento exheredavit, & uxorem matrem eorum heredem inſtituit, & ab ea trecenta, & alias quaſdam res filiæ legavit, & matrem rogavit reſtituere hereditatem filio, cum ad viceſimum ætatis annum perveniſſet: quod ſi ante annum viceſimum deceſſiſſet filius, hereditatem filiæ reſtitui juſſit. Mater inteſtata deceſſit, utriſque liberis legitimis heredibus relictis. Poſtea filius annum agens plenum nonum decimum, & ingreſſus viceſimum, nondum tamen eo expleto, deceſſit, filia ſua herede relicta. Ab ea amita, quæ erat ſoror patris, petebat fideicommiſſum ex teſtamento patris, quaſi exſtitiſſet conditio fideicommiſſi, quod filius ante impletum viceſimum annum deceſſiſſet, & apud præſidem obtinuit, forte motus eſt J. C. conſtitutione D. Marci, quæ non excuſat a tutela eum, qui 70. ætatis annum ingreſſus fuiſſet, ut refert Paulus in *hoc* §. Et hoc argumento viſum eſt, fideicommiſſum relictum filiæ, ſi frater ante annum 20. deceſſiſſet. A ſententia præſidis tutores filiæ, id eſt neptis, appellarunt ad Imperatorem. Is fuit Antoninus Caracalla, quem Imperatorem ſuum *hic* Paulus appellat. (Imperatores ea ætate de certis rebus extra ordinem jus dicebant, quæ res cognitionis eſſe dicebantur, ut in inſcriptione *l. ult.* ſupr. *de heredib. inſtit.* Tranquill. in Claud. cap. 15. *Negantemque cognitionis rem, ſed ordinarii juris eſſe, agere cauſam confeſtim apud ſe coegit*. Iidem de aliis etiam per appellationem judicabant, ut evincitur ex *hoc loco*, & *l. non putabam*, ſupr. *de condit. & dem. l. Æmilius*, *de minorib.*) Cauſa appellationis in judicium deducta, tutores filiæ movebant judicem, allegata ejus egeſtate, æquum eſſe dictitantes conſuli paupertati filiæ, ne indotata eſſet, & dote deſtituta nubere non poſſet: quo argumento uſus eſt & Ulpianus in *l. mulier* 22. §. *cum proponeretur*, ſupr. *h. tit.* Præterea tutores adducebant conſtitutionem D. Adriani, in qua quantum ad munera municipalia annus inceptus pro impleto habetur, ut in *l. ad rempublicam*, infr. *de muner. & honor.* Paulus quoque ipſe, qui

jus dicenti Principi adſidebat, (neque enim Princeps pro tribunali jus dicebat, niſi adhibitis jurisperitis) Principi ſuggeſſit argumentum *legis Æliæ Sentiæ*, ex qua minor 20. annis poteſt manumittere; minor autem habetur, qui diem ſupremum anni viceſimi agit, id eſt qui diem ſupremum anni viceſimi inchoavit, nondum complevit; *l.* 1. infr. *de manumiſſ.* Imperator motus æquitate rei, id eſt egeſtate filiæ, & verbis teſtamenti, *ſi ad annum viceſimum perveniſſet:* quæ verba ita accipi poſſunt, ut ad annum viceſimum perveniſſe dicatur, qui viceſimum attigit: contra petitricem, id eſt amitam, pronuntiavit, ut fuſe exponitur *hic* à Paulo, qui judicio adfuit. In hanc ſententiam motus eſt Princeps egeſtate filiæ; multa enim in jure favore paupertatis introducta ſunt, ut *falcidia* non deducitur e legato pauperibus relicto; *l. ſi quis ad declinandam*, *C. de Epiſc. & cleric.* Multa remittitur propter inopiam; *l. illicitas, in fin.* ſupr. *de offic. præſid.* Et viduæ pupilli, & aliæ perſonæ miſerabiles, ex reſcripto non poſſunt conveniri coram Principe: contra tamen, his licet alios convenire in curia Principis; *l. unic. C. quand. Imper. int. pupill.* Quinimmo & jure pontificio viduæ, pupilli, & aliæ perſonæ miſerabiles, omiſſo judice ſæculari, poſſunt agere interdicto unde vi adverſus poſſeſſorem coram judice eccleſiaſtico; *cap. ex parte, de for. compet. cap. ſuper quibusdam, de V. S.* Et cauſæ viduarum, orphanorum, & miſerabilium perſonarum, priores audiuntur, & judicantur in eleemoſyna domini Regis, id eſt gratuito ſine ſportulis, quaſi regia ſtipe; conc. Vernenſ. *can.* 23. Motus eſt etiam Imperator conſtitutione D. Adriani, in qua quoad honores municipales annus inceptus habetur pro completo. Non deerant tamen conſtitutiones Principum omnino contrariæ, ut ſi cui fideicommiſſum relictum eſſet cum ad annum 16. perveniſſet, fideicommiſſum non debetur, antequam 16. annum compleſſet; *l. non putabam, de condit. & dem. l. ſi cui legetur, de legat.* 1. Tamen videtur, judicatum poſſe ſtabiliri fortiori argumento, eo nempe quod fideicommiſſum relictum a filio, ſi deceſſerit antequam ad viceſimum annum pervenerit, tacite relictum intelligitur ſub conditione, ſi deceſſerit ſine liberis, quia in fideicommiſſo a filio relicto, conditio, *ſi ſine liberis*, ſubintelligitur conjectura pietatis; *l. cum avus*, ſupr. *de condit. & dem. l. cum acutiſſimi*, *C. de fideic.* Unde non erat cauſa tam amare diſputandi, an annus inceptus haberetur pro completo, neque tot argumentis fatigandus videbatur Imperator. Sed tamen fatendum eſt, non fruſtratoriam fuiſſe quæſtionem, an annus inceptus haberetur pro completo, quia conditio, *ſi ſine liberis*, non poterat ſubintelligi in fideicommiſſo relicto a filio, *ſi ad viceſimum annum perveniſſet*, cum ſpectetur tantum ratio ætatis in fideicommiſſo relicto a filio, ſi deceſſerit intra certam ætatem, puta ante annum viceſimum. Et ubi fideicommiſſum relictum eſt a filio, *ſi ante annum viceſimum deceſſerit*, voluntas teſtatoris præſumitur ea fuiſſe, fideicommiſſum pervenire ad filiam omnino, ſi deceſſerit ante viceſimum annum, ſive cum liberis, ſive ſine liberis. Remanet ergo quæſtio in cauſa hujus fideicommiſſi, an filius dicendus ſit perveniſſe ad viceſimum annum, ex quo ſolum inchoavit, nondum complevit, ut recte diſputat Paulus Caſtrenſis *hoc loco*.

L. 75.

Titius teſtamento ſibi inſtituit heredem matrem, & Sempronium † quondam ſuum curatorem, & Cornelium. Vivo teſtatore mater deceſſit, item Sempronius contraria fortuna uſus, nimirum deportatus, ut traditur in his quæ ſequuntur. His motus teſtator epiſtolam ſcripſit ad Cornelium heredem, per quam eum rogavit, ut de partibus matris & Sempronii, quæ ad eum devolutæ erant morte matris, & deportatione Sempronii, uncias quatuor reſtitueret Seio: (quod fieri potuit per epiſtolam; fideicommiſſum enim relinqui

Digitized by Google

poteſt per epiſtolam ; *l. & in epiſtola* , *C. de fideicommiſſ.*) poſt mortem teſtatoris Sempronius deportatus , in integrum reſtitutus fuit a Principe , & adiit hereditatem : quæſitum eſt , an Sempronius ex fideicommiſſo teneretur reſtituere duas uncias? Et Scævola reſpondet *hic* , Sempronium non teneri reſtituere quicquam ex ſua portione , quia non eſt rogatus : Cornelium autem teneri reſtituere hereditatem , pro rata maternæ portionis , id eſt alias duas uncias , ut definitur *init. h. leg.* Nimirum onus fideicommiſſi injunctum intuitu & ſpe majoris portionis , ea deminuta , tollitur pro rata ejus , quod deminutum eſt . Sic heres legitimus , a quo codicillis ab inteſtato factis fideicommiſſa pluribus relicta ſunt , cum teſtator exiſtimaret , eum ſibi ex aſſe ſucceſſurum ab inteſtato , concurrente cognato ejusdem gradus , pro parte dimidia relevatur præſtatione fideicommiſſi ; *l. cum pater* , §. *cum exiſtimaret* , *de legat.* 2. *l. pen. de jur. codicill.* Dubitationem movebat , quod falſa cauſa non vitiat onus vel legatum ; *l. demonſtratio* , §. † *quod autem* , *de condit. & dem.* Ergo onus fideicommiſſi non remittitur pro parte , adempta parte hereditatis . Sed verum eſt , falſam cauſam , quæ confertur in præteritum , non vitiare onus vel legatum : ſed *hic* fideicommiſſi cauſa confertur in futurum , & habet vim conditionis . Teſtator enim motus eſt , ut Cornelium oneraret fideicommiſſo , quia exiſtimabat portiones matris & Sempronii ad eum perventuras : ſed cauſa ſeu conditione pro parte defecta , pro parte deficit diſpoſitio .

§. *mulier* .

FIdeicommiſſum ſine die vel conditione eſt purum , & ſtatim a morte teſtatoris præſtandum eſt ; *l.* 1. *de cond. & dem. l. omnia* , *de legat.* 2. *l. uxorem* , §. *ult. de legat.* 3. Si fideicommiſſarius rogatus ſit reſtituere hereditatem heredi , a quo eam ex fideicommiſſo accepit , his verbis , *rogo* , *ut quod ad te ex bonis meis pervenerit* , *facias pervenire ad filium tuum* , fideicommiſſum collatum intelligitur in tempus mortis , ut definitur in *hoc* §. quia verbum , *facias pervenire* , habet tractum temporis , quod cum poſſit extendi in tempus , quo fideicommiſſarius morietur , non prius tenetur reſtituere hereditatem , quam ipſe deceſſerit , cum quamdiu vivit poſſit facere , ut bona perveniant ad eum , de quo rogatus eſt . Subſtitutio fideicommiſſaria inducitur per verba habentia tractum temporis ; DD. *in l. centurio* , *de vulg. & pupillar. & in l. precibus* , *C. eod.* Ubi pure fideicommiſſum relictum eſt , & adjectum , *rogo des filio tuo* , *faciasque* , *ut ad eum perveniat* , videtur fideicommiſſum datum filio in id tempus , quo capere poterit , id eſt cum ſui juris erit morte patris vel emancipatione ; *l. ubi pure* , ſupr. *h. tit.* Idemque eſt ſi teſtator juſſerit , ut pater relinquat filio his verbis , *volo eum habere* , vel , *volo ad eum pertinere* ; *l. fideicommiſſa* , §. *ſi filio* , *de legat.* 3. Sic ſi pater rogatus ſit reſtituere hereditatem filiæ , ut eo amplius haberet , quam ex bonis patris habitura eſſet , poſt mortem rogatus intelligitur ; *l. ſi legatarius* , *in fin. eod. tit.*

L. 76.

INſtitutio vel ſubſtitutio directa , puta vulgaris vel pupillaris , codicillis fieri non poteſt , quia codicillis hereditas directo neque dari , neque adimi poteſt , ut *hic* , *& l. aſſe toto* , *de hered. inſt. & l. inſtitutio* , *de condit. inſtit.* Sed recte datur verbis precariis , ſeu per fideicommiſſum ; *l.* 2. *l. ſi idem* , *C. de codicill.* Sic ſi pater filium ſuum impuberem ex aſſe ſcripſerit heredem , eique codicillis ſubſtituerit , inutilis quidem eſt ſubſtitutio , quia codicillis hereditas neque dari , neque adimi poteſt . Verumtamen benigna interpretatione placet , ut frater , qui ab inteſtato pupillo ſucceſſit , ſubſtitutis fideicommiſſo obligetur ,

getur, ut a Scævola reſponſum eſſe traditur in *h. l.* Et ſic ſubſtitutio codicillis facta, quæ non valet ut directa, obligatur & trahitur ad fideicommiſſum, & jure fideicommiſſi valet. Dubitationem movet, quod verbis civilibus, ſeu directis poſt 14. annum fruſtra fit ſubſtitutio; *l. verbis civilibus*, *de vulg. & pupill.* Ergo ſubſtitutio directa numquam trahitur ad fideicommiſſum, quia non fruſtra fieret ſubſtitutio, quæ tametſi jure directo eſſet inutilis, fideicommiſſi jure valeret. Sed quod ſubſtitutio directa convertitur in fideicommiſſariam, hoc fit ex benigna interpretatione & conjectura voluntatis, quia heres ab inteſtato tacite rogatus intelligitur de reſtituenda hereditate. Fideicommiſſum dari poteſt a ſuccedentibus ab inteſtato, quoniam creditur paterf. ſponte ſua his relinquere legitimam hereditatem, perinde ac ſi eos heredes ſcripſiſſet; *l. conficiuntur*, §. 1. ſupr. *de jur. codicill. l.* 1. §. *ſciendum*, *de legat.* 3. Et ſucceſſio legitima deferri intelligitur ex tacita voluntate defuncti; dare enim videtur, qui non ademit; *d.* §. *ſciendum*. Sic hereditas, etiam ea, quæ ex teſtamento defertur, lege obvenire dicitur, quia lege 12. tab. confirmatur; *l. lege obvenire*, *de V. S.* eleganter & Tull. pro Cæcin. (26.) *Major hereditas venit unicuique veſtrum in iiſdem bonis, a jure, & a legibus, quam ab iis, a quibus illa ipſa bona relicta ſunt. Nam, ut perveniret ad me fundus, teſtamento alicujus fieri poteſt: ut retineam quod meum factum ſit, ſine jure civili non poteſt.* Subſtitutio directa codicillis facta reſolvitur in fideicommiſſariam, & ex ea detrahitur quarta; *l.* 2. *in fin.* ſupr. *de jur. codicill.* ac ſi ab initio fuiſſet concepta per modum fideicommiſſi. Hoc enim intereſt inter ſubſtitutionem directam & fideicommiſſariam, quod per directam ſubſtitutus conſequitur hereditatem totam & pleno jure; per fideicommiſſariam vero non niſi deducta quarta; *d. l.* 2. Quo jure vero ſubſtitutio directa codicillis impoſita trahitur in fideicommiſſum, eodem ſi teſtamento nullo & irrito ob præteritionem filii ſubjecta ſit clauſula codicillaris his verbis, *ſi non valet jure teſtamenti, valeat jure codicillorum*: vis & effectus clauſulæ codicillaris eſt, quod teſtamentum, quod non valet jure teſtamenti quoad inſtitutionem, ſuſtineatur jure fideicommiſſi; quia filius præteritus, qui ſuccedit ab inteſtato, tacite rogatus videtur de hereditate ſcripto heredi reſtituenda; *l. ab inteſtato*, & paſſim, ſupr. *de jur. codicill.* Guid. Pap. *qu.* 513. Quod ſi codicillis ſubſtituti filio impuberi, iiſdem codicillis ſint invicem ſubſtituti, ſubſtitutio reciproca, quæ ſua natura eſt directa; *l. jam hoc jure*, *l. Lucius*, ſupr. *de vulg. & pupill.* & ſi non poteſt fieri codicillis, valet jure fideicommiſſi, & uno ex ſubſtitutis deficiente, pars deficientis ceteris adcreſcit, ut ſubjicitur in *fin. h. l.* Subſtitutio reciproca codicillis facta trahitur ad fideicommiſſum, quia conjectura legis eſt, teſtatorem voluiſſe eo pacto diſponere, quo potuit, in codicillis: ſed directo ſubſtituere non potuit. Igitur debet intelligi voluiſſe ſubſtituere per fideicommiſſum. Jus adcreſcendi eſt etiam inter invicem ſubſtitutos codicillis, ac ſi eſſent ſubſtituti per fideicommiſſum; jus adcreſcendi enim locum habet inter confideicommiſſarios univerſales velut inter coheredes; *l. Lucius*, §. *pater*, infr. *h. tit.* Quæritur *hoc loco*, an quoties ſubſtitutio codicillis facta filio impuberi convertitur in fideicommiſſariam, contineat etiam bona propria pupilli? Videbatur ea contineri etiam bona propria pupilli, uti venirent in directa pupillari; *l. ſed ſi plures*, §. *ad ſubſtitutos*, ſupr. *de vulgar. & pupillar.* & fideicommiſſariam ſubrogatam in locum pupillaris debere ſapere ejus naturam. Sed rectius Paulus Caſtrenſis *hoc loco* exiſtimat, eam pertinere dumtaxat ad bona teſtatoris; quia directa pupillaris convertitur in fideicommiſſariam, quæ ſui natura comprehendit bona teſtatoris, non bona gravati. Fideicommiſſarius enim non heredi gravato ſuccedit, ſed teſtatori; *l.* 1. *l. in fideicommiſſaria*, ſupr. *h. tit. l. coheredi*, §. † *quod ſi heredem*, *de vulgar. & pupillar.*

L. 77. in princ.

SI heredes inſtituti, ſint invicem ſubſtituti, *donec liberos bonos educaverint*, liberantur onere fideicommiſſi, ſi duos filios procreaverint, etiam ſi eos ſuperſtites non reliquerint, ut traditur *init. h. l.* Ratio eſt, quia conditio, quæ ſemel exſtitit, non reſumitur; *l. rogo*, infr. *de fideic. libert. l. ſi quis heredem*, C. *de inſtit. & ſubſtit.* ne onus fideicommiſſi ingraveſcat, neve heres oneretur in infinitum; *l. fideicommiſſa*, §. *ſi quis decem*, *de legat.* 3. Neque obſtat, quod ſi fideicommiſſum relictum ſit ſub conditione, *ſi ſine liberis deceſſerit*, conditio fideicommiſſi non deficit, ſi liberos quos ſuſcepit vivus amiſerit; *l. ex facto*, §. *ſi quis autem*, ſupr. *h. tit.* quia fideicommiſſum quidem relictum ſub conditione, *ſi ſine liberis deceſſerit*, non deficit, niſi relictis liberis ſuperſtitibus; *l. filiusf.* §. *cum* † *erit rogatus*, *de legat.* 1. At conditio fideicommiſſi, *ſi liberos educaverit*, deficit ſtatim atque is, qui rogatus eſt reſtituere, liberos ſuſcepit, etiam ſi eos non educaverit, quia idem eſt ac ſi fideicommiſſum relictum eſſet ſub conditione, *ſi liberos ſuſceperit*: liberi educari non improprie dicuntur cum ſuſcipiuntur, quia liberi procreantur in ſpem educationis. Et conditio fideicommiſſi ſemel defecta non reſumitur: niſi malis legere fideicommiſſum relictum ſub conditione, *donec liberos eduxerint*, quia educi proprie dicuntur liberi cum eduntur in lucem; Cato de liber. educ. apud Varron. *Educit enim obſtetrix, educat nutrix, inſtituit pædagogus, docet magiſter*. Immo educari proprie dicuntur liberi uſque ad pubertatem; Plaut. in captiv. (5. 3. 14. & ſeq.)

nam is mecum a puero puer
Bene pudiceque educatu'ſt uſque ad adoleſcentiam.

§. *Titius*.

JUre civili ſi fideicommiſſum relictum ſit ſub conditione, *ſi ſine liberis*, etiam liberi naturales efficiunt, ut conditio fideicommiſſi deficiat; *l. ex facto*, §. *ſi quis rogatus* 4. ſupr. *h. tit.* quia fideicommiſſa nituntur voluntate teſtatoris. Et in fideicommiſſo relicto ſub conditione, *ſi ſine liberis*, pater cenſetur cogitaſſe etiam de naturalibus liberis. Hoc jure, ſi Titius nepotes ex filia præmortua, & filiam furioſam heredes inſtituerit, & filiæ furioſæ fideicommiſerit, ut ſi ſine liberis decederet, portionem ſuam coheredibus reſtitueret, & Titius ipſe furioſam matrimonio collocaverit, & ea deceſſerit ſuperſtite filia ex hujusmodi conjunctione ſuſcepta, fideicommiſſum non debetur, quia etſi cum furioſa matrimonium non fuerit; *l. patre furioſo*, ſupr. *de his qui ſui vel alien. jur. ſunt*, *l. oratione*, §. *ult. de rit. nupt.* ſatis tamen factum eſt hujusmodi conditioni, ut definitur in *hoc* §. Et conditio fideicommiſſi defecit ob liberos natos ex qualicumque matrimonio cum furioſa contracto, quia etſi non ſint juſti liberi ex eo matrimonio, pater cenſetur cogitaſſe de his, quod ipſe filiam collocarit ſciens eſſe furioſam, nec poſſe juſtas nuptias contrahere, & legitimos liberos parere: deſideria morientium ex arbitrio viventium, non ſine juſta ratione, colliguntur; *l.* 4. *C. de natural. lib.* Et conditio, ſi ſine liberis, defeciſſe videtur, liberis ſuſceptis ex furioſa, quæ conditioni ſatisfecit qualitercumque potuit; *l. quæret aliquis*, infr. *de V. S.* Hodie ex conſtitutionibus conditio fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, defeciſſe non videtur, niſi exiſtentibus legitimis liberis; *l. generaliter*, *C. de inſtit. & ſubſtit.* Filii naturales non excludunt ſubſtitutum, ut recte notat gloſſ. in *d. l. ex facto*, §. *ſi quis rogatus*. Neque legitimi ex naturalibus filiis, quia orti ſunt ex radice infecta; *l. ult. C. de natur. liber.* Et hoc jure utimur in Gallia.

L. 78.

Digitized by Google

L. 78. in princ.

FIdeicommiſſum inducitur etiam ex conjecturis: puta ſi Titius codicillis ab inteſtato rogaverit uxorem & filiam emancipatam de bonis invicem communicandis, pars a filia matri debetur ex cauſa fideicommiſſi, ſi uxor parata ſit in commune bona ſua conferre, ut oſtenditur *init. h. l.* quæ iisdem fere verbis a Scævola repetita eſt in *l. ult.* §. *Lucius, de legat.* 2. Sic heres, rogatus dividere hereditatem cum Titio, cenſetur gravatus reſtituere hereditatem pro ſemiſſe; in fideicommiſſis enim non verba ſpectantur, ſed ſententia quibuscumque verbis concepta, dummodo appareat teſtatorem voluiſſe, ut hereditas reſtituatur; *l. ubi pure*, §. † 1. ſupr. *h. tit.* Rogatus bona communicare non poteſt petere fideicommiſſum ex teſtamento, niſi paratus ſit propria bona conferre, quia fideicommiſſum relictum intelligitur contemplatione oneris: ideo non poteſt peti, niſi onus impleatur. Sic tutor repellitur a legato, niſi ſubeat tutelam; *l. Neſennius, & ſeq.* ſupr. *de excuſat. l.* 5. §. *amittere, de his, quæ ut indign. l. pen. C. de legat.* Et non poteſt quis agere eſt contractu, quem prius ex parte ſua non impleverit; *l. Julianus*, §. *offerri, de act. empt.*

§. *Mævia*.

MÆvia teſtamento duos filios heredes inſtituit, eosdemque rogavit, ut omnis ſubſtantia ſit pro depoſito, id eſt cuſtodiæ cauſa, apud Seium & Titium, quos etiam, inquit, ſi licuiſſet, curatores bonis teſtamento dediſſet, (Curator bonis teſtamento non datur, ſed datus confirmatur; §. 1. *inſt. de curator.*) ut reſtituant hereditatem nepotibus ex filiis, cum pervenerint ad 25. annum. Quæſitum eſt, an Seius & Titius fideicommiſſum a ſcriptis heredibus petere poſſint? Et Scævola reſpondet in *hoc* §. non poſſe. Executores teſtamentarii non habent actionem contra heredem, qua petant fideicommiſſum vel legata, quia ſunt nudi & ſimplices miniſtri & diſpenſatores legatorum vel fideicommiſſorum, ut in *h. l. & l. ſi a pluribus, de legat.* 1. *l. ſi quis Titio, de legat.* 2. Excipiuntur duo caſus. Primus eſt, ſi executor deſignatus ſit a teſtatore ob cauſam alimentorum; *l. alio herede*, ſupr. *de aliment. legat.* Secundus eſt, ſi executor ſit datus ob cauſam piam, puta ob redemptionem captivorum; *l. nulli, C. de Epiſc. & cleric.* Merus executor, inquam, non habet actionem contra heredem pro legatis & fideicommiſſis, ſed officium judicis poteſt implorare, ut legata vel fideicommiſſa præſtentur; *l. Quintus Mucius, de ann. legat.* Officium judicis non eſt actio, ſed remedium juris, quod habet vim actionis.

§. *tres heredes*, † §. *idem quæſiit* 3.

TItia teſtamento tres heredes ſcripſit, Mævium fratrem ſuum ex dodrante, Seium ex ſextante, Stichum ejusdem Seii ſervum, filium autem naturalem Mævii, ex uncia: & Seium rogavit, ut Stichum manumitteret. Poſtea codicillis ad teſtamentum factis cavit, ut ſi quam Seius controverſiam moveret Sticho de uncia, in qua is heres inſtitutus eſt, hæc uncia ad Mævium fratrem revertatur. Tum Mævium rogavit, ut quicquid ad ſe ex hereditate pervenerit, Sticho filio naturali manumiſſo reſtituat. Seius ſponte adiit hereditatem, & propter hoc compulſus Stichum manumiſit: quæſitum eſt, an Seius Sticho manumiſſo unciam, ex qua Stichus inſtitutus eſt, reſtituere debeat? Ex cauſa fideicommiſſi ſc. verbum reſtituere inducit fideicommiſſum. Et Scævola reſpondet in † *h.* §. *tres heredes*, non proponi Seium rogatum unciam ei re-

ſtituere, id eſt non cenſeri Seium rogatum Sticho manumiſſo unciam reſtituere per fideicommiſſum, quia non eſt rogatus unciam ei reſtituere, ſed rogatus eſt manumittere, & ſi adeat hereditatem compellitur manumittere: Stichus manumiſſus ipſe heres erit ex uncia, jure directo per ſe, ut recte notat gloſſ. *h. loco*. Inſtitutio directa non trahitur ad fideicommiſſum ſine neceſſitate, ſi conſiſtere valeat ut directa; *l. Scævola*, ſupr. *h. tit.* Heres non cogitur manumittere ſervum: ſed ubi ſemel adiit hereditatem, ea contemplatione relictam, ut Stichum manumitteret, cogitur manumittere, quia adeundo hereditatem agnovit judicium defuncti: ut pater cogitur emancipare liberos, ſi agnoverit legatum ſibi relictum ſub conditione, ut emancipet liberos; *l. ſi cui legatum*, ſupr. *de cond. & dem.* Quod ſi Seius faciat controverſiam Sticho de uncia, ex qua inſtitutus eſt, Mævius eandem unciam a Seio ex cauſa fideicommiſſi conſequitur, ut ſubjicitur in *h.* §. † *idem quæſiit*. Hoc argumento, ſi relinquatur monacho, vel ſpurio, vel alii cuicumque perſonæ incapaci, ea lege, ut ſi eis controverſia fiat, legatum transferatur in alium, mota controverſia legatum transfertur in alium, ut docet *gloſſa* & Paulus Caſtrenſ. *hoc loco*. Ratio dubitandi erat, quod non poteſt quis privari jure ſuo ex facto alterius; *l. paterſ.* ſupr. *de hered. inſt.* Ergo videbatur, ſi legatum relinquatur ſervo, non poſſe ab eo transferri in alium in hunc caſum, ſi ei controverſia moveatur de legato: ſed ſi legatur incapaci perſonæ, recte in hunc caſum legatum transfertur in alium, ſi forte incapacitatis quæſtio legatario moveatur, quia legatum transferri poreſt de perſona in perſonam; *l. translatio*, *de adimend. legat.* Alias etiam fideicommiſſum incapaci relinqui poteſt, ut reſtituat capaci; *l. cum ei*, *de legat.* 2. *l. ſi fidei*, *de legat.* 3. *l. cogi*, §. *hi*, *qui ſolidum*, ſupr. *h. tit.* quia non interpoſita, ſed capientis perſona ſpectatur; *l. ſi is*, *qui duos*, *de liber. legat.* Ex his quæritur, an † Mævius, qui rogatus eſt reſtituere Sticho quicquid ad ſe ex hereditate pervenerit, teneatur reſtituere hanc unciam dumtaxat, in qua Stichus heres inſtitutus eſt, quam conſecutus eſt a Seio ex cauſa fideicommiſſi, ob id ſc. quod Seius controverſiam moverit Sticho de uncia illa, in qua heres inſtitutus erat; an vero & dodrantem, ex quo Mævius ipſe inſtitutus, eidem Sticho reſtituere debeat? Et reſponſum eſt ab eodem Scævola in fin. *h.* §. † *idem quæſiit*, Mævium cenſeri rogatum reſtituere Sticho quicquid ad ſe quoquomodo pervenerit, id eſt jure directo, titulo inſtitutionis, vel per obliquum, id eſt ex cauſa fideicommiſſi.

§. *Pater puerum*, † §. *Mævia filium*.

PAter filium & filiam heredes inſtituit, eoſque invicem ſubſtituit & ſi neuter heres eſſet, eis plures ſubſtituit, & ſubſtitutos hoc modo in vulgarem caſum invicem ſubſtituit: idem eodem teſtamento filiorum fidei commiſit, ut qui eorum noviſſimus moreretur, & intra triceſimum annum ſine liberis decederet, hereditatem reſtitueret ſubſtitutis in vulgarem caſum. Filia præmortua filius intra triceſimum annum † ſine liberis deceſſit. Quæſitum eſt, uno ex ſubſtitutis ante filium defuncto, an pars deficientis adcreſcat ceteris ſubſtitutis pro virilibus, an pro hereditariis portionibus, in quibus ſubſtituti eſſent? Et reſponſum eſt *hic*, portionem deficientis adcreſcere confideicommiſſariis pro hereditariis portionibus, in quibus ſubſtituti eſſent, non pro virilibus. An jus adcreſcendi locum haberet inter fideicommiſſarios etiam univerſales dubitatum eſt, quia fideicommiſſaria præſupponit aditam hereditatem, nec aliter capi poteſt, quam adita hereditate per manus heredis; *l.* 4. ſupr. *h. tit.* jus vero adcreſcendi deficit adita hereditare, neque locum habet in portionibus agnitis; *l. unic.* §. *his ita*, *C. de cadu. tollend.* Tamen juri adcreſcendi locus eſt etiam inter fideicommiſſarios univerſales, quia heredum vice ſunt; *l.* 1. §.

ſed

Digitized by Google

ſed † *& quotiens*, ſupr. *h. tit.* Plane jus adcreſcendi locum non habet inter confideicommiſſarios particulares, niſi ſint conjuncti re & verbis ſimul, vel re; *l. re conjuncti*, *de legat.* 3. Ratio differentiæ eſt, quia non ſunt ſucceſſores juris. Si heres rogatus ſit reſtituere hereditatem pluribus, uno ex ſubſtitutis defuncto ante diem vel conditionis eventum, portio deficientis adcreſcit ceteris ſubſtitutis pro portionibus hereditariis, in quibus ſubſtituti ſunt, non pro virilibus, ut probatur *hic*, *& d.* §. *his ita*, quia jus adcreſcendi eſt reale, portio portioni adcreſcit, rei non perſonæ; *l. ſi totam*, ſupr. *de adquir. heredit.* Sed & ſi omnes ſubſtituti veniant ad fideicommiſſum, venient pro portionibus hereditariis, pro portionibus, ex quibus vulgariter ſubſtituti ſunt, quia partes adjectæ in ſubſtitutione directa cenſentur repetitæ in fideicommiſſaria, non aliter atque partes adjectæ in inſtitutione cenſentur repetitæ in ſubſtitutione; *l. qui liberis*, §. *hæc verba*, *l. ſi plures*, *l. coheredi*, §. 1. *de vulgar. & pupillar. l.* 1. *C. de impuber. & aliis ſubſtit.* Ita ſi filius rogatus ſit reſtituere fratribus, *quicquid ex hereditate ad ſe pervenerit*, filio defuncto ſine liberis, fideicommiſſum debetur fratri & ſorori pro hereditariis portionibus, ut traditur in † *hunc* §. *Mævia filium*, quia fratrum nomine continentur etiam ſorores; *l. tres fratres*, *de pact.* fideicommiſſum relictum fratribus, cenſetur relictum pro hereditariis portionibus, perinde ac ſi relictum eſſet coheredibus, quia fratrum appellatio ſignificat coheredes, ut heredum nomine intelliguntur liberi: ita ut ſi quis rogatus ſit reſtituere hereditatem, *ſi ſine herede deceſſerit*, hæc conditio accipiatur de liberis; *l. ex facto*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* Fideicommiſſum relictum pluribus ſub nomine appellativo, puta fratrum vel coheredum, cenſetur relictum pro partibus hereditariis: ſed ſi fideicommiſſum eis relictum ſit, expreſſis nominibus propriis, debetur pro virilibus; *l. quotiens*, *& ſeq.* ſupr. *h. tit. l. turpia*, *in fin. de legat.* 1.

§. *Titia*.

Titia heres ſcripta ex aſſe, & rogata Mæviæ reſtituere dimidiam partem hereditatis, fundum, a teſtatore obligatum, luere id eſt redimere noluit, ſed eum vendente creditore mandavit redimendum Seiæ: quæſitum eſt, exiſtente die vel conditione fideicommiſſi, an Titia teneatur Mæviæ reſtituere fundum ex cauſa fideicommiſſi? Et reſpondetur *hic*, cum Titia rogata ſit hereditatem reſtituere, nihil proponi, cur non teneatur. Ratio dubitandi eſſe videbatur, quod heres videtur acceſſiſſe ad emptionem pignoris ut quilibet, & pignus rite diſtractum per creditorem non poteſt revocari ab emptore; *l. ſi ceſſante*, *C. de diſtract. pignor.* quia dominium pignoris rite diſtracti transfertur in emptorem; *l. non eſt novum*, infr. *de adquir. rer. dom.* Ergo ſi heres fundum a defuncto obligatum redemerit, fundus redemptus videtur non venire in reſtitutione hereditatis. Sed verius eſt, fundum, ab herede redemptum per interpoſitam perſonam, venire in reſtitutionem hereditatis, quaſi negotium hereditatis geſſerit potius, quam ſuum; quia heres rogatus reſtituere hereditatem non poteſt emere pignus per interpoſitam perſonam, & ſi emerit, vel emendum mandaverit, tenetur reſtituere fideicommiſſario offerenti quod debebatur creditori; rem enim emiſſe videtur, qui mandavit emi; *l. ſi mandavero*, §. *ſi hi*, *quorum*, ſupr. *mandat.* Sic & ſi creditor pignus emerit per interpoſitam perſonam alienaſſe non videtur, cum ſibi negotium gerat. Itaque compelli poteſt reſtituere pignus debitori oblata pecunia cum uſuris; *l.* 1. *C. de dolo*; *l. & qui*, *C. de diſtract. pignor.* Et ſi is, qui bonis paternis ſe abſtinuit, ea emerit per ſuppoſitam perſonam, conveniri poteſt a creditoribus, ac ſi bonis paternis ſe immiſcuiſſet; *l. ſi is*, *qui bonis*, ſupr. *de adquir. hered.* Similiter & heres rogatus reſtituere hereditatem, ſi res hereditarias alienaverit,

Digitized by Google

& ex pretio rerum venditarum alias comparaverit, res comparatæ veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, quia ſunt vice permutati dominii; *l. Imperator*, §. *ult. cum l. ſeq. de legat.* 2.

§. *Gaio Seio.*

SI duo fratres heredes inſtituti ſunt, & rogati poſt mortem portionem hereditatis Titio reſtituere, uno ex heredibus mortuo, pars primi morientis ſtatim competit fideicommiſſario, ut definitur *hic*, & *l. ult.* §. *filium*, *de legat.* 2. Dubitationem movebat, quod cum teſtator locutus fuerit in plurali, videtur voluiſſe, quod non ſit locus fideicommiſſo, niſi poſt mortem utriusque, cum pluralis locutio non verificetur in uno; *l. ult.* infr. *h. tit.* Sed hoc caſu ubi duo heredes rogati ſunt, poſt mortem reſtituere portionem hereditatis, uno mortuo, ſtatim pro parte ſubſtituto competit actio fideicommiſſi, quia ſinguli rogati videntur ſpecialiter reſtituere partem hereditatis. *Hic* ſunt duo fideicommiſſa diverſa: in fideicommiſſis ſpectatur ſententia teſtatoris, non verba; *l. ubi pure*, §. 1. ſupr. *h. tit.* Neque obſtat *l. cum* † *quidam*, *C. de impuber.* & *aliis ſubſtit.* in qua ſi pater Seium & Caium filios impuberes heredes inſtituerit, & ſi uterque impubes decederet, eis Titium ſubſtituerit, altero decedente ſubſtitutus ſtatim non admittitur in ejus partem, ſed ſubſtitutio tunc locum habet, cum uterque impubes deceſſerit; quia hoc ſpeciale eſt in ſubſtitutione pupillari, quæ eſt directa. Subſtitutioni pupillari, collatæ poſt mortem duorum, non eſt locus, niſi poſt mortem utriusque, quia pater intelligitur ſervaſſe fratribus jura legitimarum hereditatum, & voluiſſe primo filio decedente fratrem ei ſuccedere ab inteſtato, ut traditur in *d. l. cum quidam*. *Hic* una eſt ſubſtitutio ſub conditione, ſi uterque heres impubes deceſſerit. At in ſubſtitutione fideicommiſſaria facta poſt mortem duorum, ſubſtitutio cuilibet ſpecialiter facta intelligitur, & ita uno decedente, ſtatim ſubſtitutio locum habet in ejus portione, ut ait Albericus *hic*. Quandoque tamen etiam in ſubſtitutione fideicommiſſaria non eſt locus ſubſtitutioni, niſi poſt mortem omnium, ſi appareat ita teſtatorem ſenſiſſe, ut in *l. codicillis*, *de uſufr. legat.* ubi ſi patronus libertis habitationem quoad vivent legaverit in domo ſua, & poſt mortem eorum domum reipublicæ reſtitui juſſerit, fideicommiſſum non debetur reipublicæ, niſi poſt mortem omnium.

§. *filiam.*

PRæceptum de bonis invicem communicandis inducit fideicommiſſum, ut oſtenditur *init. h. l.* & *l. ult.* §. *Lucius*, *de legat.* 2. Si tamen pater filiam heredem inſtituerit, & nepotem ex filia ei ſubſtituerit, & Lucio Titio nepoti ex filio genero ſuo (jure civili enim fuere juſtæ nuptiæ inter conſobrinos; *l. celebrandis*, *C. de nupt.*) ducenta reliquerit adjectis his verbis, *quo legato ſcio illum contentum eſſe: quoniam ſcripſi univerſam rem meam, eo quod filiam meam & nepotem meum heredes ſcripſi univerſam ſubſtantiam eis communicaſſe: quos invicem commendo*: & filia adita patris hereditate diverterit a marito, Titius quondam ejus maritus non poteſt petere bonorum communionem ex fideicommiſſo, ſuo vel filii ſui nomine, ut reſponſum eſt *hic*. Fideicommiſſum non inducitur per hujusmodi verba teſtatoris, quoniam ſcripſi univerſam rem meam, id eſt videor genero meo ſcripſiſſe univerſam ſubſtantiam, ex eo quod ſcripſi filiam & nepotem ex eo heredes meos, univerſam ſubſtantiam eidem genero communicaſſe, quia ſunt mere enunciativa: fideicommiſſum, non relinquitur niſi verbis diſpoſitivis, enunciativa non ſufficiunt; *l. quidam*, *cum filiumſ. de hered. inſtit. l. Titia cum teſtamento*, *l. miles ad ſororem*, *l. cum pater*, §. † *donationis*, *de legat.* 2. *l.* † *Pamphilo*, *de legat.* 3. Cum etiam fideicommiſſum non inducitur per verba illa, *quos invicem commen-*

mendo, quia nuda commendatio non habet vim fideicommiſſi ; *l. fideicommiſſa*, §. *ſi ita*, *de legat.* 3. Dubitationem faciebat, quod fideicommiſſum induci videbatur, per illa verba etſi enunciativa, quod prolata eſſent per modum cauſæ ; quia teſtator dixit, ſe ducenta tantum genero relinquere, eo quod omnem ſubſtantiam ei ſcripſiſſet : quod filiam ejus uxorem heredem inſtituerit, & nepotem ex filia ſubſtituerit, & ſcripſerit filiam, & nepotem ex ea, univerſam ſubſtantiam eidem genero communicaſſe. Sed fideicommiſſum non inducitur verbis illis, quia ea poſſunt intelligi de communione, quoad promiſcuum uſum, quæ ſolet intercedere inter virum & uxorem : & ſatis eſt verba illa in hoc ſuum effectum habere, absque eo quod inducant fideicommiſſum de communicanda marito proprietate rerum, ut recte notat Paul. Caſtrenſ. *hoc loco*.

§. *idem quæſiit* 9.

Titia, quæ divertit a marito, eundem teſtamento heredem ſcripſit, (quod valde mirum eſt ; nam plerumque divortia fiunt cum ira animi, & offenſa ; *l. eum hic ſtatus*, §. *ſi divortium*, *de don. int. vir. & uxor.* & mulier, quæ divortium fecit cum viro ei infenſa eſt : quare profeſſio matris, quæ divortio facto filium enixa, ut ſpurium apud acta † profeſſa eſt, non nocet filio, quia non creditur profeſſioni matris iratæ ; *l. Imperatores*, §. *mulier*, *de probat.*) Titia, inquam, divortio facto, maritum quondam, heredem ſcripſit, ejusque fideicommiſit, ut cum moreretur communi filio reſtitueret quod ad eum ex hereditate perveniſſet. Res & poſſeſſiones in dotem datæ, ſive divortio facto reſtitutæ ſint mulieri, ſive non, cadunt in fideicommiſſum ; quia actione ex ſtipulatu de dote reſtituendæ ſunt, & augent hereditatem, ex *h.* §. Rem in bonis habere videtur, qui habet actionem ad eam recuperandam ; *l. rem in bonis*, † *de adquir. rer. domin.*

§. *quæ habebat*.

Jus adcreſcendi locum non habet inter fideicommiſſarios etiam univerſales, qui partes habuerint ab initio, ut oſtenditur in ſpecie *h.* §. Mulier, quæ habebat filium & nepotem ex eo, utrumque in poteſtate mariti, maritum ex aſſe ſcripſit heredem, ejusque fideicommiſit, ut quicquid ex hereditate ad eum pervenerit, cum morietur reſtituat filio, ita ut decem uncias filius, duas autem nepos habeat. Pater filium emancipavit, nepos ſuperſtite filio deceſſit : quæſitum eſt, an univerſa hereditas † matris ex cauſa fideicommiſſi filio debeatur, id eſt an pars nepotis, quæ vacat, adcreſcat filio ? Et reſpondetur, decem uncias dumtaxat filio deberi, & partem nepotis, id eſt duas uncias, manere penes heredem mariti. Dubitationem movebat, quod juri adcreſcendi locus eſt inter coheredes, ſive conjunctim, ſive disjunctim inſtituti ſint ; *l. un.* §. *his ita*, *C. de caduc. tollend.* adeoque etiam ſi partes habuerint ab initio ; *l. ſervus communis ab extero*, ſupr. *de adqu. hered.* Ergo videbatur & jus adcreſcendi locum habere etiam inter confideicommiſſarios univerſales, etſi partes habuerint, quia heredum vice ſunt. Sed jus adcreſcendi locum habet inter coheredes, etiam ſi partes habuerint, ne quis decedat pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus, pro parte cum herede, pro parte ſine herede ; nam ſi non eſſet locus juri adcreſcendi inter coheredes, pars deficientis devolveretur ad heredes ab inteſtato. Et ſic ſequeretur incongruum, quod quis decederet pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus. At hoc incommodum ceſſat in fideicommiſſo univerſali, quia pars deficientis remanet apud heredem gravatum ; *l. Statius Florus*, §. *Cornelio Felici*, *de jur. fiſc.* *l. unic.* §. *pro ſecundo*, *C. de caduc. tollend.* Atque ideo inconveniens abeſt, quod jus adcreſcendi non ſit in-

Digitized by Google

ter fideicommiſſarios univerſales partem habentes.

§. *heres inſtitutus*.

MAritus heres inſtitutus & rogatus uxori totam hereditatem reſtituere, non tenetur eam reſtituere, niſi detracta quarta, ut oſtenditur in *priori parte h.* §. Dubitationem faciebat, quod ut quis poſſit quartam detrahere, requiritur, ut ſit rogatus reſtituere ut heres; *l. mulier* 22. §. *ult.* ſupr. *h. tit.* At maritus heres inſtitutus, & rogatus uxori hereditatem reſtituere, videtur rogatus ut maritus, non ut heres, unde videbatur quartam non detrahere ex fideicommiſſo a ſe uxori relicto, exemplo patris, qui ſi rogetur reſtituere hereditatem filio, non detrahit quartam, quia rogatus videtur non ut heres, ſed ut pater; *l. cum filioſ. de legat.* 1. Sed verius eſt, maritum heredem inſtitutum, & rogatum uxori hereditatem reſtituere, quartam detrahere; quia ſuo nomine inſtitutus eſt, & rogatus hereditatem reſtituere non ut maritus, ſed ut heres: & quod in *d. l. cum filioſ.* pater rogatus reſtituere hereditatem filio non detrahit quartam, verum eſt, quia non eſt rogatus ut heres, ſed ut pater: cujus rei argumentum eſt, quod pater ipſe non eſt inſtitutus, ſed filio inſtituto, pater rogatus eſt reſtituere hereditatem filio. Alias ſi pater inſtitutus ſit, & rogatus reſtituere hereditatem filio, recte detrahit quartam; *l. jubemus*, §. *idemque*, *C. ad Trebell.* Quod ſi uxor eadem rogata ſit quartam partem hereditatis præſenti die, & reliquum poſt tempus alii reſtituere: quæſitum eſt, an in reſtituenda hereditate, quod ei ab herede detractum eſt quartæ nomine imputare poſſit? Et reſpondetur, quatenus cœpiſſet fideicommiſſo obſtrictum. Quarta *Trebellianica* quidem ſemel detrahitur ab herede: fideicommiſſarius, ſi rogatus ſit alii reſtituere hereditatem, non detrahit quartam a ſecundo fideicommiſſario, ut recte notat gloſſa hic, ex *l.* 1. §. *inde Neratius*, *l. ex aſſe*, ſupr. *h. tit.* id eſt quartam non detrahit ex ſua perſona; tamen quartam, quæ ab herede detracta eſt, recte imputat fideicommiſſarius ſubfideicommiſſario in reſtituenda hereditate, quia fideicommiſſarius non poteſt obligari fideicommiſſo ultra vires hereditatis; *l. ab eo*, *C. de fideic.* Sic & legatarius, ſi rogatus ſit reſtituere, licet *falcidiam*, id eſt quartam *Trebellianicam*, ex ſua perſona non detrahat, tamen *falcidiam*, quam paſſus eſt ab herede, imputat, id eſt deducit fideicommiſſario, quia legatarius exemplo heredis obligatur ad præſtandum fideicommiſſum, id eſt quatenus ferunt vires legati; *l. pœnales*, §. *ſi Titio*, *ad leg. falcid.*

§. *heredum*.

TItius duos vel tres heredes inſtituit, & eos rogavit, ut quicquid ex tertia parte hereditatis ad eos perveniſſet, id reſtituerent Mævio alumno cum fuerit annorum quindecim, & interim eum alerent ex refectu paupertatis, id eſt uſuris pecuniæ, quæ refecta ſeu redacta fuerit ex venditione tertiæ partis hereditatis. [Veteres ὑποκοριστικῶς, id eſt diminutive, ſeu extenuandi cauſa, hereditatem paupertatem ſuam appellitabant; Auguſtin. de vit. & morib. clericor. ſuor. (ſerm. 1. al. ſerm. 355. num. 2.) *ego tenuem paupertatulam meam vendidi*, *& pauperibus erogavi*. Idem de catechizand. rudib. cap. † 16. *Sed ſic etiam ipſi aut conſumunt per luxuriam paupertatem ſuam*. Hieronym. ad Principiam de laud. Marcellæ: *Poſt aliquot dies obdormivit in Domino*, *& te paupertatulæ ſuæ*, *immo per te pauperes reliquit heredes*.] Et hoc amplius eidem alumno teſtator ſervos legavit, ut ex mercedibus eorum artificii aleretur. Heredes ſcripti alumno minora alimenta præſtitere, quam ferrent uſuræ redactæ ex venditione tertiæ partis hereditatis: quæſitum eſt, an & reſiduas uſuras medii temporis præſtare compellantur; & cum ſervi alumno legati, ut ex mer-

Digitized by Google

mercedibus eorum aleretur, ſtatim a morte teſtatoris venierint, utrum mercedes, quæ ſc. percipi potuere ex eorum operis, an uſuras pecuniæ redactæ ex eorum venditione præſtare debeant? Et reſpondetur in *hoc* §. teſtatorem videri ſenſiſſe de omni reditu pecuniæ redactæ ex venditione hereditatis, & mercede ſervorum reſtituenda; quia ſc. in fideicommiſſo fiduciario, puta ſi fideicommiſſum collatum ſit in diem favore fideicommiſſarii, ut cum erit pubes, fructus omnes medii temporis præſtandi ſunt fideicommiſſario, & veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi; *l.* 3. §. *cum Pollidius*, ſupr. *de uſur. l. ſi ita relictum*, §. *Pegaſus*, *de legat.* 2. Quinimmo & ſi fructus medii temporis, vel mercedes, quæ percipi potuere ex operis ſervorum, excedant modum alimentorum, totum præſtandum eſt fideicommiſſario, quia fructus non debentur fideicommiſſario uſque ad concurrentem modum alimentorum, ſed in totum ex voluntate teſtatoris, quod dies adjectus ſit fideicommiſſo favore fideicommiſſarii, non heredis, ut ei reſtitueretur cum pubes eſſet. Et fiduciarius heres, exemplo meri executoris teſtamentarii, tenetur reſtituere heredi quicquid minus expendit; *l. Lucius*, §. *ult. de legat.* 2.

§. *pluribus*.

PRælegata uni ex coheredibus relicta non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, ſive hereditatem, ſive partem hereditatis, ſeu portionem hereditariam reſtituere quis rogatus ſit, quoniam hereditatis, aut hereditariæ portionis appellatione, legata & fideicommiſſa non continentur; *l. Marcellus*, §. *quidam liberis*, *l. in fideicommiſſaria*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* Si hereditatis mentio facta ſit, prælegata non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, pro ea parte, quæ legati jure capitur a coherede: quoniam hereditatis appellatione legata non continentur, ſed pro ea parte, quam heres capit a ſemetipſo jure hereditario; *d. l. in fideicommiſſaria*, §. *ult.* Prælegata etiam non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, ſi is, qui reſtituere rogatus eſt, prohibitus ſit ea alienare favore coheredum; quia teſtator intelligitur voluiſſe prælegata excipi ab onere fideicommiſſi, ut oſtenditur in *hoc* §. Prælegata prohibita alienari non continentur fideicommiſſo generali, cum ſpeciali fideicommiſſo ſint onerata: alioquin ſibi ipſi contrarius eſſet teſtator, ſi voluiſſet prælegata venire in fideicommiſſo generali, quæ ſpeciali fideicommiſſo relicta eſſent quibusdam ex coheredibus, prohibendo alienari eorum cauſa; quia prohibitio alienationis extra familiam, vel extra coheredes, inducit fideicommiſſum; *l. filiusf.* §. *cum pater*, *de legat.* 1. *l. cum pater*, §. *cum pater*, *de legat.* 2. Prælegata, inquam, non veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, niſi conjectura voluntatis contrariam interpretationem ſuadeat: ut ſi hereditas diviſa ſit per prælegata, & prælegata majorem partem hereditatis exhauriant; *d.* §. *quidam* † *liberis*; quia hoc caſu prælegata ſunt vice portionis hereditariæ; *l. quid ergo*, §. 1. *de legat.* 1. Prælegata etiam veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, ſi heres rogatus ſit reſtituere portionem; *d.* §. *quidam liberis*, aut quicquid ad eum ex hereditate pervenerit; *l. cum pater*, §. *fidei tuæ*, *de legat.* 2. *l. cum virum*, *C. de fideic.* Idem dicendum eſt, ſi heres rogatus ſit reſtituere bona, quia prælegata ſunt de bonis teſtatoris; *l. legatum*, §. 1. *de legat.* 1. Vel ſi prælegata relicta ſint extraneo, qui rogatus ſit partem ſuam hereditariam filio teſtatoris eidemque coheredi reſtituere; Bart. ad *l.* † *liberto*, §. *filium*, *de ann. legat.*

§. *maritus*.

MAritus uxorem heredem inſtituit ex tertia parte hereditatis. (Uxori tertia bonorum legari poterit nomine liberorum, ut *hic*, vel decima bo-

Digitized by Google

norum matrimonii nomine ; *l. qui uxori*, *de aur. & arg. legat.* Ulp. in frag. tit. 15.) & ei decem & alia plura prælegavit , & ejuſdem uxoris fideicommiſit , *ut partem hereditatis*, *& quæcumque ei legaſſet*, *poſt mortem ſuam filio communi reſtitueret* : quæſitum eſt , an dos prælegata veniret in reſtitutionem fideicommiſſi ? Et reſponſum eſt , dotem prælegatam non venire in reſtitutionem fideicommiſſi , niſi hoc expreſſe dictum ſit , atque ita demum ſi quarta dotem adæquet , ut definitur in *hoc* §. *&* in *l. cum heres* 51. ſupr. *h. tit.* in *l. cum pater*, §. *fidei tuæ*, *de legat.* 2. Ratio eſt, quia dotis legatum non eſt proprie legatum , ſed potius æs alienum , & dos prælegata videtur potius reddi, quam dari , ut eleganter dicitur in *d.* §. *fidei tuæ* : quapropter dos prælegata *falcidiam* non patitur , quia in ære alieno computatur ; *l. cum ab uno*, §. *ult. de legat.* 2. Immo & ſi aliud quodcumque debitum prælegatum ſit , non venit in reſtitutionem fideicommiſſi ; *d. l. cum heres*. Idem in dote filiæ, ſi pater, qui dederat dotem pro filia , eandem inſtituit & gravavit reſtituere hereditatem , dos non venit in fideicommiſſum , niſi ſpecialiter dictum ſit ; *l. a filia*, ſupr. *h. tit.* Quod dixi , dotem prælegatam vel prælegatum , ut debitum , non cadere in fideicommiſſum , verum eſt , ſi aliter conſtet de dote, vel de debito: alioquin dos prælegata ut debita , vel quodcumque prælegatum ut debitum venit in fideicommiſſo univerſali, ſicut aliud legatum ; *d. l. qui uxori* ; quia legatum ut debitum , ſi aliter non conſtet de debito , non debetur, niſi quaſi legatum ; *l. Lucius*, §. *quiſquis*, *de legat.* 2. Dixi, dotem prælegatam non venire in fideicommiſſum, niſi ex voluntate expreſſa teſtatoris, & adhuc ſi non minus ſit in quarta , quæ detrahitur ab herede , quam in quantitate dotis , & ſic quarta *Trebellianica* ex voluntate teſtatoris imputatur in debitum: idemque de *falcidia* ; *l. ſi debitor*, ſupr. *ad leg. falcid.* ubi heres potuit gravari , ut quartam compenſaret cum debito. Jure veteri quarta *falcidia* ſeu *Trebellianica* prohiberi non potuit ; *l. qui totam*, ſupr. *h. tit. l. Seius & Agerius*, *ad leg. falcid.* ſed nihil vetuit eam oblique prohiberi , ut ſi appareat teſtatorem voluiſſe quartam imputari in creditum. Hodie utraque quarta directo prohiberi poteſt ; *auth. ſed cum teſtator*, *C. ad leg. falcid.*

§. *rogatus*.

Reſtituta ex *Trebelliano* hereditate , ſtatim actiones hereditariæ transeunt in fideicommiſſarium : ex quo efficitur , ut ſi heres rogatus poſt reſtitutam hereditatem conveniatur a creditoribus hereditariis , tueri ſe poſſit exceptione reſtitutæ hereditatis ; *l.* 1. §. 4. *l. ita tamen* , §. *qui ex Trebelliano* , *l. reſtituta* , *l. facta* , *in princ.* ſupr. *h. tit.* Sed ſi lis mota ſit cum herede ante reſtitutam hereditatem , reſtituta hereditate lis ſive inſtantia non transfertur in fideicommiſſarium , ſed condemnatio fit contra heredem , & executio judicati manet contra heredem. Finge , quæ eſt ſpecies *h.* §. heres rogatus reſtituere hereditatem Septicio , cum erit annorum 20. interim fundos , quos defunctus pignori acceperat , vendidit , & ob id pigneratitia a debitore conventus deceſſit, Sempronio herede relicto , & pendente judicio reſtituit hereditatem Septicio : quæſitum , eſt an reſtituta hereditate , condemnatio fiat contra heredem , & judicati executio pateat contra heredem ? Et reſponſum eſt , lite inchoata cum herede ante reſtitutam hereditatem , reſtituta hereditate ſententiam pronuntiari & executioni mandari contra heredem , quia ſibi imputare debet , cur in reſtituenda hereditate non retinuerit id , quod ex cauſa judicati præſtaturus eſſet, id eſt hyperocham, ſeu pluris valentiam pignoris, vel non curaverit ſibi caveri de indemnitate adverſus † fideicommiſſarium; quia heres non cogitur reſtituere hereditatem, niſi ei caveatur de indemnitate præſtanda , ut exponitur in *hoc* §. cui conjungenda eſt *l. cum hereditas ex fideicommiſſi* , ſupr. *h. tit.*

Digitized by Google

h. tit. Et heres rogatus, qui lite conteſtata obligationem ſuſcepit, ejus onus fruſtra recuſat; *l. procurator*, *qui pro evictione*, ſupr. *de procurator.* Alias ſententia lata contra heredem gravatum ante reſtitutam hereditatem, nocet fideicommiſſario, & eſt executoria contra eum; *l. ſi patroni*, §. *ult.* ſupr. *h. tit.* quod adverſus idoneum contradictorem lata ſit.

§. *ult.*

HEres ejus, qui poſt mortem rogatus erat univerſam hereditatem reſtituere, minimam quantitatem, quam ſolam in bonis fuiſſe dicebat, per errorem & ſine dolo, ut recte advertit *gloſſa*, fideicommiſſario reſtituit: repertis poſtea inſtrumentis, apparuit quadruplo amplius in hereditate fuiſſe: quæſitum eſt, an in reliquum fideicommiſſi nomine conveniri poſſit? Et reſponſum eſt, dari actionem in reſiduum, niſi ſuper hoc fuerit transactum, ut oſtenditur in *hoc* §. Ex quo efficitur, transactionem de hereditate non reſcindi ob læſionem ultra dimidiam juſti pretii, repertis poſtea inſtrumentis, ex quibus appareat duplo vel quadruplo amplius fuiſſe in hereditate, dummodo dolus abfuerit; quia transactio bona fide facta non reſcinditur obtentu inſtrumentorum poſtea repertorum; *l. ſub prætextu*, *C. de tranſact. l. admonendi*, ſupr. *de jurejur.* & beneficium *l.* 2. *C. de reſc. vendit.* non habet locum in transactione, propter dubium eventum litis: ſatis lucratur qui a lite diſcedit; *l. in ſumma*, §. 1. *de condict. indebit. l. a divo Pio*, §. *ſi pignora*, infr. *de re judicat.* Quod ſi heres dolo deceptus transegerit de hereditate, transactio reſcinditur propter dolum, quia qui dolo deceptus tranſigit, non tam paciſcitur, quam decipitur; *l. qui cum*, §. *qui per fallaciam*, *de transact.* Uti conſtitutione regia transactio non reſcinditur ob læſionem, etiam ſi ſit ultra dimidiam, ſed tantum ob dolum. Puta ſi fratres conſortes inter ſe hereditatem diviſerint tranſigendi cauſa, & poſtea cognoverint ab uno ex fratribus, pecuniam hereditariam in diviſione ſuppreſſam, transactio reſcinditur; *l. tres fratres*, *de pact.* Transactio autem ſine dolo inita non retractatur prætextu inſtrumenti poſtea reperti, dummodo de ea re ſit cogitatum: alias in transactione de re certa, clauſula generalis adjecta, non pertinet ad lites, de quibus cogitatum non eſt; *l. cum Aquiliana*, ſupr. *de transact. l. jubemus*, *C. ad Vellejan.* Quod dictum eſt, transactionem non reſcindi obtentu inſtrumenti poſtea reperti, locum habet in transactione facta ſuper actu inter vivos, puta ſuper contractu, non in transactione facta ſuper hereditate, legatis, vel fideicommiſſis. Transactio de his, quæ teſtamento pendent, non valet, niſi facta fuerit inſpectis cognitiſque verbis teſtamenti; *l. de his*, *de transact. l.* 1. §. 1. *teſtam. quem. aper.* Et ideo transactio facta de hereditate, legato, vel fideicommiſſo, non viſis tabulis teſtamenti, reſcinditur repertis poſtea tabulis: quod conſtitutum eſt favore ultimarum voluntatum, ne facile tollantur, & in odium heredum, qui teſtamenta occultant, ut facilius inducunt legatarios & fideicommiſſarios ad tranſigendum de his, quæ teſtamento continentur, ut recte obſervat. gloſſ. in *d. l. de his*. Ita etiam transactio de fideicommiſſo teſtamento relicto non excludit petitionem fideicommiſſi codicillis relicti, qui poſtea reperti ſint; *l.* 3. §. *cum transactio*, *de transact.* Nec omittendum, pactum inter fratres de mutuo fideicommiſſo remittendo etiam inter minores non reſcindi obtentu læſionis, propter conditionis incertum; *l.* 1. *l. cum proponas*, *C. de pact. l. de fideicommiſſo*, *C. de transact.* DD. in *l. qui Romæ*, §. *duo fratres*, infr. *de V. O.*

L. 79.

SI duo vel plures heredes conjunctim vel disjunctim inſtituti ſint, portio deficientis vel repudiantis adcreſcit coheredi etiam invito; *l. un.* §. *his ita*, *C. de caduc. tollend.* Tamen ſi pupillus, poſtquam patri heres exſtitit, ab hereditate patris ſe abſtineat, portio, quæ deficit per abſtentionem pupilli, coheredi adcreſcit etiam invito, ſi portionem ſuam retinere velit; *l. cum hereditate*, *de adquir. hered.* Ubi ſi ſuus heres hereditate patris ſe abſtineat, conditio coheredi, ſive ſuo, ſive extraneo, defertur, ut aut totam agnoſcat, aut a tota recedat: unde & ſi pupillus, qui patri ſuo heres exſtitit, & fideicommiſſam hereditatem reſtituit, mox abſtineat paterna hereditate, optio deferenda eſt fideicommiſſario, ut aut portionem quoque pupilli agnoſcat, aut a toto diſcedat, ut traditur in *h. l.* Dubitationem movebat, quod jus adcreſcendi locum non habet in portionibus agnitis; *d. l. unic.* §. *his ita*. Ergo videbatur non habere locum in portione pupilli, qui poſt immixtionem ſe abſtinuit. Tamen verum eſt, ſi pupillus poſt immixtionem ſe abſtineat, portionem, quæ deficit per abſtentionem, coheredi adcreſcere, perinde ac ſi heres non fuiſſet, ut probatur *h. l. & d. l. cum hereditate*, *& l. ex contractu*, infr. *de re judic.* quia ſemel agnita portio pro non agnita habetur, quæ per abſtentionem repudiata eſt. Filius eſt ſuus & neceſſarius heres jure civili, ſed habet beneficium abſtinendi a prætore ſi ſit impubes, licet ſe immiſcuerit; beneficium autem reſtitutionis in integrum, ſi immixtionis tempore minor fuerit 25. annis; *l. neceſſariis*, ſupr. *de adquir. hered. l.* 1. *C. ſi minor ab hered. ſe abſtin.* Et ſi minor annis 25. poſtquam patri heres exſtitit, in integrum reſtitutus ſit, ut abſtineat, portio ejus adcreſcit coheredi volenti, non invito; *l. ſi minor*, *de adqu. heredit.* ubi ſi minor annis 25. poſtquam patri heres exſtitit in integrum reſtitutus ſit, ex conſtitutione D. Severi, ejus partis onus coheres ſuſcipere non cogitur: ſed bonorum poſſeſſio creditoribus datur. Minore reſtituto in integrum adverſus aditionem, portio ejus adcreſcit coheredi volenti, non invito; quia iniquum videbatur ei invito adcreſcere, qui ab initio hereditatem pro parte adquiſivit, ne prætoris beneficium in concedenda reſtitutione in integrum, ei captioſum ſit, cui nihil imputari poteſt; *l. Paulus*, infr. *de prætor. ſtipulat.* Ergo ſi pupillus poſt immixtionem paterna hereditate ſe abſtineat, ejus portio adcreſcit coheredi vel fideicommiſſario, etiam invito, ſi portionem ſuam ſalvam habere velit, quatenus conditio ei defertur, ut aut totam hereditatem agnoſcat, aut totam repudiet: & ſi fideicommiſſarius recuſet adire partem pupilli, tunc omnimodo bona vendenda ſunt a creditoribus, ut id quod ſuperfluum erit pupillo ſervetur. Filius, qui ſe abſtinuit, ſi ſit pupillus, iterum ſe immiſcere poteſt, etiam poſt venditionem bonorum; *l. ait prætor*, §. *reſtitutus*, *de minor.* non ut revocet venditionem bonorum ſolemniter factam a creditoribus, ſed ut reſiduum ſervetur pupillo. Verum hoc jus correctum eſt, nam hodie minor in integrum reſtitutus adverſus abſtentionem etiam poſt venditionem bonorum, ſi res venditæ ſint, eo adhuc in minori ætate conſtituto, per in integrum reſtitutionem poteſt revocare res venditas, & creditoribus ſatisfacere; *l. ult. C. de repud. & abſtinend. hered.* Igitur ſi pupillus poſt immixtionem ſe abſtineat, portio pupilli abſtenti adcreſcit fideicommiſſario: quod ſi fideicommiſſarius repudiet univerſam hereditatem, bona veneunt a creditoribus, & reſiduum pupillo ſervatur, inſpecto jure veteri: quod ſi in ſolidum bona veniri non poſſint, actiones hereditariæ denegandæ erunt fideicommiſſario, ſc. in reſiduo, cujus non invenitur emptor. Ratio ſubjicitur, quia in poteſtate fideicommiſſarii erat ſuſcipere univerſam hereditatem, ex quo pupillus ea abſtinuit,

Digitized by Google

nuit, & ſi quid plus erit, id eſt ſi plus redactum ſit ex venditione bonorum, quam eſſet in ære alieno, pupillo ſervare, iterato ſc. ſe immiſcenti poſt abſtentionem, etiam citra reſtitutionem in integrum, ſi ſit pupillus; nam filius, qui ſe abſtinuit, poteſt rurſus ſe immiſcere, etiam citra reſtitutionem in integrum, ſi ſit pupillus. Si pupillus, qui patri ſuo heres exſtitit in ſolidum, & reſtituit partem hereditatis, de qua rogatus erat, & poſtea ſe abſtinuit ab illa, quam retinuerat, pars abſtenti adcreſcit fideicommiſſario. Datur tamen optio fideicommiſſario, an velit univerſam hereditatem retinere, an totam dimittere, non cogitur acceptare, & retinere utramque partem, cum pars ad eum devolvatur ex cauſa extraordinaria & improviſa, de qua ſi cogitaſſet fideicommiſſam partem non recepiſſet. Ex quo tamen recuſat partem obvenientem jure adcreſcendi, non poteſt retinere partem illam, quæ ſibi reſtituta eſt ex cauſa fideicommiſſi, niſi creditores hereditarii hanc ei conditionem deferant, & dicant ſe contentos eſſe ejus portione; *d. l. cum hereditate*.

L. pen.

JUre veteri heres rogatus reſtituere *quicquid ex hereditate boniſve ſuperfuerit*, poteſt res hereditarias impune alienare, dummodo non alienet mala fide, & fideicommiſſi intervertendi gratia. Tamen ſi creditor, idemque heres inſtitutus & rogatus reſtituere *quicquid ex hereditate ſuperfuerit*, bona conſumpſit, tenetur ea, quæ conſumpta ſunt, imputare in debitum. Finge, quæ eſt ſpecies *h. l.* L. Titius matrem & avunculum, eoſdemque creditores ſuos heredes inſtituit, & eos rogavit, ut poſt mortem ſuam reſtituerent Septicio *quicquid ex hereditate ſuperfuerit*. Heredes non modicam partem bonorum conſumpſerant, & poſtea deceſſerunt pluribus relictis heredibus, quibus ſcientibus, Septicius, multa corpora poſſedit, quæ remanſerant in bonis L. Titii, quo reſtituta hereditas videtur; hereditas enim pro reſtituta habetur, ſi herede ſciente & patiente fideicommiſſarius poſſideat res hereditarias; *l. reſtituta*, ſupr. *h. tit.* ſcientia & patientia heredis, qui patitur fideicommiſſarium poſſidere res hereditarias, pro traditione habetur; *l. ult. de ſervitut.* Quæſitum eſt, an id, quod L. Titius debuit matri & avunculo, heredes eorum a Septicio petere poſſint? Et reſponſum eſt, non poſſe. Rationem ſubnectit Claudius, (is eſt Claudius Tryphoninus, qui notas ſcripſit ad Scævolam) aditione enim hereditatis confuſa obligatio intercidit: & licet fideicommiſſi repetitio erat heredibus heredum quaſi plus debito reſtituiſſent, & aditione hereditatis confuſa obligatio reſtituitur reſtituta hereditate ex *Trebelliano*; *l. debitor*, ſupr. *h. tit.* tamen repetitionis æquitas deficit iis, qui multa ex hereditate conſumpſiſſe probantur, ut definitur in *h. l.* quia licet hoc jure heres rogatus reſtituere *quicquid ex hereditate ſuperfuerit*, potuerit res hereditarias conſumere, dummodo dolus abeſſet, ita ut non teneretur ad reſtitutionem pro rebus conſumptis: tamen non debuit ita ſibi indulgere, ut de reſiduo deduceret debitum, quia potius debuit ſibi ſolvere vel rerum alienatarum pretium in debitum accipere, quam ſtulte & luxurioſe fideicommiſſum conſumere. Immo hodie ſi heres, rogatus reſtituere *quicquid ex hereditate ſuperfuerit*, res hereditarias alienet non ultra dodrantem, videtur res alienatas non teneri imputare in debitum, quod uſus ſit jure ſuo, & liceat ei jure novello res hereditarias impune alienare uſque ad dodrantem, dummodo quarta illibata ſervetur fideicommiſſario; *nov.* 108. *auth. contra cum rogatus*.

L. ult.

JUlius Phœbus condito teſtamento tres liberos, Phœbum & Heracliam ex priori conjuge, Polycratem ex ſecundis nuptiis heredes inſtituit ex æquis portionibus, & petiit a Polycrate, quem *lex* ait fuiſſe minorem, ut accepto certo † prædio, hereditatem fratribus concederet, id eſt Phœbo & Heracliæ, ap-

Digitized by Google

appellatione enim fratris, & ſoror continetur; *l. tres fratres, de pact.* Et mox Phœbum & Heracliam invicem ſubſtituit, vulgariter, id eſt in hunc caſum, ſi quis eorum non eſſet heres. Subſtitutio enim reciproca inter coheredes, ſui natura eſt vulgaris & directa; *l. jam hoc jure, de vulgar. & pupillar.* vel inducit fideicommiſſariam, niſi fiat per verba habentia tractum temporis, ut docet Bartol. in *l. Lucius, eod. tit.* Tum Polycrati, ſi impubes deceſſiſſet, ſecundas tabulas fecit, id eſt ſuſtituit pupillariter, & ſecundas tabulas matri ejus commendavit aperiendas, non prius quam ſi filius impubes obiiſſet. Plerumque enim patres cavere ſolebant, ne pupillares tabulæ ſuperſtite adhuc impubere filio aperirentur, quo eorum vita tutior eſſet ab agnatorum inſidiis, dum incertum eſſet, quis ei ſucceſſurus eſſet; *§. ſin autem quis, inſt. de pupillar. ſubſtit.* Deinde petiit a prioribus, id eſt Phœbo & Heraclia, qui ſuſcepti erant ex priori conjugio, ut ſi quis eorum ſine liberis decederet, portionem ſuam, exceptis bonis maternis vel avitis, id eſt profectis a matre vel avo materno, ei, vel eis, qui ſupereſſent reſtitueret, id eſt fratri, vel fratribus. Heraclia ſoror ſine liberis decedens, fratrem ſuum Phœbum heredem inſtituit. Poſt mortem Heracliæ Polycrates fideicommiſſum petiit apud proconſulem Achaiæ, & obtinuit ſententia proconſulis, a qua Phœbus appellavit ad Principem, ut colligitur ex inſcriptione legis, quæ eſt Pauli ex libris imperialium ſententiarum, id eſt decretorum prolatorum a Principe pro tribunali cauſa cognita adhibito conſilio. Appellatione facta ſolus Phœbus egit μονομερῶς, id eſt non audita altera parte, & victus eſt: ſolus appellans litem appellationis proſecutus eſt. Cauſa appellationis agi poteſt μονομερῶς, altera parte abſente, ſi deſerat cauſam appellationis; *l. ult. §. illud, C. de tempor. appellat.* Alias ſententiæ vel decreta, quæ interponuntur μονομερῶς, nullam vim habent; *l. de unoquoque, de re judic. l.* † *nam ita, de adopt.* quo jure ſententiam in ſe dictam nullam & irritam eſſe affirmat †† Athanaſ. apolog. 2. de fuga οἴδατε δὲ ἀγαπητοὶ, ὅτι τὰ κατὰ συμμέρειαν ἰσχὺν ἔχει, ἀλλα ὕποπτα τυγχάνει. *Scitis autem, dilectiſſimi, acta monomera nullam vim habere, & ſuſpecta eſſe.* Tractata cauſa appellationis μονομερῶς, judicatum eſt ſecundum abſentem; ſi abſens enim non defendatur cauſa agitur, & pronuntiatur, non utique ſecundum præſentem, ſed interdum vel abſens, ſi bonam cauſam habeat, vincet; *l. & poſt edictum,* ſupr. *de judic. l. divus, de in integr. reſtit.* Phœbus victus eſt judicio appellationis, quia ſubſtitutio facta *ei, vel eis,* complectebatur utrumque fratrem, & videtur hæc fuiſſe voluntas teſtatoris, ut portio illius e duobus, qui decederet ſine liberis, reſtitueretur omnibus fratribus ſuperſtitibus. Tamen decretum Principis non uſquequaque probavit Paulus, qui adſidebat Principi ſimul cum Papiniano juriſprudentiæ ſibi conſcius quærendo conſuluit, Phœbum ſolum eſſe ſubſtitutum Heracliæ. Movebatur hac ratione, quod in præcedenti gradu teſtator invicem ſubſtituerat Phœbum & Heracliam, & ſubſtitutio reciproca facta inter illos non pertinebat ad Polycratem, unde videbatur ſubſtitutio fideicommiſſaria facta in ſequenti gradu non pertinere, niſi ad Phœbum & Heracliam, quia una ſubſtitutio per aliam declaratur; *l. Lucius, §. pater puerum,* ſupr. *h. tit.* prior gradus ſubſtitutionis ſequentem declarat, ſicut ſubſtitutio interpretationem recipit ex inſtitutione; *l. quotiens,* ſupr. *h. tit. l. 1. C. de impuber. & aliis ſubſtitut.* pars una teſtamenti per aliam declaratur; *l. qui filiabus, de legat. 1.* Videbatur etiam Phœbus præferendus Polycrati in ſubſtitutione portionis Heracliæ, alia ratione, quia Phœbus & Heraclia erant ex eadem matre, ac per hoc conjunctiores, cum eſſent duplici vinculo conjuncti. Succeſſiones in fideicommiſſis regulantur juxta ſucceſſionem inteſtati, & quoties plures ſub nomine collectivo vocantur, inter quos cadit ordo caritatis & affectus, prius vocantur qui priores ſunt gradu, vel conjunctiores; *l. heredes mei, §. cum ita,* ſupr. *h. tit. l. omnia,* alias *l. cum ita, §. in fideicom-*

†† Apologiam perlegere intentiſſime, otium non fuit; proinde locus iſte corruptus non eſt conlatus. Percurrendo tamen, ſub num. 82. in epiſt Dionyſii Comitis legi. ὅτι μὲν δὴ τὰ πραττόμενα κατὰ μονομέρειαν οὐδεμίαν ἔχει δύναμιν, οὐδεὶς ἐστιν ὃς ἀγνοεῖ τῶν πάντων ἀνθρώπων. *Negotia autem quæ altera abſente parte geruntur, ne minimam quidem vim habere, nullus hominum ignorat.*

commiſſo, *de legat.* 2. *l. coheredi*, §. *qui* † *diſcretas*, *de vulgar.* & *pupillar.* Sed tandem adductus eſt Paulus in ſententiam Principis hac ratione, quam ſubjungit in *fin. h. l.* videbatur hæc eſſe voluntas patris, ut omnibus fratribus ſuperſtitibus reſtitueretur pars illius ex duobus, qui decederet ſine liberis, quia exceperat bona eorum materna: ex quo exceperat teſtator ab onere fideicommiſſi bona materna, bona propria Phœbi & Heracliæ, & cum teſtator voluit bona materna liberorum prioris matrimonii † non venire ad Polycratem, qui erat ſuſceptus ex alia uxore, ſatis aperte voluit ipſum vocari ad bona paterna: exceptio bonorum maternorum inducit fideicommiſſum quoad bona paterna. Alias in fideicommiſſo relicto a patre, inutilis eſt exceptio bonorum maternorum, nam in fideicommiſſaria ſubſtitutione veniunt tantum bona teſtatoris: fideicommiſſo bona propria filii non continentur; *l. ex facto*, §. 2. ſupr. *h. tit. l. coheredi*, §. † *quod ſi heredem*, *de vulgar.* & *pupillar.* Voluntas patris colligitur etiam alio argumento, quod Polycrates ipſe rogatus erat, accepto certo † prædio, reſtituere hereditatem fratribus: unde nulla erat invidia, eundem intelligi ſubſtitutum fratribus, id eſt Phœbo & Heracliæ, etſi ſuſcepti eſſent ex alia matre, propter † mutuum onus fideicommiſſi.

AD

Senatusconſultum Trebellianum.

COD.

L. 1.

EX ſenatuſconſulto *Pegaſiano*, quod hodie transfuſum eſt in *Trebellianum*, heredi rogato reſtituere hereditatem facta eſt poteſtas deducendæ quartæ ex fideicommiſſo, ut aliquo præmio provocaretur heres ad adeundam, & reſtituendam hereditatem, ne fideicommiſſum intercideret non adita hereditate; *l.* 1. *ff. h. tit.* §. *ſed quia heredes*, *inſt. de fideic. heredit.* Quarta *Pegaſiana* ſeu *Trebellianica*, quæ detrahitur ex fideicommiſſo, eſt quarta bonorum deducto ære alieno, quia non ſunt bona, niſi deducto ære alieno. Qua ratione & quarta *falcidia*, quæ deducitur de legatis, non prius deducitur, quam deducto ære alieno; *l.* 1. §. *hac verba*, *ff. ſi cui plus*, *quam per leg. falcid. l.* 6. *C. ad leg. falcid.* & quarta legitima, quæ debetur liberis, non accipitur, niſi deducto ære alieno, & funeris impenſa; *l. Papinianus*, §. *quarta*, *ff. de inoffic. teſtam.* Hinc ſi heres rogatus reſtituere hereditatem, deducta quarta dodrantem hereditatis † fideicommiſſario reſtituerit, quod creditoribus hereditariis ſolvit, pro dodrante tantum a fideicommiſſario repetere poteſt, ut oſtenditur in *hac l.* ſi heres reſtituat hereditatem deducta quarta tantum, onus æris alieni dividitur inter heredem & fideicommiſſarium pro rata; ita ut heres creditoribus teneatur pro quarta, & fideicommiſſarius, cui reſtituta eſt hereditas, pro dodrante. Et ſi heres medio tempore æs alienum hereditarium ſolverit, id fideicommiſſario deducit in reſtituenda hereditate. Quod ſi æs alienum heredi ultro a creditore remiſſum ſit, etiam illud heres deducit, perinde ac ſi ſolviſſet, quia beneficio nexus tenetur: ſpecies lucri eſt beneficii debitum ſibi adquirere; *l. ſi pignore*, §. 1. *ff. de furt.* Et qui beneficium accepit, naturaliter obligatur ad *ἀντίδωρα*, id eſt ad remunerationem; *l. ſed & ſi lege*, §. 11. *verſ. plane*, *ff. de petit. hered.* Quod ſi heres gravatus tempore liberatus ſit, id eſt non petente creditore, æs alienum præſcripſerit, id reputabit fideicommiſſario in re-

ſtituenda hereditate, perinde ac ſi ſolutum eſſet: qui enim præſcribit ſolventi ſimilis eſt; *l. ſi pupillus*, *ff. de adminiſtr. tutor.* Dixi, heredem gravatum, ſi æs alienum hereditarium ſolviſſet, habere actionem in fideicommiſſarium æris alieni exſoluti repetendi cauſa pro rata fideicommiſſi: quæritur, qua actione heres repetiturus ſit a fideicommiſſario quod creditoribus hereditariis ſolverit? Et quidem quod *gloſſa* ait, id repeti actione negotiorum geſtorum, ferendum eſt, ſi dicas heredem ſolviſſe æs alienum poſt reſtitutam hereditatem. Quod ſi ante reſtitutam hereditatem æs alienum ſolverit, nequaquam ei competit actio negotiorum geſtorum, quia tunc potius ſuum negotium geſſit, quam alienum: at negotiorum geſtorum actio numquam ei competit, qui ſuum negotium geſſit; *l. creditor*, §. 1. *ff. mandat.* At verius eſt ei dari actionem ex fideicommiſſo, id eſt ex teſtamento, quæ datur & heredi deducta quarta hereditatem reſtituere rogato, qui debitori hereditario heres exſtitit, quoniam aditione confuſa actio redintegrari non poteſt, ut pecuniæ debitæ dodrantem ferat †† a fideicommiſſario; *l. deducta*, *ff. h. tit.* Ex quo enim propria actio datur heredi, qua æs alienum hereditarium exſolutum repetat a fideicommiſſario, non video qua ratione veteres comminiſcuntur, heredi dandam eſſe actionem in factum, quæ eſt actio ſubſidiaria, quæ non datur niſi in ſubſidium deficiente alia actione.

L. 2. & ult.

SI heres rogatus ſit reſtituere hereditatem deducta quarta, onus æris alieni dividitur inter heredem, & fideicommiſſarium pro rata; *l. 1. ff. h. tit.* quia æs alienum ipſo jure minuit quartam; *l. & ſine ſcriptura*, *h. tit. l. irritum*, inſr. *ad leg. falcid.* Quod ſi heres rogatus ſit reſtituere hereditatem deducta quarta, vel re certa, quæ quartam non amplius continet, onus legatorum reſtituta hereditate non pertinet ad heredem, ſed ad ſolum fideicommiſſarium; *l. 1. §. ult. ff. h. tit. §. ſi quis*, *inſt. de fideic. heredit.* Quod ſi heres rogatus ſit reſtituere partem hereditatis, puta dimidiam, quæ partis appellatione intelligitur; *l. nomen filiarum*, §. 1. *de V. S.* fideicommiſſarium, cui ex *Trebelliano* reſtituitur pars hereditatis, pro rata teneri † ſolvere legata, & alia onera hereditaria, indubitati juris eſt, ut traditur in *l. 1. §. pen. ff. h. tit.* Quod ſi heres rogatus ſit reſtituere univerſam hereditatem, non detracta quarta, reſtituta hereditate ſine detractione, actiones legatorum & fideicommiſſorum particularium in ſolidum transferuntur in fideicommiſſarium univerſalem; *l. ult. h. tit. l. 1. §. ult. & l. 2. ff. eod.*

L. † 3.

FIdeicommiſſum relinqui poteſt, non ſolum ab herede, ſed etiam a legatario, & donatario mortis cauſa; *l. ut heredibus*, *l. cum pater*, *de legat. 2. l. ei, cui*, † *ff. de mort. cauſ. donat. l. ab eo*, *C. de fideicommiſſ.* Et fideicommiſſum relinqui poteſt, non ſolum ab herede teſtamentario, ſed etiam ab herede ab inteſtato, codicillis ab inteſtato factis, ut oſtenditur in *hac leg. & l. recuſare*, §. *meminiſſe*, *ff. h. tit. l. conficiuntur*, §. 1. *de jur. codicill.* Quinimmo fideicommiſſum codicillis ab inteſtato relictum a proximo ab ulteriori, ſi ad eum devoluta ſit ſucceſſio, præſtandum eſt, ex reſtituta lectione *l. 1. §.* † *pen. de legat.* 3. ex qua tollendam negativam jam olim recte obſervavit Anton. Faber, 4. *conject.* † 15. Et quarta *Trebellianica* detrahitur, non modo ex fideicommiſſo teſtamento relicto, ſed etiam ex fideicommiſſo codicillis ab inteſtato relicto, ut traditur in *hac l. & l. ult. C. quand. dies legat. ced.* ubi *gloſſ.* ut & *falcidia* locum habet, etiam in fideicommiſſis relictis ab inteſtato, ex conſtitutione D. Pii; *l. filiusf. ff. ad leg. falcid.* & in donationibus mortis cauſa etiam ab inteſtato, ex conſtitutione Gordiani; *l. 2. inſr. de mort. cauſ. donat.*

†† Poſtumum volumen hoc prodiiſſe, argumenta, inter alia, ſunt recitationes nonnullæ prorſus abhorrentes a verbis & intellectu legum, & ab acumine auctoris. Juxta poſita *hic* etiam debitor ferret dodrantem a creditore; prout & ſupr. pag. 347. Ex *l. deducta* actio ex fideicommiſſo datur non heredi contra fideicommiſſarium, ſed fideicommiſſario adverſus heredem rogatum, qui, priusquam reſtitueret, hereditario debitori heres exſtitit. Heres vero, in propoſito caſu, æs alienum exolutum petit a fideicommiſſario ex ſtipulatione, juxta Cujac. in *d. l. deducta*, §. *qui poſt*, tom. 4. col. 1226. D.

donat. Quod ſi fideicommiſſum relictum ſit teſtamento nullo & irrito, puta ob præteritionem filii, fideicommiſſum non debetur ab inteſtato ſuccedentibus, niſi rogati probentur; *l. ex teſtamento*, ſupr. *de fideicommiſſ.* puta ſi teſtamento nullo ob præteritionem filii adjecta ſit clauſula codicillaris, fideicommiſſum, quod non valet ex teſtamento, ſuſtinetur ab inteſtato, vi clauſulæ codicillaris, cujus effectus eſt, ut heredes ab inteſtato cenſeantur tacite rogati hereditatem reſtituere heredi ſcripto. Et in hoc fideicommiſſo unius quartæ detractio eſt, non duplicis, id eſt legitimæ, & *Trebellianicæ*, quia vi clauſulæ codicillaris proximior ab inteſtato cenſetur rogatus pure reſtituere hereditatem heredi ſcripto; *d. l. ex teſtamento*, quo caſu non eſt detractio duplicis quartæ, ſed unius tantum, legitimæ ſc. vel *Trebellianicæ*. Hoc intereſt inter fideicommiſſum purum & conditionale vel in diem, quod priore caſu filius unam tantum quartam detrahit, poſteriore duplicem; legitimam ſtatim ut natura debitam; *Trebellianicam* ut quilibet heres extraneus: quæ eſt diſtinctio *gloſſ.* in *l. Papinianus*, *§. ſi quis impubes*, *ff. de inoff. teſtam.* & in *l. quamquam*, infr. *ad leg. falcid.* Jure civili ſc. nota eſt detractio unius quartæ, legitimæ, vel *Trebellianicæ*; *l. 1. §. interdum*, *ff. ſi cui plus, quam per leg. falcid. l. jubemus*, infr. *h. tit. l. filium quem*, *C. famil. erciſc.* Ratio eſt, quia utriuſque quartæ hoc proprium eſt, ut una alteram conſumat; *l. in quartam*, *ff. ad leg. falcid. l. mulier 22. §. 2. ff. h. tit. l. Papinianus*, *§. ſi quis impubes*, *de inoff. teſtam. l. ſi quando*, *C. eod.* Et duplicis quartæ detractio introducta eſt jure pontificio, ex errore & pravo intellectu juris; *cap. Raynutius*, & *cap. Raynaldus*, *de teſtam.* Quod ſi fideicommiſſum univerſale relictum ſit civitati vel reipublicæ, & heres rogatus reſtituere hereditatem, univerſam reſtituerit per errorem, non retenta quarta, quartam & ejus fructus repetere poteſt, ex *h. l.* ut & heres ſi per errorem facti ſolida legata ſolverit, non deducta *falcidia*, *falcidiam* & ejus fructus repetit; *l. error facti*, infra *ad leg. falcid.* Quod ſi heres per errorem juris, cum exiſtimaret non eſſe locum *Trebellianicæ* vel *falcidiæ*, univerſam hereditatem reſtituerit, vel ſolida legata præſtiterit, tunc ceſſat condictio quartæ; *d. l. error*, *l. pen.* *§. ſi quis jus ignorans*, *ff. de jur. & fact. ignor.* Quarta detrahitur etiam ex fideicommiſſo relicto reipublicæ, quia civitas privati loco habetur; *l. eum qui vectigal.*, *de V. S.*

L. 4.

HUjus legis, quam ſingularem cenſuit Bartolus, ſpecies hæc eſt. Titius inſtituit duos heredes, fratrem, & aviam, eandemque rogavit, partem hereditatis reſtituere Quintianæ. Avia ex parte inſtituta, dolo & calliditate partem ſuam repudiavit in fraudem fideicommiſſarii, eo conſilio, ut pars repudiantis perveniret ad coheredem jure adcreſcendi. Quintiana de conſervando fideicommiſſo ſollicita adiit prætorem: aditus prætor juſſit, aviam adire partem ſuam, eamque Quintianæ ex fideicommiſſo reſtituere. Avia priuſquam pareret decreto prætoris morte præventa eſt: itaque coheres partem aviæ ad ſe pertinere contendebat jure adcreſcendi, nec teneri eam reſtituere Quintianæ ex fideicommiſſo, quod fideicommiſſum relictum eſſet ab avia, non a coherede. Quare Quintiana Impp. conſuluit, a quibus reſcriptum eſt, Quintianam non juſtam gerere ſollicitudinem de fideicommiſſo, id eſt repudiatione aviæ fideicommiſſum ab ea relictum minime amiſſum eſſe. Ratio dubitandi erat, quod pars hereditatis, quæ erat onerata fideicommiſſo, non fuit adita, avia morte præventa antequam coacta adiret, & ita fideicommiſſum extinctum eſſe non adita hereditate; *l. ille*, *a quo*, *§. † quid ergo*, *ff. h. tit. l. 2. de fideic. libert. §. ſed quia*, *inſt. de fideic. hered.* Idem fideicommiſſum ab avia ſola relictum, non videbatur præſtandum a coherede, a quo relictum non erat, ut

Digitized by Google

innuit *hac lex*: fideicommiſſum præſtare tenetur, qui rogatus eſt; *l. eam, quam*, ſupr. *de fideicommiſſ.* Ratio reſcripti eſt, fideicommiſſum, licet ab avia ſola relictum, deberi a coherede, cui portio repudiantis adcreverit, quaſi tacite repetitum: quod juris ab Impp. de novo inductum videtur, neque enim facile ullum locum in toto jure reperias ſimilem; qua de cauſa ſingularem vocat Bartol. *hanc legem*: & hoc ipſi Impp. ſatis indicant in *hac lege*, ſe hoc jus inducere exemplo conſtitutionis D. † Antonini, ex qua legata relicta ab inſtituto cenſentur repetita a ſubſtituto, ut traditur in *hac l. & l. licet Imperator, de legat.* 1. *l. ſi Titio*, §. *Julianus*, *l. cum pater*, §. *ab inſtituto*, *de legat.* 2. Quod dicitur ab Impp. in *hac lege*, fideicommiſſarium coegiſſe aviam, quæ repudiaverat partem ſuam, adire hereditatem ut tueretur fideicommiſſarium, ſatis fruſtratorium & inutile fuit, quia portio repudiantis adcreſcebat coheredi cum onere fideicommiſſi; *d. l. ſi Titio*, §. *Julianus*, *l.* 2. §. *ult. ff. de ſuis & legitim.* & coheres tenebatur præſtare fideicommiſſum relictum ab avia: ſed quia fideicommiſſarius maluit recta petere fideicommiſſum, quam petere a coherede, idcirco coegit aviam hereditatem adire, ut ab ea caperet hereditatem ex fideicommiſſo. Et in *hac lege* notatur malignum, ſed ſtultum, conſilium mulieris, quæ repudiavit partem ſuam hereditatis, eo animo, ut pars repudiantis adcreſceret coheredi, ex quo enim avia rogata erat partem ſuam reſtituere Quintianæ, ea impediebat coheredem, ne jure adcreſcendi uteretur; ſubſtitutus enim præfertur coheredi, & jus adcreſcendi excludit; *l.* 2. §. *ſi duo*, *de bonor. poſſ. ſecund. tab. l. unic.* §. *in primo*, ſupr. *de caduc. tollend.* Ratio eſt, quia ſubſtitutus nititur voluntate teſtatoris, coheres voluntate legis: voluntas teſtatoris eſt potentior lege; *l. verbis legis*, *de V. S.* Igitur fideicommiſſum relictum ab herede ex parte ſcripto, præſtatur a coherede quaſi tacite repetitum. Et quidem fideicommiſſum ab avia ex parte inſtituta relictum præſtatur a coherede, cui portio repudiantis adcrevit ſine detractione quartæ, ut oſtenditur in *hac l.* Coheres aviæ partem aviæ, licet ad ſe devolutam jure adcreſcendi, reſtituit fideicommiſſario ſine deductione quartæ, quia coheres, cui portio aviæ per repudiationem ipſius adcreſcit, non poteſt plus juris habere in parte adcreſcente, quam avia ex ea inſtituta: ac avia non potuit detrahere quartam cum hereditatem ſuſpectam dixerit & coacta fuerit adire; *l.* 4. *l. qui totam*, *ff. h. tit.* non poteſt igitur coheres, cui aviæ pars adcreſcit, quartam retinere, quaſi eodem jure cenſendus ſit, ac heres ipſe; coheres enim in jure adcreſcendi, quaſi ſubſtitutus eſt coheredi: jus adcreſcendi eſt tacita ſubſtitutio, quæ fit a lege; *d. l. ſi Titio*, §. *Julianus*.

L. 5.

Fideicommiſſum relinquitur teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis, vel etiam factis ab inteſtato, vel etiam per epiſtolam vel libellum, vel etiam ſine ſcriptura adhibitis quinque teſtibus; *l. & in epiſtola*, ſupr. *de fideicommiſſ.* Et hoc eſt quod dicitur *init. h. l.* etiam ſine ſcriptura per fideicommiſſum hereditatem recte relinqui: fideicommiſſum ſine ſcriptura relinquitur adhibitis quinque teſtibus; in omni enim ultima voluntate, excepto teſtamento, quinque teſtes † requiruntur; *l. ult.* §. *ult.* ſupr. *de codicill. l. ult. de fideicommiſſ.* Immo etiam nutu ſolo fideicommiſſum relinqui poteſt, ſine verbis, nec ſcriptura, adhibitis teſtibus; *d. l. & in epiſtola*: ut ſi quis interrogatus, an Titio fundum dari velit, nutu ſignificet ſe velle, utile eſt fideicommiſſum, dummodo is, qui annuit, fari poſſit; *l. nutu*, *de legat.* 3. nutu capitis ſignificatur voluntas; Plaut. in Aſinar. (4. 1. 39.) *Neque illa ulli homini nutet*, ideſt annuat. Igitur ſi mulier in diſcrimine vitæ conſtituta, etiam ſine ſcriptura, coram quinque teſtibus declaraverit velle ſe maritum & privignum hereditatem

ſuam

Digitized by Google

ſuam obtinere uſque ad dodrantem, ejus voluntas rata eſt, & ſuccedentes ab inteſtato tacite rogati intelliguntur reſtituere hereditatem marito & privigno ex fideicommiſſo, & conveniri poſſunt de reſtituendo fideicommiſſo, actione ſc. utili ex teſtamento, quæ comparata eſt ad exemplum actionis directæ ex teſtamento; *l.* 2. ſupr. *commun. de legat.* & conventi dodrantem hereditatis tenentur reſtituere, ultra quartam deducto ære alieno, ut ſcriptum eſt in *hac l.* id eſt deducta quarta, quæ computatur deducto ære alieno; *l.* 1. ſupr. *h. tit.*

L. 6.

HUjus *l.* quæ in ſchola & foro valde celebratur, partes duæ ſunt. Prima eſt de fructibus non imputandis in quartam in liberis primi gradus. Secunda eſt de remittenda cautione fideicommiſſi. Quod ad priorem caſum attinet, fructus poſt aditam hereditatem percepti non veniunt in fideicommiſſaria hereditatis reſtitutione, quia non hereditate, ſed rebus ipſis, id eſt corporibus hereditariis, accepti feruntur; *l. in fideicommiſſaria*, §. *quotiens*, *ff. h. tit.* plane fructus medio tempore percepti imputantur in quartam; *d. l. in fideicommiſſaria*, §. 1. & *l. Papinianus*, §. *unde ſi quis*, *ff. de inoff. teſtam.* ſi modo fructus percepti ſint ex judicio & voluntate teſtatoris, quod contingit, quoties fideicommiſſum in diem, vel ſub conditione relictum eſt; nam ſi purum, aut, quod idem eſt, præſenti die fideicommiſſum relictum ſit, fructus medio tempore percepti magis ex negligentia non petentis, quam ex judicio defuncti percepti videntur; ideoque non imputantur in quartam, ſed perinde ac ſi nulli percepti eſſent, fideicommiſſum deducta quarta reſtituetur; *l. mulier* 22. §. *ſi heres*, *ff. h. tit.* Fructus percepti poſt aditam hereditatem imputantur in quartam, quia in quartam imputantur ea omnia, quæ capiuntur jure hereditario, ex judicio teſtatoris; *l. in quartam*, *ad leg. falcid. l. deducta*, §. 3. *ff. h. tit.* At fructus percepti poſt aditam hereditatem, judicio teſtatoris percepti videntur, ex conſtitutione Zenonis, quæ eſt *in hac l.* In liberis primi gradus fructus non imputantur in quartam: puta ſi filius rogatus ſit reſtituere portionem hereditatis fratribus, non detrahit quartam de fructibus, ſed de rebus ipſis hereditariis, quod probatur & *l. filium*, *quem*, ſupr. *famil. erciſc.* Idem dicendum eſt, ſi filius rogatus ſit reſtituere hereditatem nepotibus aut pronepotibus. Singulare eſt in liberis primi gradus, ne fructus imputentur in quartam, & hoc jus non habet locum in nepotibus. Et hoc eſt quod dicitur in *fin. h. l.* quod conſtitutum eſt, de fructibus non imputandis in quartam non ulterius, quam in iis perſonis, quarum mentio facta eſt, produci, id eſt non in aliis, quam liberis primi gradus, niſi nepotes primum gradum obtineant, & ſint loco ſuorum: puta ſi præmortuo patre ab avo inſtituti ſint, & rogati reſtituere hereditatem: & ita judicatur in aliis, quam liberis primi gradus, vel nepotibus, qui tenent primum gradum, fructus imputantur in quartam, & fructus percepti per decennium conſumunt quartam; *d. l. Papinianus*, §. *unde ſi quis*. Pater rogatus reſtituere hereditatem filio detrahit quartam, nec imputat fructus in quartam: quod intelligendum eſt, ſi pater fuerit rogatus ut heres: quod ſi pater rogatus ſit ut pater, non ut heres, quartam non detrahit; *l. cum filiofamilias*, *de legat.* 1.

§. *in ſupradictis*.

REgulariter heres, a quo fideicommiſſum in diem vel ſub conditione relictum eſt, tenetur cavere fideicommiſſario de ſervando & ſua die præſtando fideicommiſſo; *l. hæc ſtipulatio*, & *tot. tit. ff. ut legator. ſeu fideicommiſſ. ſerv. cauſ.* Et generaliter quilibet heres inſtitutus ſub conditione, cui in defectum conditionis ſubſtitutus datus eſt, pendente conditione tenetur cavere

Digitized by Google

ſubſtituto de non diminuenda hereditate ; *l. inter omnes* , *ff. qui ſatiſd. cog. l. Paulus* , *de prætor. ſtipulat.* Excipitur caſus *h. l.* nempe ſi pater vel mater rogetur reſtituere hereditatem filio, non tenentur ſatisdare de fideicommiſſo ſervando , niſi teſtator id ſpecialiter juſſerit, vel pater aut mater, qui rogati ſunt reſtituere , ad ſecundas transierint nuptias : onus cautionis remittitur utrique parenti in fideicommiſſis, quia ratio paterni & materni affectus omnem amovet ſuſpicionem , & vice ſatisdationis eſt. In uſufructu bonorum plus tribuitur patri quam matri ; pater enim , qui habet uſumfructum bonorum filii poſiti in poteſtate , non tenetur cavere filio ſe uſurum fruiturum boni viri arbitratu, patri remittitur onus cautionis fructuariæ , ob paternam reverentiam ; *l. ult. §. 4. verſ. hoc procul dubio* , *C. de bon. quæ liber.* Matri vero non remittitur hæc cautio : mater cui legatus eſt uſus domus , ita ut cum ea heredes filii habitent , filiis ſuis cavere debet , ſe boni viri arbitratu uſuram ; *l. pen. ff. uſufruct. quem. caveat.* Dixi , patrem non cavere de fideicommiſſo ſervando : ſi tamen pater heres inſtitutus , & rogatus poſt mortem ſuam reſtituere hereditatem filio , fideicommiſſum profliget , quia cautio interponi non poteſt de conſervanda & reſtituenda hereditate , cum inter patrem & filium non cadat obligatio ob patriam poteſtatem , damnum conditionis propter fraudem infligitur , id eſt, fideicommiſſi conditio purificatur , & pater ante diem cogitur repræſentare fideicommiſſum filio , perinde ac ſi purum fideicommiſſum eſſet ; *l. Imperator* , *ff. h. tit.* Quod vero conſtitutum eſt de remittenda cautione fideicommiſſi , ſingulare eſt in patre & matre , nec porrigitur ad alias perſonas , ut ſubjicitur in *fin. h. l.*

§. ſin autem .

SI quis rogatus ſit reſtituere hereditatem , *ſi ſine liberis deceſſerit* , vel uno filio ſuperſtite , vel nepote ex filio , vel filia , vel pronepote ; vel poſthumo relicto , conditio fideicommiſſi deficit , & ideo deficit fideicommiſſum , ex *h. §.* conditio fideicommiſſi deficit , vel uno filio ſuperſtite tempore mortis ; *l. heredes mei* , *§. cum ita* , *ff. h. tit. l. pater Severianam* , *§. ita* , *de condit. & demonſtrat.* quia non videtur ſine liberis, qui vel unum filium reliquit ; *l. non eſt ſine liberis* , *de V. S.* Conditio fideicommiſſi ſi ſine liberis deficit, non modo uno filio relicto , ſed etiam nepote , vel pronepote ex filio filiave ; *l. Lucius* , *ff. de hered. inſtituend.* Liberorum nomine continentur etiam nepotes ex filia ; *l. ult. ff. de pollicitat.* Item conditio fideicommiſſi , *ſi ſine liberis* , deficit, non modo ſi filius natus fuerit tempore mortis ejus , a quo fideicommiſſum relictum eſt ; ſed etiam ſi fuerit in utero , poſthumo nato , quia qui in utero eſt , pro jam nato habetur , ſi poſtea naſcatur ; *l. qui in utero 7. ff. de ſtat. homin.* Et hoc intelligendum eſt , ſi partus ſit vitalis , id eſt ſecundum naturam poſſit vivere : partus abortivus non facit deficere conditionem fideicommiſſi ; *l. 2. & 3. C. de poſth. inſtituend.* Immo & conditio fideicommiſſi , *ſi ſine liberis ex ſuo corpore natis* , deficit exiſtente nepote ex filio , quia in nepote eſt portio paterni corporis ; *l. cum ſcimus* , *§. illud quoque* , *C. de agricol. & cenſit.*

Auth. niſi rogati .

SI quis rogatus ſit reſtituere hereditatem , ſi nuptias non contraxerit , vel ſine liberis deceſſerit , conditio fideicommiſſi deficit ingreſſu monaſterii , quia monaſterium eſt loco filii , ex *hac auth.* quæ deſumpta eſt ex *nov. Juſtinian. 123. cap. 37. & l. ſancimus 53. §. item illud ſtatuimus* , *C. de Epiſc. & cleric.* Immo jure pontificio conditio fideicommiſſi , *ſi ſine liberis* , deficit , ſi heres rogatus monaſterium inſtituat , quia non intelligitur ſine liberis deceſſiſſe , qui mo-

monaſterium heredem inſtituit ; *cap. in præſentia, de probat.* Sed hæc jura non ſervantur in Gallia. Conditio fideicommiſſi, *ſi ſine liberis*, intelligitur tantum de veris filiis, non de fictitiis, & commentitiis, ideo filii adoptivi non faciunt deficere conditionem fideicommiſſi, ſi ſine liberis ; *l. ſi ita quis, §. ult. de legat. 2. l. fideicommiſſum, de condit. & demonſtrat.* Tamen ſi quid puellæ relictum ſit ſub conditione nuptiarum vel liberorum, hoc debetur, ſi monaſterium ingrediatur ; *d. l. ſancimus, §. item illud.*

Auth. contra cum rogatus.

JUre digeſt. heres rogatus reſtituere *quidquid ex hereditate ſuperfuerit*, res hereditarias impune alienare poteſt, etiam ultra dodrantem, dummodo non mala fide, & intervertendi fideicommiſſi cauſa alienet ; *l. Titius, ff. h. tit.* Sed ex *nov.* 108. *cap.* 1. quæ breviata eſt in *hac auth.* heres rogatus reſtituere *quidquid ex hereditate ſuperfuerit*, non poteſt hereditatem deminuere ultra dodrantem, ita ut quadrans illibatus fideicommiſſario ſervetur, & caveatur fideicommiſſario de non alienando ultra dodrantem, niſi teſtator onus cautionis remiſerit. Ex conſtitutione enim Marci & Commodi cautio fideicommiſſi, quocumque judicio teſtatoris remitti poteſt ; *l. 2. l. cum Artemidoram, l. ſcire debetis, C. ut in poſſeſſ. legator. l. licet ; ff. ut legat. ſeu fideic. ſervand. cauſ. caveat.* Secus atque in cautione fructuaria, quæ uſufructuario remitti non poteſt ; *d. l. ſcire debetis, & l. 1. C. de uſufruct.* Ante conſtitutionem Juſtiniani laxior interponebatur cautio de non alienando & diminuendo fideicommiſſo, ultra quam æquitas ferret, & arbitrium boni viri ; *d. l. Titius.* Sed quia arbitrium boni viri incertum eſt, & exploratu difficile, melius viſum eſt, heredi rogato, *quidquid ex hereditate ſuperfuerit* reſtituere, tribui poteſtatem alienandi uſque ad dodrantem, ita ut quadrans illibatus ſervetur fideicommiſſario, & cautio de non alienando fideicommiſſo eiſdem lineis coerceatur. Quod ſi heres rogatus reſtituere *quidquid ex hereditate ſupe fuerit*, ultra dodrantem alienaverit, quarta, quæ ſervanda eſt fideicommiſſario, ex ipſius ſubſtantia ſuppleri, aut ea deficiente, fideicommiſſario datur in rem actio, & hypothecaria contra rerum detentores. Inepta videbatur actio hypothecaria pro re ſua, quia hypotheca conſiſtit tantum in re aliena ; *l. ſi rem alienam, ff. de pignerat. act.* ſed tamen fideicommiſſario datur duplex actio in rem, & hypothecaria, ut alienata ultra dodrantem revocentur, ut facilius quartam conſequatur auxilio plurium actionum : quo conſilio legati & fideicommiſſi nomine dantur tres actiones, actio ex teſtamento, quæ eſt perſonalis, in rem, & hypothecaria ; *l. 1. ſupr. commun. de legat.* Heres rogatus reſtituere *quidquid ex hereditate ſuperfuerit*, poteſt alienare uſque ad dodrantem, ita ut quarta ſalva permaneat : tamen & reſiduum quadrantem attingere ſeu deminuere poteſt ex juſtis cauſis, puta dotis, vel donationis propter nuptias, vel redemptionis captivorum, vel alimentorum cauſa, ſi aliunde non habeat ; & quarta ipſa diminui poteſt in ſubſidium deficientibus propriis bonis, non ſolum pro conſtituenda, ſed etiam pro reſtituenda dote, ut notat *gloſſ. h. loc. & in auth. res quæ, ſupr. commun. de legat.* Quod ſi heres rogatus reſtituere *quidquid ex hereditate ſuperfuerit*, nihil deminuerit, heres ejus dodrantem retinebit, quem ipſe heres retinere potuit & ſolum quartam reſtituet, ut recte docet *gloſſ. hoc loco*, arg. *l. quamquam, infr. ad l. falcid.* ne induſtria & diligentia ſua ſibi infructuoſa ſit ; *l. ult. C. de alluvionib.*

L. 7.

HEreditas pupillo delata non poteſt adiri per tutorem ſine pupillo, ſed per pupillum ipſum tutore auctore ; *l. pupillus*, † *ff. de adqu. hered.*

ita ut pupillus ſolemnia aditionis peragat tutore auctore. Tutor verò ſine pupillo non poteſt adire hereditatem, niſi pupillus infans ſit; *l. potuit*, *l. ſi infanti*, ſupr. *de jur. deliber.* Sic & ſi hereditas ex cauſa fideicommiſſi reſtituenda ſit pupillo, non poteſt reſtitui pupillo, niſi tutore auctore; *l. reſtituta*, §. † *ſed etſi pupillo*, *l. ſervo invito*, §. *ſi pupillo*, *ff. h. tit. l. obligari*, §. *hereditatem* † *ff. de auctor. tutor.* ne ſc. pupillus temere adeat vel recipiat damnoſam hereditatem, & inſciens obligetur oneribus hereditariis; reſtitutio enim hereditatis, non ſpectatur ut ſolutio tantum, ſed ut ſucceſſio, quæ obligat oneribus hereditariis; *l. non enim*, *ff. h. tit.* Certe fideicommiſſaria hereditas tutori ſoli reſtitui poteſt, ſi pupillus fari non poſſit vel abeſſe noſcatur, ne dum nimia ſubtilitate utimur in rebus pupillaribus, ipſa ſubtilitas in pupillorum perniciem vertatur: quam ob cauſam nimia ſubtilitas reprobatur & in caſu *l. ſi quis heredem*, *de inſtit. & ſubſtitut.* Fideicommiſſaria quoque hereditas reſtitui poteſt curatori furioſi; quia furioſus comparatur pupillo, qui fari non poſſit, quia ſenſu & certa voce caret; quis enim ſenſus, quæ vox certa furioſo eſſe intelligitur? Et quidem ſoli tutori; ſi pupillus infans ſit, vel curatori furioſi, fideicommiſſum † reſtitui poteſt, etiam ſine onere fidejuſſionis vel cautionis de rato; quia hereditas non reſtituitur tutori vel curatori tamquam nudo procuratori, ſed tamquam idoneo defenſori, qui domini loco habetur; *l. tutor qui 27. ff. de adm. tutor.* Et utroque caſu reſtituens fideicommiſſariam hereditatem, pleniſſimam ſecuritatem conſequitur, ut additur in *fin. h.* † §. An tutori pupilli infantis, vel curatori furioſi, fideicommiſſum tuto reſtitui poſſet ſine judice, dubitatum eſt, quod tutori vel curatori tuto non ſolvitur ſine ſententia judicis; *l. ſancimus 25.* ſupr. *de adm. tutor.* ſed tamen reſtitutio fideicommiſſi tuto fit tutori pupilli infantis vel curatori furioſi abſque ſententia judicis, ne nimia ſubtilitas in eorum perniciem vertatur.

§. *cum autem*.

EX SC. *Trebelliano* actiones hereditariæ non transferebantur in fideicommiſſarium, niſi reſtituta hereditate re, id eſt facto, vel verbo; *l. 1.* §. *de illo*, *l. reſtituta*, *l. facta*, *ff. h. tit.* ſed ex conſtitut. Juſtiniani, quæ legitur in *hac l.* actiones utiles ipſo jure tranſeunt in fideicommiſſarium ſine reſtitutione, ſi heres rogatus ſit in mora: puta ſi dolo vel per contumaciam, ante vel poſt litem conteſtatam, vel morte præventus, nullo herede relicto, non reſtituerit hereditatem, vel fideicommiſſarius, cui reſtituta eſt hereditas, rogatus ſit alii reſtituere hereditatem, & moram faciat in reſtituendo, actiones utiles ipſo jure, id eſt poteſtate legis ſine reſtitutione, tranſeunt in fideicommiſſarium. Ut hoc jus induceretur opus fuit conſtitutione, & Ulpianus hac de re conſtituendum eſſe putavit, id eſt rem egere conſtitutione: immò & hodie jure canonico actiones & jura tranſeunt in fideicommiſſarium, ſine reſtitutione, verbo, vel re; *cap. in præſentia*, *de probat.* Ex hac conſtit. actiones directæ non transferuntur in fideicommiſſarium, ſed utiles tantum. Etiam reſtituta hereditate, actiones directæ non tranſeunt in fideicommiſſarium, ſed utiles tantum; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, *l. cum hereditas*, *l. ſi heres 70. ff. hoc tit.* actiones directæ manent apud heredem etiam reſtituta hereditate, quia heres rogatus, etiam reſtituta hereditate heres permanet; §. *reſtituta*, *inſt. de fideic. heredit.* qui ſemel eſt heres, numquam deſinit eſſe heres; *l. ait prætor*, §. *ſed quod Papinianus*, *ff. de minorib.*

Plaut. in † Curcul. 1. 3. 48. & ſeq.

Quouſque, quæſo, ad hunc modum
Inter nos amore utimur ſemper ſurreptitio?

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A.

ABlativus abſolutus quid inducat. 269.

Abſens an vincat interdum. 392. an & quando poſſit conveniri. 336.

Abſtentionis, quæ fit ipſo jure, quis ſit effectus. 180.

Abſtinente ſe an prætor habeat heredis loco. 201.

Abſumptum non videtur quod verſum eſt in corpus patrimonii. 341.

Abſurdum eſt, magis dilectum, magis gravari. 256.

Acceptilatio facta juſſu mulieris an diſſolvat dotis promiſſionem. 55.

Acceſſiones acceſſionum an admittantur. 14.

Actio ex teſtamento in quibus ſimilis eſt actionibus bonæ fidei. 22. 28. 307. cur non adquiratur per procuratorem, & quæſita retineatur. 19. cur directa de dolo non detur adverſus uxorem. 71. ſepulcri violati non eſt hereditaria; tranſit tamen in heredem, & quare. 140. an quæ datur fideicommiſſi nomine ſit proprie actio. 273. quæ datur in heredem, qui non ex integro reſtituit. 319. pigneratitia quid proprium habeat. 320. 352. operarum an tranſeat ad fideicommiſſarium. 341. ſemel extincta an reviviſcat. 347. ſubrogata cujus naturam & conditionem adſumat. 357. ſubſidiaria cur & quando detur fideicommiſſario. 361. redhibitoria quid ſit, & quamdiu duret. 362. legis Aquiliæ an ſit hereditaria, & heredi competat. 368. an ſit mere pœnalis, & cui detur, & in quem. *ibid.* Pauliana & edictum fraudatorium ad quid dentur. 370. an cedendo actione liberetur, qui tenetur ex eo quod habeat actionem. 372. quibus caſibus teneatur quis præſtare actionem, quam habet. 374.

Actiones directæ efficaces ubi ſunt an utiles ſint neceſſariæ. 372. quæ transferuntur ipſo jure a primo in ſecundum fideicommiſſarium. 275. quo modo transferantur in fideicommiſſarium. 290. de novo adquiſitæ an tranſeant ad fideicommiſſarium. 318. confuſæ per aditionem, an reſtituantur reſtituta hereditate. 318. 375. an omnes præter directam tranſeant. 330. quibus caſibus ipſo jure tranſeant ſine reſtitutione hereditatis. 357. prætoriæ, quæ ſint temporales, quæ perpetuæ. 362. temporales in quibus differant a perpetuis. *ibid.* civiles quæ ſint, & quamdiu durent. *ibid.* hereditariæ, quæ tranſeant ad fideicommiſſarium. 368. directe & utiles an concurrere poſſint in eadem perſona. 373. legati & fideicommiſſi nomine quare tres dentur. 399.

Adiens hereditatem certus eſſe debet de jure ſuo. 135. 141. 142. an recte adeat qui ſe credit ſervum, cum ſit liber. 172. 173. adiens contrahere videtur cum creditoribus. 194. adiens ex inſtitutione an poſſit pupillarem ſubſtitutionem repudiare. 193.

Aditio hereditatis in quibus differat ab agnitione bonorum poſſeſſionis. 128. quid ſit, quid cretio, quid geſtio pro herede, quid immixtio, & in quibus differant, 136. 137. 138. 180. aditio & repudiatio an eodem jure regantur. 143. an magis ſit animi, quam facti. 161. quibus verbis fiat. 162. 188. qui ſint ejus effectus præcipui. 137. 163. an ſit individua. 175. ſolemnis & expreſſa quomodo differat a tacita. 188. an coacta, ſit etiam aditio, & quare. 291. 295. an ſemper ſolutionis loco ſit. 320. 364. aditio hereditatis, & ejus reſtitutio quantum ad juſſum patris vel domini quomodo differant. 364. quæ fit tutore auctore quomodo differat ab ea, quæ fit per tutorem. 181. 366. coacta in quibus videatur aditio, in quibus vero non videatur. 367.

Æris alieni perſonalis actio an fundum ſequatur. 278. æs alienum an ſit loci, an univerſarum facultatum. *ibid.* an ipſo jure minuat quartam. 281.

Æſtimatio an ſit vice rei. 122.

Ætas legitima quæ cenſeatur. 272.

Agere ex contractu an is poſſit, qui non

implevit ex ſua parte. 381. agere non valenti aut impedito non currit præſcriptio. 198. 224.

Alienare intelligitur qui patitur uſucapi. 231.

Alienatio fundi ab herede gravato facta an & quando revocetur. 315. rerum fideicommiſſo ſubjectarum an & in quantum & quomodo valeat. 283. 312. 315.

Alimenta an perpetuo relicta intelligantur. 259.

Ambitio in jure quid ſæpe ſignificet. 365.

Amittere & omittere hereditatem quomodo differant. 125.

Annua plerumque dantur alimentorum nomine. 80.

Annus impletus an inceptus expectetur. 206. 232. 233. an inceptus habeatur pro completo quoad honores. 377.

Antichreſis quid ſit. 32. expreſſa quid differat a tacita. 33.

Appellationis cauſa an poſſit agi μονομερῶς. 392.

Arbitratus & conſilium quomodo differant. 218.

Arbitrium boni viri an ſemper certum ſit. 70.

Arenarii ſpontanei an ſint infames. 286.

Auctoritas curatoris dolo malo interpoſita rata non habetur. 66. tutoris in adeunda hereditate an valeat ſine ipſius pupilli voluntate & actu. 187.

B.

Beneficio legis indignus eſt qui committit in legem. 197. 198. beneficio nos adjuvari non decipi oportet. 117. beneficium legis an ſit perpetuum. 168. non debet porrigi in alterius injuriam. 8. beneficium reſtitutionis non debet eſſe damnoſum alteri. 185. 390. quare non habeat locum in tranſactionibus. 389. beneficium inventarii quid præſtet. 375. beneficium ſeparationis bonorum quibus detur. 370. beneficium poſtulans in alterius injuriam an audiatur. 293.

Bona venalia pendere ſub haſta in vacuum quid ſit. 62. bona vacantia cui deferantur. 287. bona, reſtituta hereditate ante diem fideicommiſſi, an præmortuo fideicommiſſario redeant ad heredem quaſi donata. 337. bona patris an re vera ſint filii vivo patre 370. bona teſtatoris an pupilli contineantur fideicommiſſo, in quod directa pupillaris converſa eſt. 379.

Bonæ fidei poſſeſſor & fructuarius in quibus conveniant, & in quibus differant. 20. 21. an lite conteſtata incipiat eſſe malæ fidei poſſeſſor. 20.

Bonis publicatis ob delictum heredis an filius hereditatem adquirat cum ſua cauſa & onere. 285. bonis paternis ſe abſtinens an impune ea emere poſſit per intermediam perſonam. 383.

Bonorum poſſeſſio an ſit mixti imperii 189. an valeat præmature agnita. 190. bonorum appellatione adjecta hereditati an fideicommiſſum videatur particulare potius, quam univerſale. 299.

Bonum nomen quis præſtet. 57.

C.

Capacitas quo maxime tempore ſpectetur. 177.

Captioſe præveniendæ non eſt alterius diligentia. 168.

Caſus neceſſitatis excludit ſubtilitatem juris. 65. caſus omiſſus an remaneat in diſpoſitione juris. 82. 103.

Cauſa quid ſit. 7. 203. quid diſtet a pœna. 211. finalis quid diſtet ab impulſiva. 203. legati an cohæreat legato. 212. cauſa omnis in quibus actionibus præſtetur. 7.

Cautio omnis incerta & fragilis eſt. 297. 363. cautio prætoria de fideicommiſſo univerſali interpoſita, quid diſtet a conventionali. 326. cautio, & ſatiſdatio quomodo differant. 368. cautio fideicommiſſi quomodo differat a fructuaria. 248. 399. cautio Mutiana in quibus locum habeat. 208. 209. V. infr. *Mutiana*.

Circuitus quare vitandus eſt. 343.

Clauſulæ codicillaris quis ſit effectus. 379.

Coactæ aditionis pœna. 289. coactio adeundæ hereditatis quare ſit ſuperflua. 285. coacto adire quænam auferantur, aut non. 342. 343. coactus adire an alieno periculo adeat. 285. 291. 335. quid amittat, quid retineat. 291. 292. 320. an retineat quartam ab his, qui non coegerunt. 300. an falcidiam inducat. 297. an amittat hereditatem per ſervum quæſitam. 315. quare amittat quartam, & retineat fructus pro cultura & cura. 316.

Collegium & collegiati quomodo differant. 277.

Commendatio an habeat vim fideicommiſſi. 385.

Communio quæ ſolet eſſe inter virum & uxorem. *ibid.*

Communis opinio pro veritate habetur. 150.

Compenſatio an poſſit opponi ad morandam actionem dotis. 108. 123.

Con-

Digitized by Google

Conditio nuptiarum de quibus nuptiis intelligatur. 64. conditio quid. 202. conditio facti & conditio juris quomodo differant. 141. 142. 153. 193. cujus eventus nihil operaturus eſt an ſit expectanda. 162. tacita an ſuſpendat actum. 202. deficiens an faciat deficere diſpoſitionem. *ibid.* reſolutoria an proprie ſit conditio. *ibid.* collata ad præſens vel præteritum an habeat vim conditionis. 203. omnino extitura an pro conditione habeatur. *ibid.* pro pacto & lege contractus ſumpta. *ibid.* conditio, demonſtratio, modus & cauſa, in quibus differant. 203. 204. impoſſibilis cur vitiet in contractibus, & vitietur in teſtamentis. 205. quibus caſibus pro impleta habeatur. 207. 212. 224. 262. an deficiat quæ caſu extinguitur. 208. ut mater ſit cum liberis quomodo ſit accipienda. 209. an ſemel defecta reſumatur. 210. juris jurandi quibus remittatur. 214. 217. viduitatis adſcripta in teſtamento cui remittatur & quare. 215. 241. 242. 365. pluribus in teſtamento appoſita, an in ſingulos diviſa videatur. 216. 230. hæc, ſi in capitolium non aſcenderit, cur aliter in legatis, aliter in inſtitutionibus accipiatur. 219. quando deficiat. 220. an ſit onus. 224. quando cenſeatur repetita in ſubſtitutione. *ibid.* exiſtens an retro trahatur ad tempus mortis. 227. an impleri poſſit invito eo, in cujus perſona implenda eſt. 229. an impleatur per æquipollens. 231. an nuda voluntate dari poſſit, & remitti in eodem teſtamento. 235. an cum ſemel exſtitit retro trahatur ad tempus contractus. 243. an tacita faciat legatum conditionale. 344. an aliquando ſumatur pro modo. 345. non faciendi an aliquando habeatur pro impleta. 250. emancipationis adſcripta inſtitutioni, an cenſeatur repetita in legatis. 252. disjunctiva an & quando reſolvatur in conjunctivam. 254. in quibus differat a mora. 255. collata in perſonam pupilli an a pupillo impleri poſſit ſine tutoris interventu. 254. ſi rationes reddiderit an ſit mixta in dando, & faciendo. 258. ſemel impleta an reſumatur. 262. 306. 380. adjecta heredi inſtituto an cenſeatur repetita in ſubſtituto. 262. defecta quæ reſumatur in annuis legatis. 265. ſi ſine liberis, quando deficiat 252. 306. & *ſeqq.* an & quando intelligatur in fideicommiſſo relicto a filio. 377. de quibus liberis intelligatur. 399. ſi ſine liberis deceſſerit, quomodo differat a conditione ſi liberos non habuerit. 305. ſi ſine herede deceſſerit, quare de liberis accipiatur. 306. ſi ab herede ſatis non exegerit an habeatur pro remiſſione cautionis. 266. exiſtens an efficiat ne res legata ſit heredis. 267. caſualis quomodo differat a poteſtativa. 205. 211. 268. faciendi, quomodo diſcrepet a conditione dandi. 271. an voluntate, aut ſermone fiat. 213. 214. conditiones negativæ quo remedio impleantur. 208. 213. 365. mixtæ quæ ſint, & quando impleri poſſint. 210. quo ſenſu dicantur individuæ. 216. ad quid duæ disjunctivæ pro una habeantur. 217. qua forma implendæ ſint, & an ſint ambulatoriæ. 229. an ſui natura cohæreant perſonæ, in qua primum ſunt conſtitutæ. 235. quæ dicantur facto conſiſtere. 237. 238. quæ fictionem non recipiant. 252. 272. quæ tacite inſunt, ad quid non faciant conditionalia legata. 263. 268. quæ poſſint per alium impleri. 325. quæ non pertineant ad officium prætoris. 326. conditionum variæ ſpecies & differentiæ. 238. disjunctivarum an indiſtinctæ aliam implere ſufficiat. 254.

Confeſſi in jure an pro judicatis habeantur. 201.

Conſentire an videatur, qui verecundia non contradicit. 104.

Contractibus inſunt quæ ſunt moris & conſuetudinis. 326. contractus cur recipiant incrementum fructuum, non fideicommiſſa. 345.

Contumacia heredis an purgetur pœnitentia. 297.

Conventio, ut fructus dotis ſit in dote, an valeat. 69.

Copia inſtrumentorum hereditariorum quibus fiat. 147. 148. copia probationum unde pendeat. 258.

Creditor inſtitutus a debitore an detrahat debitum & falcidiam. 338. inſtitutus, & rogatus reſtituere quidquid ex hereditate ſuperfuerit, an imputet in debitum quæ conſumpſit. 391. oneroſus & gravis non eſt audiendus. 23. an cogatur per partes accipere. 27.

Cretifodinæ, auri vel argenti ſodinæ, an ſint in fructu. 97.

Cretionis ſolemnitas an ſublata. 191.

Culpam objicere non poteſt is, qui lucrum ex ea ſentit. 111.

Curator ultra vires bonorum dotem conſtituens an teneatur in ſolidum. 75.

D.

Damnatus ad triremes cur amittat jus eligendi. 305.

Damnum dediſſe videtur qui dedit occaſionem damni. 171. damnum heredita-

Digitized by Google

tis unde ſuppleatur. 327.

Dare cur videatur qui non adimit quod adimere poteſt. 379.

Datum heredi conditionis implendæ cauſa an veniat in reſtitutionem fideicommiſſi. 229. an imputetur in falcidiam, & Trebellianicam. *ibid.* an ex voluntate defuncti, aut magis ex voluntate dantis capiatur. 292. an & quomodo repetatur reſciſſo teſtamento. 228. ſub una conditione an ſub contraria intelligatur ademptum. 225. datum vel legatum mihi videtur quod contemplatione mea alii datum vel legatum eſt. 160.

Debitor an liberetur naturali interitu rei. 19. hereditarius an lucrum conſequi poſſit ex culpa heredis in fraudem fideicommiſſi. 361. an liberetur ſolvendo heredi ante reſtitutam hereditatem. 363. an cogatur invitus ex delegatione mutare creditorem. 92.

Delegatio an ſit pro juſta præſtatione. 251.

Deliberans an cogi poſſit adire & reſtituere. 290.

Delictum, quod impedit indulgendum, an tollat indultum. 172.

Demonſtratio quid, & an abeat vim conditionis. 203. 212.

Denuntiatio creditoris an conſtituat debitorem in mora. 21. 22.

Deportatus an habeatur pro mortuo. 115. 305. quid amittat, quid retineat, & quid differat a damnato in metallum. 237. 238. 305.

Deſideria morientium ex arbitrio viventium colliguntur. 380.

Detractio duplicis quartæ quibus permittatur. 395.

Dies interpellat pro homine. 12. non expectatur, cujus eventus nihil novi allaturus eſt. 172. petendæ bonorum poſſeſſionis cui & quando cedat. 179. incertus an faciat conditionem. 204. 205. 252. adjectus legato mulieri relicto, ſi nupſerit, an ſit expectandus. 249. adjectus favore heredis quid differat ab adjecto favore fideicommiſſarii. 307. 355. inceptus in quibus habeatur pro completo. 332. 333. pubertatis appoſitum legato an conditionem contineat. 376. 377.

Difficile in jure pro impoſſibili habetur. 359.

Diſpoſitio hominis facit ceſſare diſpoſitionem legis. 156. diſpoſitio quælibet an explicetur actu primo. 241. quando pro parte deficiat. 378.

Divortium an pro contractu habeatur. 79.

Dolo non facit qui reſtituturus eſt alii, quam quem convenit. 116. dolus auctoris an noceat ſucceſſori. 118.

Dominium transfertur in eccleſiam ſine traditione. 357. pignoris diſtracti an transferatur in heredem. 383. an permutare videatur qui rem emit ex pretio rei venditæ. 384. an transferatur in heredem ſine apprehenſione. 356. bonitarium quid diſtet a quiritario. *ibid.*

Dos adventitia quid. 41. cum judicio petitur, vel ultro ſolvitur, an, patris & filiæ requiratur voluntas. 93. an cedat lucro mariti. 41. quot modis dicatur perpetua. 38. an ſit donatio vel contractus. *ibid.* an eſſe poſſit ubi matrimonium non eſt legitimum. 39. quot modis fiat profectitia, quot modis adventitia. 39. 40. 41. 42. 56. an detur titulo oneroſo. 44. 50. quæ dicatur nulla. 44. 51. 69. an invita filia patri reddi poſſit ſoluto matrimonio. 52. an ſemel data filiæ poſſit adimi vel minorari. *ibid.* an promiſſa filiæ reſolvatur per emancipationem. *ibid.* an poſſit ſubſtitutione vel fideicommiſſo gravari, aut adimi per exheredationem. 52. 59. an dupletur ſi promiſſam ab alio maritus ſtipuletur ab uxore. 53. ubi eſſe debeat. 63. an minuatur propter impenſas neceſſarias. 63. 64. quota die redderetur jure veteri. 79. receptitia quid. 83. 102. a patre data in quibus differat a data ab extraneo. 83. an ſit vice legitimæ, & illius repræſentatio. 92. an deduci poſſit ex bonis fideicommiſſi transverſalis. 312. an prælegata contineatur fideicommiſſo. 338. 388. an cadat in fideicommiſſum. 338. an imputetur in falcidiam. 338. 355. an conſtante matrimonio reddi poſſit uxori. 73. an repeti poſſit. 105. 106. an videatur communis, & quæ colligantur ex ea communione. 63. quaſi dos quid. 73. dotale prædium an conſtituatur ſola conventione. 89. dotales dicuntur fundi piſtrinorum adſcripti emolumentis piſtrorum, & quo jure. 85. dotatam eſſe filiam cur patris interſit. 38. an contra dotem ſit conventio, quæ mulierem ſuperſtitem facit indotatam. 72. in dotem data quo modo repetantur. 45. dotem an numeratio an cautio faciat. 49. dotem datam repeti dum ſperatur matrimonium incivile eſt. 74. dotem promittens extraneus cui teneatur. 54. in dote quæ ſumatur interpretatio. 53. an dote per acceptilationem conſtituta, nuptiis non ſecutis, priſtina maneat obligatio. 58. ex dote reddenda quomodo paciſci liceat. 79. an do-

te

Digitized by Google

te prælegata uxori, dotis uſuræ legato contineantur. 87. de dote actio an & quando detur patri. 92. quo jure communis ſit patri & filiæ. 93. an denegetur patri. 104. quando fiat propria filiæ. 112. 113. an conſtante matrimonio mulieri competat. 123. an doti compenſatio poſſit opponi. 108. 123. dotis actio an invito domino adquiratur. 60. dotis æſtimatæ vel non æſtimatæ periculum ad quem pertineat. 46. 47. 49. 50. dotis æſtimatio an ſit ſimplex venditio. 50. dotis condirio an pactis deterior fieri poſſit. 52. dotis datio an ſit donatio. *ibid.* dotis modus qualis conſtituendus ſit. 66. 70. dotis petitio an tacite remittatur ſilentio longi temporis. 69. dotis cauſa an deterior fieri poſſit dolo aut culpa mariti. 79. dotis promiſſio an ſit ſpecies donationis. 83. dotis exigendæ dilatio quare non ſit donatio. *ibid.* dotis repræſentatio an ſit quædam donatio. 106. dotis prælegatum in quantum ſit utile. 337. 338. dotis legatum an ſit proprie legatum. 388. an dotis acceptio probetur ex præſtatione uſurarum dotis 11. dotis cauſa an ſemper ſit privilegiaria. 38. dotis favore ad quid cogatur heres. 46.

Dubitans de ſtatu teſtatoris, aut de ſtatu ſuo, an poſſit adire. 153. dubitans quid diſtet ab errante & ignorante. 173. dubitationis tollendæ cauſa contractibus appoſita an jus commune lædant. 10.

Duplicis quartæ detractio quo jure ſit introducta. 395.

E.

Eadem an admitti poſſit ad legatum ut nupta & ut vidua. 249. 264.

Edictum de alterutro quid ſit. 104. an hodie ſublatum ſit. *ibid.* & 338.

Effectus actus legitimi an aliqua mora poſſit ſuſpendi. 174. effectus clauſulæ codicillaris quid ſit. 379.

Electa inepta actione, an videatur perempta idonea. 185.

Electio an magis ſit facti, quam juris. 305. electionis ſumptus an debeat fieri de menſa eccleſiæ. 197.

Electio an ſit legatarii cui pareat conditioni. 234.

In emancipatione quid magis ſpectetur, an jus & poteſtas legis, an beneficium & voluntas patris. 215.

Emere rem meam an poſſim. 263.

Emptor an præſtet uſuras medii temporis. 17. bonæ fidei an deſinat eſſe bonæ fidei ob ſupervenientem ſcientiam rei alienæ. 20. fundi an teneatur ſtare locationi venditoris. 109.

Enunciativa verba an ſufficiant ad fideicommiſſum. 384.

Epiſtola quid ſit. 354. an fieri poſſit inter præſentes. *ibid.*

Error jubentis adire an vitiet aditionem. 173. in ætate an facti ſit, an juris. 184. in nomine quando an vitiet. 212.

Evictio an præſtetur pro Trebellianica. 374. an præſtetur pro prælegatis. *ibid.* evictionis poteſtas an tollat intellectum reſtitutionis. 344.

Exceptio doli mali oppoſita quam vim habeat. 101. quæ cohæret perſonæ an proſit fidejuſſoribus. 99. 100. 181. quæ poſſit opponi in exceptione rei judicatæ. 101. an reſtitutæ vel reſtituendæ hereditatis adjuvet heredem. 318. bonorum maternorum an inducat fideicommiſſum bonorum paternorum. 393. quare inutilis ſit in fideicommiſſo a patre relicto. *ibid.*

Executio ſententiæ quo remedio ſuſpendatur. 365.

Executores teſtamentarii quibus in caſibus habeant actionem contra heredem. 381. an poſſint implorare officium judicis cum non habeant actionem. *ibid.*

Exheredatio an vires habeat non adita hereditate ex teſtamento. 107. an tollat dotem ante datam filiæ. 52. 59. an poſſit ab uno gradu fieri. 376. exheredatus an pro mortuo habeatur. 129.

Exiſtentia ſui heredis quid confirmet. 157. 363.

Expreſſa figura conditionis an plus valeat quam tacita. 234.

Expromiſſor quis. 121.

Extraneus quomodo efficiatur heres. 186.

F.

Factum an tranſeat a ſervo in dominum. 229. factum omne incertum eſt. 9.

Falcidia non deducitur ex legato pauperibus relicto. 377. ejuſdem detractio an heredi tantum data ſit. 360.

Falſa cauſa quando vitiet vel non vitiet legatum. 213. 249. quæ confertur in futurum an habeat vim conditionis. 378.

Falſa conditio an vitiet legatum. 250.

Falſa demonſtratio an vitiet diſpoſitionem. 203. 212. an faciat legatum. 221. 250.

Fideicommiſſa ex quo jure profecta ſint. 273. an ſint onera. 275. 372.

Fideicommiſſarius an ſit heres. 229. 274. an vere dominus efficiatur poſt reſtitutionem. *ibid.* an detrahat quartam ex legatis.

Digitized by Google

279. an Trebellianicam. 280. cui pars hereditatis reſtituta eſt an teneatur pro rata ad onera . *ibid.* qui coegit adire quo jure utatur . 281. an ille tantum, ad quem tranſeunt actiones, cogere poſſit . 297. an habeat fideicommiſſariam hereditatis petitionem adverſus heredem . 319. an alium delegare poſſit, cui ſe heres obliget . 329. an poſſit conſequi quod ad heredem pervenire non potuit . 339. an qualiscumque pro legatario habeatur quoad falcidiæ deductionem . 342. quid juris habeat in rebus hereditariis ante reſtitutionem . 356. an indigeat uſucapione, ut fiat legitimus & quiritarius dominus rerum hereditariarum . *ibid.* ex quibus legatis falcidiam detrahat . 360. ubi conveniendus ſit . 369. an heredis, an defuncti perſonam repræſentet . *ibid.* quid amittat, quid fiſcus vindicet . 370. an ſecundo fideicommiſſario imputet quartam ab herede detractam . 386.

Fideicommiſſum familiæ relictum an graduale inducat . 269. quando transmittatur ad heredem fideicommiſſarii . 301. an ſemel extinctum reviviſcat . 306. quibus verbis inducatur . 308. quomodo probetur . *ibid.* an ultra vires relictum, ex fructibus ſupplendum ſit . 321. quo jure tranſeat ſine reali reſtitutione . 329. quomodo ſpectetur in ponenda ratione legis falcidiæ . 329. 330. an præſtitum ex minus ſolemni teſtamento condicatur ut indebitum . 335. an tranſeat ad heredem fideicommiſſarii . *ibid.* relictum impuberi ad tempus pubertatis an ſit purum . *ibid.* an teſtamento, codicillis, epiſtola, nutu relinqui poſſit . 354. 378. an verbis directis ad fideicommiſſarium relinqui poſſit . 354. an a ſuccedentibus ab inteſtato relinqui poſſit . 361. 379. 394. quando nam pro partibus hereditariis aut virilibus debeatur . 383. a quo relinqui poſſit . 394. purum quid diſtet a conditionali & in diem. 395. quis præſtare teneatur . *ibid.* ab uno herede relictum an cenſeatur ab alio tacite repetitum . 396. tacitum an varias habeat ſpecies . 303. an hæc verba fideicommiſſi, *quod ex hereditate ſuperfuerit*, deminutionem hereditatis admittant, an fructuum additamentum . 351. 352. an relictum pupillo, tutori reſtitui poſſit . 192. 366. 400.

Fidejuſſor pro dote danda vel reſtituenda a quo dari poſſit . 62. 63. an teneatur de uſuris . 22. fidejuſſorem idoneum accipienti an aliquid imputari poſſit, ſi poſtea fiat non ſolvendo . 250. 251. fidejuſſores non idoneos admittens an alios exigere poſſit . 57.

Fiduciarius heres an teneatur reſtituere quicquid minus impendit . 387.

Filiæ cur interſit, dotem potius actione de dote repeti, quam condictione indebiti . 115. filia an imputet fructus fideicommiſſi in dotem . 313. an paciſcens matri dotem reddi, matri quærat actionem . 353.

Filius heres inſtitutus an poſſit ſine juſſu patris adire, aut implere conditionem . 128. 129. an accipiens a ſtatulibero conditionis implendæ cauſa relictum poſtquam abſtinuit, aliquando videri poſſit pro ſuo gerere . 139. 140. quibus caſibus adire poſſit ſine juſſu patris . 144. an morte ſua poſſit facere deteriorem conditionem patris . 148. in quibus, patre furioſo, pro patref. habeatur . 162. an patre invito, ſicut ſervus domino, adquirat . 174. an hodie poſſit adire hereditatem adventitiam ſine juſſu patris . 182. 187. 301. magis provocandus eſt meritis ad paterna obſequia, quam pactionibus adſtringendus . 183. ſolvens æs alienum patris an agnoviſſe hereditatem videatur . 186. an ſi ſit inſtitutus fideicommitti patris nomine poſſit . 276. an amittat legitimam, vel Trebellianicam, ſi non fecerit inventarium . 192. quomodo probetur. 258. an mortis cauſa donare poſſit ipſi patri conſentienti . 277. in quibus non ſequatur jus poteſtatis . 295. an omnino ſit adquiſitionis incapax ſicut ſervus . 301. an naturalis faciat deficere conditionem, ſi ſine liberis . 303. an interſit qua via conſequatur hereditatem . 320. cur dicatur præteritus, licet hereditas ei per fideicommiſſum relicta ſit . *ibid.* quare non amittit legatum, etſi pro parte inſtitutus abſtineat . *ibid.*

Fiſcus an ſuccedat cum ſua cauſa & onere . 11. 111. 113. an uſuras exigat etiam non deductas in ſtipulationem . 27. an ſuccedat ut heres in bonis vacantibus . 195. 287. an ſuccedens in jus privati, jure privatorum utatur . 16. 239. an quartam detrahat reſtituens hereditatem . 285. an heredis loco habeatur . *ibid.* an dicatur adire hereditatem . 287. an omiſſo inventario teneatur creditoribus ultra vires bonorum . *ibid.*

Fœneratores unde dicantur nummularii. 36.

Fœnus quid ſit . 32. an vetitum fuerit ſacerdotibus Paganorum . 36.

Foricarii qui ſint . 16.

Fratrum nomine an contineantur ſorores. 383.

Fraus præſumitur ex eo quod quis emit per interpoſitam perſonam . 182.

Fructus percepti ante petitionem heredi-

Digitized by Google

ditatis an veniant ut acceſſiones. 14. fructuum an eſſe poſſint, an uſuræ uſurarum. 12. an jure ſeminis, an jure ſoli percipiantur. 19. quid diſtent ab uſuris. 25. dotis percepti ante nuptias an convertantur in dotem. 26. 60. an retro trahantur. 94. qui ſint induſtriales, naturales, civiles. 28. pendentes an ſint pars fundi. 97. 334. cujuslibet rei dotalis an ad maritum pertineant. 124. an pendente conditione vel die veniant in reſtitutionem fideicommiſſi. 306. 307. an hereditati accepto ferantur. 306. an debeantur ex mora in legatis & fideicommiſſis, ſicut uſuræ. 307. an perceptis ex rebus donatis, in donatione computentur. 306. an inventi in hereditate tempore mortis pro fructibus habeantur. 307. 316. fundi dotalis, ſoluto matrimonio, quomodo dividantur inter virum & uxorem. 94. 95. 307. an percepti ante moram veniant in reſtitutionem fideicommiſſi. 308. 311. 316. quibus liberis non imputentur in quartam. 308. 345. 397. pendente die vel conditione percepti an judicio teſtantis videantur percepti. 311. medii temporis an veniant in reſtitutionem fideicommiſſi. 321. 352. 358. an imputentur in quartam. 321. 397. an eorum uſuræ & mercedes ante diem fideicommiſſi perceptæ cadant in fideicommiſſum. 351. quando omnes medii temporis veniant in reſtitutionem. 387. percepti poſt aditam hereditatem an veniant in fideicommiſſariæ hereditatis petitionem. *ibid.* an percepti per decennium conſumant quartam. *ibid.* fructuum vice quæ ſint. 326.

Fruſtra legis auxilium implorat qui committit in legem. 198.

Fundus dotalis quibus caſibus a marito poſſit alienari. 85. quaſi dotalis an alienari poſſit. 86. ad dotem deſtinatus an ab ſponſo poſſit alienari. *ibid.* dotalis proprie quis ſit. 90.

Furioſus an poſſit adire & reſtituere. 327.

Furtum rei communis an committatur a ſocio. 6.

G.

GEneralis confirmatio an pertineat ad id quod ſpecialiter ademptum eſt. 322.

Genero centum legatis a patre filiæ dotis cauſa an utrique competat actio. 247.

Gerere non videtur pro herede, qui patrem funeravit, & quare. 186.

Gravandus non eſt heres ſatisdationis onere, & quare. 372.

Gravatus in uno, relevandus eſt in alio. 238.

Gregem ex agnatis ſuppleri oportet. 351.

H.

HEreditas cui poſſit ex Trebelliano reſtitui. 65. an adita ſemel, remaneat hereditas. 125. 141. 307. an ſcindi poſſit. 125. 173. 276. an nondum delata repudiari poſſit. 127. quot modis adquiratur vel amittatur. 125. an ſit in operis ſervi. 143. an non adita transmittatur ad heredem. 148. an licet non transmittatur, jus tamen deliberandi & adeundi transmittatur. 192. non agnita in ſuis heredibus, ad quos transmittatur. 187. an collateralium non adita transmittatur ad ſuos. 188. quomodo adquiratur. 189. infanti delata, eo mortuo impubere, quo jure devolvatur ad patrem. 191. an ſit individua, & per eam jus adeundi. 166. 192. 193. quomodo differat a bonorum poſſeſſione. 292. 293. an, ſicut bona, non intelligatur, niſi deductis oneribus. 298. quare ſuſpecta dicatur. 316. an per procuratorem adquiri & reſtitui poſſit. 329. 367. an pro reſtituta habeatur hoc ipſo quod coactus heres adiit. 333. 369. 370. an ſervo reſtitui poſſit antequam liber factus ſit. 342. an medio tempore quæſita per ſervum hereditarium veniat in reſtitutionem fideicommiſſi. 358. an adquiratur ſine prehenſione rerum hereditariarum. 367. an ſine corpore, juris habeat intellectum. *ibid.* an abſentis procuratori poſſit reſtitui. *ibid.* an codicillis dari aut adimi poſſit. 378. quibus caſibus habeatur pro reſtituta. 391. an pupillo reſtitui poſſit ſine tutore, & vice verſa. 400. quare poſſit reſtitui curatori furioſi. *ibid.* damnoſa quare ſit hereditas. 155.

Hereditatis aditio an conſiſtat in animo. 135. V. *Aditio*. Hereditatis nomine an veniant legata & fideicommiſſa. 284. 387. hereditatis reſtitutio an ſpectetur ut ſolutio, an ut ſucceſſio. 329. 330. hereditate vendita an teneatur venditor de evictione rerum ſingularum. 155. hereditati quare furtum non fiat. 367.

Heredi an proſit opinio ſua. 150. cur detur tempus ad ineundum inventarium, quod non datur tutoribus & curatoribus. 195. quæ imputentur in quartam. 342. an competat conditio indebiti reſtituta hereditate, non deductis uſuris non exactis. 348. heredis in poteſtate an ſit probare ſe filium defuncti. 258. V. *Filius*. Heredis appellatio ad quos referatur in ſucceſſione feudi & emphyteuſeos. 306. heredis fiduciarii quis fuerit præcipuus uſus. 335. herede recuſante adire & reſtituere, an fi-

Digitized by Google

deicommiſſarius poſſit adire . 367. herede ceſſante in reſtituendo, vel morte prævento ante reſtitutionem , an & quo jure transeant actiones in fideicommiſſarium . 328.

Heres , coactus adire & reſtituens , an ſit extra periculum interdicti fraudatorii . 370. an conventus actione perſonali teneatur pro portione hereditaria . 185. heres mariti quas poſſit compenſationes opponere. 100. heres an etiam pro non idoneis prædiis debeat fiſcalia onera agnoſcere . 126. an poſſit adire inſtitutus partim pure , partim ſub conditione , & an una aditio ſufficiat . 162. 163. 176. extraneus ſubripiens aut amovens rem hereditariam quid diſtet a ſuo . 140. an omiſſam quartam repetere poſſit cum fructibus . 395. ſcriptus , qui ſimpliciter adiit & pure omiſſo inventario, quibus teneatur in ſolidum , quibus vero non . 194. an qui fecit inventarium , ſolvens creditoribus etiam poſterioribus liberetur . 196. omittens vel celans ſciens & dolo malo in conficiendo inventario quomodo puniatur . 197. an reſtituatur adverſus repudiationem hereditatis . 201. 202. qui ſemel extitit , an heres eſſe deſinat reſtituta hereditate . 274. an poſt reſtitutionem fideicommiſſi convenire & conveniri poſſit . 274. 318. quare vel uno ex fideicommiſſariis poſtulante cogi poſſit adire & reſtituere in ſolidum . 276. an poſſit cogere fideicommiſſarium , ut ſibi caveat de evictione fundi , quem retinet loco quartæ . 278. an poſſit onerari ultra vires hereditatis . 279. an ſolus , non fideicommiſſarius , poſſit quartam deducere . *ibid.* an fideicommiſſum præſtans ante diem creditores fraudet . 329. cur omiſſam quartam condicere poſſit . 310. cur cogi poſſit a fideicommiſſario ſingulari . 282. cur rogatus coheredibus reſtituere portionem ſimpliciter , vel bona , vel partem bonorum , reſtituat prælegata : non vero rogatus reſtituere partem hereditatis . 284. an coactus adire & reſtituere in alio locó ; quam ubi domicilium habet , teneatur ſumptus itineris de ſuo facere . 288. 289. an cogatur dicere cauſam recuſationis . 290. an audiendus ſit , dicens teſtamentum nullum & irritum , ceteris ſilentibus . 294. an heredis heres cogatur adire . *ibid.* quandonam cogatur adire ante conditionem . 324. rogatus reſtituere quidquid ex hereditate bonisve teſtatoris ad ſe pervenerit , quibus in caſibus etiam fructus reſtituat . 326. fiduciarius quis ſit , & unde dicatur . 335. fideicommiſſum reſtituens ante diem an poſſit condicere quaſi indebitum . 289. fideicommiſſarii , qui coegit fiduciarium , an teneatur recipere fideicommiſſariam hereditatem . 332. ſcriptus agens vel conventus poſt reſtitutionem , quo caſu non repellatur nec adjuvetur exceptione reſtitutæ hereditatis . 336. ex quibus cauſis nec ſubmoveatur nec liberetur reſtituta hereditate . 342. quorum nominum periculum præſtet . 348. an teneatur uſuras æris alieni ſolvere ex fructibus medii temporis . 348. quare ſolvens uſuras æris alieni non reputat eas fideicommiſſario . 349. an præter periculum mancipiorum & prædiorum urbanorum . 351. rogatus reſtituere quod ſupererit ex hereditate , quos fructus reſtituat . 351. 352. an poſſit compelli per tutorem adire & reſtituere infanti . 366. cur ſimpliciter neceſſarius , non vero ſuus , cogatur adire . 287. 316. ubi conveniendus ſit . 369. an ex perſona ſua privilegio fori utatur . *ibid.* an cogi poſſit , quamvis conſtet hereditatem non eſſe ſolvendo . 371. an teneatur de evictione certæ rei legatæ vel fideicommiſſæ . *ibid.* an teneatur cavere fideicommiſſario de evictione rerum hereditariarum. *ibid.* an teneatur ſatisdare de fideicommiſſo ſolvendo . *ibid.* an rogari poſſit expreſſe , ut aliquem heredem inſtituat . 375. an rogatus reſtituere , pignus per ſe vel per alium recte emet . 383. an poſſit gravari compenſatione quartæ cum debito . 388. an cogi poſſit reſtituere , licet ei de indemnitate non caveatur . *ibid.* an deducat æs alienum illi remiſſum ultro perinde ac ſi ſolviſſet . 393. quam habeat actionem , ut ſolutum conſequatur , qui ſolvit æs alienum hereditarium. 394. rogatus reſtituere quidquid ex hereditate ſuperſit , usque ad quam partem hereditatis alienare poſſit. 399.

Hyperocha quid . 388.

Hypotheca in quibus rebus conſiſtit . 399.

I.

IMaginaria venditio vel locatio quare ſit excogitata . 68.

Impenſæ neceſſariæ quomodo ſerventur . 106. an impenſarum appellatione contineatur pretium fundi . 225. impenſas in fundo factas quatenus repetat heres . *ibid.*

Impoſſibile quid dicatur. 359. impoſſibilis conditio , in quibus pro non ſcripta habeatur . *ibid.* V. *Conditio* .

Improbus eſt , qui ſollicitus eſt de hereditate viventis . 292.

Im-

Impubes an ſemper exheredatione notetur. 253.

Imputatio & compenſatio quomodo differant. 350.

Incapaci an legari poſſit, ut reſtituat capaci. 302. 358. incapax capit propter eum, qui capax eſt. 302. incapax ſolidi inſtitutus ex aſſe cur capiat hereditatem. 302.

Indebito fideicommiſſo ſoluto an actiones cum effectu tranſeant in fideicommiſſarium. 358. indebitum ex fideicommiſſo datum an poſſit repeti. 371.

Indignus eſt judicio defuncti, qui ſupremam ejus voluntatem deſtituit. 206.

Indotata videtur, cujus dos non ſervit oneribus matrimonii. 72.

Infans potuit exheredari in odium mariti. 376.

Inopia patris an excuſat filium, qui ſe immiſcuit. 189.

Inſtitutio directa an & quando trahatur ad fideicommiſſum. 382. an codicillis fieri poſſit. 378. conditionalis an pro pura habeatur ubi conditio extitit. 153. facta ſub conditione leviſſima quare pro pura habeatur. 363. prima quo caſu præferatur ſecunda. 260.

Inſtitutus ſub conditione quando repudiare videatur. 207. ex certa re an habeatur pro legatario. 313. inſtitutus & ſubſtitutus impuberi exheredato, & rogatus reſtituere, quando cogi poteſt. 317.

Interuſurium quid ſit. 107.

Inteſtatus decedens an facile teſtari videatur. 287.

Inventarii beneficium multiplex. 169. & ſeqq. confectio an remitti poſſit. 199. an poſſit prohiberi. *ibid.* inventarium conficiendum quæ potiſſimum requirat. 195. & ſeqq.

Judex an propitiis auribus auditurus ſit mulierem dicentem, cur maritus non urſerit patrem ad ſolutionem dotis. 54. addictus judicio dotis recuperandæ an deſinat eſſe judex in parte quæ ſupereſt. 108. judicis officium quantum valeat in bonæ fidei judiciis. L. 2.

In judiciis omnibus bonæ fidei periculum rei peremptæ ad quem pertineat, ad actorem, an ad reum. 109. in iiſdem, & in arbitrariis, an juretur in litem. *ibid.*

In judicialibus quare liceat pœnitere ante litem conteſtatam. 104.

Juris auctores an intueantur quæ raro eveniunt. 151.

Juris ignorantia in quibus excuſetur. 200.

Jus adcreſcendi an locum habeat inter fideicommiſſarios, tum univerſales, tum particulares. 382. 383. quare locum habeat inter coheredes etiam partes habentes, non inter confideicommiſſarios. 385. an locum habeat inter invicem ſubſtitutos codicillis. 379. quid ſit. 396. inter coheredes quam habeat vim. 152. 154. 163. 396. cur tranſmittatur ad heredes, non jus ſubſtitutionis. 176. 217. quid differat a ſubſtitutione. 177. 217. quo caſu locum habeat inter confideicommiſſarios. 276. 332. quo jure locum non habeat inter legatarios conjunctis verbis & re. 251. jus adeundi per ſe an ſit perpetuum, & quare. 168. 188. an interponi poſſit voce, ſcripto, nutu. 183. jus agnationis repudiari non poſſe, quid. 133. jus aureorum annulorum quid præſtet. 221. jus an amittat quis, quod ſcit ſibi competere, ex eo quod aliud elegerit, quod ſibi quoque competere putabat. 185. jus deliberandi cur petenti non denegetur. 373. jus fiſci an reſtringendum. 239. an facilius remittatur, quam privatorum. 323. jus patronatus cur remaneat apud filium. 331. 342. eccleſiaſticum an tranſeat cum univerſitate bonorum. 331. jus publicum an privatorum voluntate tolli poſſit. 199. jus petendæ bonorum poſſeſſionis an ad heredem tranſeat. 178. jus alteri quæſitum an poſſit alter tollere. 357. jus ſepulcri an remaneat apud heredem reſtituta hereditate. 331. 342. quibus ſervetur. *ibid.* jus vetat tolli liberam teſtandi facultatem. 303. jura an dividantur. 125.

Juſſa nubere, v. g. Titio, an ceteris nubere vetetur. 241. juſſo herede vel legatario monumentum extruere, an poſſit multam teſtator indicere ſi non faciat. 207. juſſus patris in quo diſtat ab auctoritate tutoris. 132. 144. juſſus adeundæ hereditatis an ſit facti, vel juris. 145. quo caſu & quomodo revocetur. 147. 160. an ſolvatur arrogatione jubentis. 147. an poſſit fieri per epiſtolam. 161. an præcedere debeat aditionem, aut ſufficiat ratihabitio. 128. 144.

L.

LApidicinæ an ſint in fructu. 96. earum commodum an ad maritum pertineat. 97.

Lata culpa dolo comparatur. 311.

Latitare quis dicatur. 209.

Legatarius an cogatur parere voluntati teſtatoris contra legem. 223. cur non debeat eſſe durioris conditionis, quam heres, quoad onus præſtandæ cautionis. 230. an

compellatur officio judicis implere modum, præſtito legato ſub modo, & omiſſa cautione, 245. legatarii invicem ſubſtituti quare ſemper pro virilibus videantur ſubſtituti. 313. 314. legatam rem ſubtrahentes an furtum committant. 336.

Legatum, ſervo dotali relictum, cui adquiratur. 67. conditionale cur ante conditionem remitti poſſit, non repudiari. 134. pure & ſimpliciter relictum an ſit præſens. 204. relictum in diem certum quid diſtet a relicto in incertum. *ibid.* ſub modo quid diſtet a conditionali. 223. libertatis quid diſtet a fideicommiſſo. 260. eccleſiæ vel pauperibus relictum cui vel quibus debeatur. 224. relictum ſub conditione, ſi mater morietur, an ſit conditionale. 225. conditionale an legari poſſit a legatario. 227. an debeatur ei, cujus contemplatione relictum eſt. *ibid.* in annos decem, quo die debeatur. 233. in annos ſingulos, quo die debeatur. *ibid.* impuberi, cum pubes erit, an ſit conditionale. 235. 236. Titio, ſi voluerit, an valeat & transmittatur. 244. quid differat a ſtipulatione. 256. 267. libertatis an differat a pecuniariis. 262. ſub conditione relictum & translatum ſimpliciter an videatur ſub conditione translatum. 262. conditionale quæ habeat propria. 267. conditionale an pro puro habeatur aliquando, & vice verſa. 267. partitionis ſeu partiarium an intelligatur, cum quis rogatur hereditatem partiri cum alio. 368. relictum in tempus liberorum an valeat prægnante uxore, ut transeat ad poſtumum. 309. dotis quare ſit utile. 337. 338. an valeat rei ſuæ. 339. legatum & fideicommiſſum ubi præſtari debeat. 369. an præſtetur ultra vires hereditarias. 371. an quod abſorbet majorem partem fideicommiſſi, veniat in reſtitutionem. 284. an transferri poſſit de perſona in perſonam. 382. an ab inſtituto relictum, cenſeatur repetitum a ſubſtituto. 396. conditionale cur non transmittatur ante conditionis exiſtentiam. 204. collatum in mortem heredis, quam conditionem habeat. 255. duobus ex legatis an unum poſſimus amplecti, aliud repudiare. 126.

Legatus an tempore legationis compellatur judicium accipere de adeunda hereditate, quam ſuſpectam dicit. 222. 368. an petens tempus ad deliberandum, & impetrans, cogatur nihilominus adire & reſtituere. 322. an videatur coactus adiiſſe adiens & reſtituens poſt deliberationem. 323. an convenire poſſit a legatariis, & creditoribus hereditariis, ſi tempore legationis ei reſtituta ſit hereditas ex Trebelliano. 368. 369.

Legitima unde detrahenda. 308. quomodo liberis relinquenda. 320. an diem & conditionem recipiat. *ibid.* an gravari poſſit reciproco fideicommiſſo. 355.

Lex ubi deeſt actio danda non eſt. 122. lex *Julia* de fundo dotali non alienando an pertineat ad res mobiles. 54. 58. quare permiſit alienationem fundi dotalis conſentiente muliere, non hypothecam. 85.

Liberi jam concepti quo caſu pro natis habeantur, ut proſint matri. 239. an debeant eſſe deterioris conditionis, quam liberi liberorum. 266. legitimati per reſcriptum Principis an faciant deficere conditionem, ſi ſine liberis. 304. ſuſcepti poſt deportationem patris an id faciant. *ibid.* naturales an id efficiant. 380. exheredari an poſſint ad arbitrium. 376. naturales & ex his nati quare non excludant ſubſtitutum ſi ſine liberis. 380. ſi cum patre pereant an pater illis ſupervixiſſe præſumatur. 266. quod tempus habeant ad petendam bonorum poſſeſſionem. 361. an nepotem & filiam contineant. 398.

Liberi homines an nobis adquirant actionem. 353.

Libertas a quo præſtanda. 257. an ſemel data poſſit adimi. 324. an tacite detur cum hereditate. 339. ſi relicta ſit ab uno, & hereditas ab altero coherede, quis cogatur adire & præſtare. *ibid.* quæ ſit ejus leviſſima conditio. 222.

Liberti an cenſeantur de familia patroni. 269. quibus ex cauſis non amittant legatum relictum dum erunt cum uxore. 209.

Litis conteſtatio quid. 104. æſtimatio, an vim aditionis habeat. 357. æſtimationem præſtans an habeatur pro emptore. *ibid.*

Locationes prædiorum & vectigalium quo tempore fieri ſolerent. 95. locationis merces an ſit vice fructuum. *ibid.*

M.

Macedoniano an locus ſit, cum filius juſſu patris, non avi, mutuam pecuniam accepit. 182.

Major & principalior obligatio an tollat minorem. 373.

Majores arbores fundi an ſint in fructu. 54.

Mandatum generale an ſufficiat in omnibus indiſtincte. 145.

Manumiſſio an vim habeat tacitæ aditionis

Digitized by Google

tis. 186.
Maritus an reſtituatur adverſus æſtimationem dotis. 43. ratione dotis an habeatur loco creditoris, an emptoris. 44. an liberetur naturali interitu rei dotalis. 64. an teneatur oneribus hereditariis reſpondere in ſolidum, an juxta vires bonorum, quæ mulier omnia dedit in dotem. 72. quam præſtet diligentiam, aut pater ejus, qui dotem accepit. 72. 73. an lucretur dotem, ſi uxor ſua culpa perierit. 99. an ſemper utatur exceptione in quantum facere poteſt. *ibid.* an ultra ſolvens ſolidum habeat condictionem indebiti. 100. an poſt ſententiam locupletior factus in ſolidum conveniri poſſit. *ibid.* quare non amittat beneficium legis ob culpam in rebus dotalibus ſervandis. 101. an uxorem furioſam & indotatam teneatur alere. 105. quare teneatur ultro dotem acceptam faciens. 124. an ſoluto matrimonio, non ſatisdans de ſolvenda dote poſt diem, compellatur dotem repræſentare. 337.
Mater in dubio præſumitur infanti ſupervixiſſe. 81. pro filia dotem promittens an juvetur Vellejano. 39. pro filio partem debiti ſolvens an teneatur ſolvere reliquum. 243. quare ſoleat inſtituere liberos ſub conditione emancipationis. 261. cur differat fideicommiſſum in tempus mortis patris. 310. matris iratæ profeſſioni non creditur. 385.
Materia communionis ſolet excitare diſcordias. 241.
Matrimonio ſoluto prædium definit eſſe dotale. 86. matrimonium ſine dote magis videtur concubinatus. 78. *V. Redintegrato.*
Meorum & tuorum appellatione an contineantur actiones. 323.
Merces locationis in quibus ſit vice fructuum. 95.
Metum inferens ſemper eſt in mora, & quid inde ſequatur. 25.
Meus, qui erit, an in legatis faciat conditionem, an demonſtrationem. 222.
Milites arma magis, quam leges, ſcire debent, & quid inde. 194.
Minor an reſtituatur ob omiſſionem inventarii. 199. an reſtituatur adverſus repudiationem hereditatis. 296. 390. an reſtituatur adverſus dotem vel donationem propter nuptias. 44. minores, qui ſemel adierunt damnoſam hereditatem, a quo jus abſtinendi habeant. 133.
Mitius agitur cum lege, quam cum homine, & quare. 88.
Mobilia hereditatis, etiam uſuconſumpta, quandonam veniant in reſtitutionem fideicommiſſi. 351.
Modus quid. 204. quare adjectus legatis vel fideicommiſſis pro conditione habeatur. *ibid.* libertatem infringens, quibus remittatur, vel non. 246. in quibus differat a conditione. 256. an obſervetur pro conditione. 269.
Monaſterium in quibus ſit loco nuptiarum & filii. 398. 399.
Mora quid. 18. quomodo contrahatur. 6. an ſit inculpata, ſi non ſit cui ſolvatur. 17. 18. 232. rei cur noceat fidejuſſori. 18. ſemel commiſſa an purgari poſſit. 20. an proſit aut noceat heredi. *ibid.* quare ejus definitio ſit difficilis. 21. quomodo coerceatur. 90. an eſſe poſſit ſine dolo. 109. creditoris, an debitoris noceat, cum uterque eſt in mora. 110.
Morte patris an emancipatione filius exeat de poteſtate quid interſit. 310.
Mortis cauſa quid capitur. 143.
Mortua in matrimonio muliere an dos cedat lucro mariti. 66.
Mulier major circumventa in dote an reſtituatur. 43. 44. nuptura promittens vel dans, centum puta, futuro viro, an intelligatur pro dote dare, licet dictum non fuerit. 52. nubendo nulla dote dicta, quæ bona cenſentur in dote dediſſe. *ibid.* promiſſam viro dotem an poſſit eo delegante alteri promittere. 65. virum decipiens an amittat privilegium mulieribus conceſſum in exactione dotis. 106. inſtituta & rogata reſtituere an deducat quartam & dotem quoque. 338. quæ conditio ei remittatur. 253.
Municipia quid fuere. 288. an & quomodo municipiis hereditas reſtitui poſſit. 318. Municipes an per ſe agere vel excipere poſſint. *ibid.*
Mutiana cautio in quibus admiſſa ſit. 213. an in omnibus conditionibus non faciendi locum habeat. 247. 248. quibus in conditionibus de illa diſputetur. 248. quo caſu non eſt illi locus. 253. an in donationibus habeat locum. 256.
Mutuum an ſit gratuitum. 29. datum ſub pignoribus quid habeat ſpeciale. 32.
Mutus, ſurdus, cæcus, quare dotis nomine obligetur. 56. an poſſit pro herede gerere, & adire. 127.

N.

NAturalis obligatio quare tota transferatur in fideicommiſſarium. 362. 363. an ſit duplex, directa, & utilis. *ibid.* an juris civilis præſidio nitatur. *ibid.*

Negligentia, ſeu culpa, cur facilius excuſetur in univerſitate rerum, quam in re particulari. 312. negligentia heredis an noceat fideicommiſſario. 361. negligentiæ ſuæ & culpæ periculum an præſtet heres, ſi temporalis actio præſcripta ſit ante reſtitutam hereditatem. 361.

Negotiorum geſtor an teneatur ſi quædam non geſſerit. 348. negotiorum geſtorum actio an ei competere poſſit, qui ſuum negotium geſſit. 394.

Nepotem ex filia relinquens an decedat ſine liberis. 266. nepos eſt portio paterni corporis. 398.

Nimia ſubtilitas reprobatur in jure. 65. 400.

Nubenti filiæ datum ſimpliciter an in dotem datum videatur. 52. nubere noluiſſe an credatur, quæ per ætatem non potuit. 264. nupta cur non videatur, quæ non ex lege nupſit. 210. his verbis, cum nupta erit, quæ nuptiæ intelliguntur. *ibid.* nuptiarum conditio collata in alterius arbitrium cur non valeat, dotis tamen promiſſio valeat. 218. nuptiis permiſſis, quæ videntur conceſſa. 77.

O.

Oblatio, obſignatio, & depoſitio pecuniæ quam vim habeant. 7. 31. quamdiu ſiſtat curſus uſurarum. 11. 27. 29. 31.

Obligari quis an ſibi poſſit. 352. Obligatio ſemel extincta non reviviſcit. 51. an valeat ſi recidat in eum caſum, a quo incipere potuit. 62. an nondum nata poſſit renovari. 227. uſurarum an ſit hereditaria. 348. an ea, quam contraxit heres, indiſtincte transeat in fideicommiſſarium. 374. 375. amiſſa quibus reſtituatur. 59. an aditione confundatur, & redintegretur. 347. quid in ea & in actione ſpectandum ſit. 61.

Obſignari quare & quo jure debeant res, donec inventarium fiat. 198.

Officium judicis quid. 381. an ad illud pertineat tractus futuri temporis. 6. quantum valeat in bonæ fidei judicio. 5. an eo ſuppleatur incertum voluntatis defuncti. 218. officium expletæ fidei non debet eſſe damnoſum heredi. 372.

Onus, dandi decem conditionis implendæ cauſa, an ſcindi poſſit. 228. æris alieni quomodo dividatur inter heredem, & fideicommiſſarium. 393. ferendi nomen an habeat vim conditionis. 359. fideicommiſſi ſervandi an remittatur, & cui. 360. 398. injunctum ſpe majoris portionis an ea deminuta tollatur pro rata ejus quod deminutum eſt. 378. legatorum quid differat ab onere æris alieni. 281. offerendi qualiter injunctum transeat vel non. 269.

Operæ fabriles, & officiales, ſeu obſequiales, quid ſint, & in quibus differant inter ſe. 138.

P.

Paciſci an liceat de aliena hereditate. 107.

Pacta adjecta incontinenti contractibus ſtricti juris an pariant actionem. 30. pacto an effici poſſit ne dolus præſtetur. 76. pactum, ne ſoluto matrimonio ob res donatas vel amotas agatur, cur non valeat. *ibid.* perſonale an proſit heredi. 82. ne a ſe dos petatur an proſit heredi. *ibid.* & 111. 112. in caſum mortis, an valeat in caſum ingreſſus religionis. 103. inter fratres, etiam minores, de mutuo fideicommiſſo remittendo, quare non reſcindatur obtentu læſionis. 389.

Par in parem quo caſu habeat imperium. 294. 295. paria delicta mutua compenſatione tolluntur. 314.

Pariator quis. Pariatio quid. 221. 257.

Pars repudiantis unius domini, an adcreſcat alteri. 167. repudiantis an adcreſcat heredi coheredis, qui adivit. 176. deficientis an adcreſcat coheredi cum ſuo onere, & pro quibus portionibus. 219. 220. olim quomodo adcreſceret. 339. major an ad ſe trahat minorem. 369. partem obvenientem jure adcreſcendi an fideicommiſſarius repudiare poſſit, & retinere partem ſibi relictam ex cauſa fideicommiſſi. 391. partes adjectæ in directa ſubſtitutione an cenſeantur repetitæ in fideicommiſſaria. 382. 383. partis appellatione quota ſignificatur. 308. partis, quam reſtituit, an falcidiam deducere poſſit qui ultro adiit, licet coheres coactus adierit. 367.

Partus ancillarum an ſit vice fructuum. 24. in quibus ſint in fructu. 312. quare veniant in reſtitutionem fideicommiſſi. 350. 351. abortivus an faciat deficere conditionem, ſi ſine liberis. 393.

Paſtinatio quid. 97.

Pater, an fiat extraneus per emancipationem etiam quoad cauſam dotis. 42. quare obligetur dotem promittens, etiam falſo exiſtimans ſe filiæ debitorem. 60. furioſi an vice curatoris tantum ſit. 93. 105. de dote agens abſente filia an cavere debeat de rato. 93. 103. an minuere poſſit dotem in ſecundis nuptiis. 93. an adeundo ſine filio eum obliget hereditati. 187. ſuccedens in adventitiis filiis quare non teneatur ultra vires bonorum. 195. qui prægnan-

gnantem reliquit uxorem an videatur ſine filiis deceſſiſſe. 239. fideicommiſſum amplectens, vel legatum ſub conditione emancipationis relictum, quo jure teneatur emancipare. 260. rogatus liberos emancipare an tacite rogatus videatur maternam hereditatem eis reſtituere. 261. rogatus filio reſtituere hereditatem quare non deducat quartam. 276. reſtituendo an transferat actiones. ibid. quare cogi poſſit per filium adire & reſtituere, & non dominus per ſervum. 301. in dubio an præſumatur ſupervixiſſe impuberi filio. 306. an præciſe cogi poſſit, ut emancipet. 308. quibus caſibus ſatisdet de ſervanda, & reſtituenda hereditate. 337. habens uſumfructum adventitiorum filii an caveat de utendo fruendo boni viri arbitratu. ibid. dilapidans fideicommiſſum relictum filioſ. ſi in poteſtate eſſe deſierit, an teneatur illud repræſentare. ibid. rogatus reſtituere, quare non retineat quartam, niſi ipſe ſit inſtitutus, & rogatus. 386. cur ei & non matri remittatur fructuaria. 398.

Patria poteſtas an ſit individua. 244. quanti æſtimetur. 260. patris auctoritas, & nudus conſenſus, quomodo differant. 277.

Patrimonii robur in quibus ponebant veteres. 298.

Patronus, reſciſſo teſtamento liberti per bonorum poſſeſſionem contra tabulas, an præſtet legata teſtamento relicta. 206. inſtitutus ex debita parte, & rogatus, unciam reſtituens per errorem facti, an habeat condictionem indebiti. 354. quibus debeat fideicommiſſum. ibid.

Paupertatis nomine ſignificatur hereditas. 386. ejuſdem favore quam multa introducta in jure. 377.

Peculium, filii ſui juris effecti, an ſit peculium. 125. caſtrenſe an mutetur mutata perſona. 181. accipitur aliquando pro patrimonio liberi hominis. 297.

Pecunia amiſſa cur non pariat uſuras. 16. ſterilis quæ. 11.

Perempto jure agentis, an expirat judicium. 102.

Periculum nominis ad quem pertineat. 334.

Permutatio dotis an fieri poſſit de re in rem, vel in pecuniam. 61. 75.

Perſecutio fideicommiſſi an realis ſit, an perſonalis. 369.

Perſona an faciat locum repetitioni. 363.

Perveniſſe quid videatur. 240. 298.

Petens tempus ad ſolvendum an ſententiæ acquieſcere videatur. 186.

Petitio hereditatis an ſit perpetua. 188.

Pluralis locutio an verificetur in uno. 384. an reſolvatur in ſingularem, & pluralis numerus geminet ſingularem. 222.

Plures ſuccedentes in locum unius an pro uno habeantur. 216. pluribus vocatis ad fideicommiſſum nomine collectivo, quis primo vocetur. 346. 392.

Plus eſt facto rem habere, quam verbo. 93. an plus tribuatur affectui parentum, quam liberorum. 77. 81. quare in adquirenda hereditate plus ut in opinione, quam in veritate. 135. 152.

Pigneratitius creditor heres debitoris an cogatur adire. 352. 353. quomodo jus ſuum conſervet. ibid.

Pignoris ex contractu quot naſcantur actiones. 278. datio quam vim habeat. 35. poſſeſſio, quæ penes creditorem eſt, an ſit civilis. 180. retentionem cur habeat heres creditor poſt reſtitutionem. 320. 352. pignus rei alienæ an valeat, aut convaleſcere poſſit. 345.

Pœna in ſtipulationibus deducta intra quam modum debeatur. 32. 33. conventionalis an poſſit excedere legitimum modum uſurarum. 33. an excedere debeat modum delicti. 336.

Portio adjecta in inſtitutione an cenſeatur repetita in ſubſtitutione. 313. agnita quando pro non agnita habeatur. 390. deficiens an ſemper adcreſcat invito coherede. 164. 165. hereditatis an legari poſſit. 313. impuberis, qui ſe immiſcuit, cur adcreſcat invito, non portio minoris reſtituti. 392. legitima an poſſit gravari fideicommiſſo. 354. quo jure liberis & patrono debeatur. ibid. repudiantis an adcreſcat coheredi cum onere fideicommiſſi. 339. 396. an adcreſcat pro hereditariis aut pro virilibus portionibus. 382.

Poſſeſſio an adquiratur heredi vel fideicommiſſario ſine apprehenſione. 356. in poſſeſſionem quis mittatur. 267.

Prædiator quis dicatur. 62.

Præceptum de bonis communicandis an inducat fideicommiſſum. 384. 385.

Prælegata prohibita alienari an contineantur generali fideicommiſſo. 387. an veniant in reſtitutionem fideicommiſſi. 284. 387. prælegatum, ſi decem dederit, quomodo differat ab inſtitutione, ſi decem dederit. 231. an ſit in hereditate, an ex hereditate. 284.

Præſcribens, ſolventi ſimilis eſt. 393. 394.

Præſcriptio ſemel inchoata an interrumpatur. 362. cœpta adverſus heredem an

currat adverſus fideicommiſſarium. *ibid.* an currat agere non valenti. *ibid.* actionum hereditariarum an procedat adverſus ſubſtitutum ante diem cedentem. *ibid.*

Præſumptioni juris quare ſtandum. 64.

Prætor inſtitutus & rogatus reſtituere cur ſe non poſſit cogere. 294. 295. prætoris auctoritas & ſcientia an ſuppleat tutoris auctoritatem. 187.

Princeps quibus in cauſis ſubveniat extra ordinem. 295. inſtitutus & rogatus reſtituere, præcepta certa re vel ſumma, quid diſtet a privato. 324. in lucro ex alienis teſtamentis quo jure utatur. *ibid.*

Prior obligatio an lite conteſtata novetur & extinguatur. 24. prior voluntas an trahat ad ſe poſteriorem. 313.

Privigni an pro extraneis habeantur. 101.

Privilegium tacitæ hypothecæ dotis quibus detur. *ibid.*

Prius vocati & proximiores an cenſeantur magis dilecti. 223.

Procurator ad recipiendam reſtitutionem fideicommiſſi quis dari poſſit. 331. abſentis an teneatur ſatisdare de rato. 367. 368. per procuratorem cur adiri non poſſit hereditas, peti tamen poſſit bonorum poſſeſſio. 181. 292. 293.

Prodigus, cui bonis interdictum eſt, an ſe poſſit aliis aut alios ſibi obligare. 127.

Profectitia dos quæ. 39. 40. an indiſtincte ad patrem redeat. 42. 43.

Prohibitio teſtandi donec liberos heres ſuſceperit an valeat. 375.

Promiſcua quæ dicantur. 211.

Promiſſio dotis in quibus infirmetur. 66.

Proteſtatio facta re integra quid operetur. 130. 138. 359.

Proximiores gradu quo ordine admittantur ad fideicommiſſum familiæ relictum. 346. 347.

Proximus heres a filio poſtumo quare non poſſit adire dum uxor prægnans eſt. 151.

Publica utilitas an ſemper ſit præferenda privatæ. 272.

Puellarum pudicitiæ quare interſit eas dotatas eſſe. 312.

Pupillare teſtamentum an evaneſcat deſerto paterno. 316. pupillares tabulæ an confirmentur adita hereditate ex teſtamento patris per unum ex coeredibus etiam coactum. 296.

Pupillariter ſubſtitui an poſſit in legitima naturæ, & quarta D. Pii. 355.

Pupillus quare hereditatem, etiam lucroſam, nec adire, nec reſtituere poſſit ſine tutore. 131. 181. 329. major infante cur adire non poteſt hereditatem, cur adquirere poſſit poſſeſſionem. 161. an ejus judicium ſuppleatur auctoritate tutoris. *ibid.* ſine tutore an parere poſſit conditioni, ſub qua inſtitutus eſt. 207. beneficium poſtulans in alterius injuriam an audiatur. 293. auctori ipſi tutori an poſſit reſtituere. 277. mutuam pecuniam accipiens an ſaltem naturaliter obligetur. 362. tutore auctore an ei recte adquiratur. 131. 181.

Q.

Quadrimeſtre tempus, quod datur condemnatis judicati faciendi cauſa, an ſit liberum ab uſuris. 7. 8. 33.

Quæ poſſunt iterum fieri an expectetur ut fiant. 210.

Quarta Trebellianica, cur ita vocetur, cur falcidia. 228. 273. cui cedat ea, quam perdit qui coactus adiit. 281. 300. quandonam, ex fideicommiſſo & ex legatis detrahatur. 282. in quibus detrahi debeat. 283. 284. cur ſtatim debeatur heredi. 311. an detrahatur ex voluntate teſtatoris. 334. an omiſſa revocari poſſit a creditoribus heredis. 370. quo jure debeatur heredi. 374. an prohiberi potuerit & poſſit directo & nominatim. 380. an aliqua deducatur non deducto ære alieno. 393. quid proprium habeat utraque quarta. 394. 395.

Quaſi dos quæ dicatur. 101. 102.

Quilibet rei ſuæ legem dicere poteſt. 111. quilibet certus eſt de facto ſuo. 135. 151.

Quis teneatur in quantum facere poteſt deducto ære alieno, quis non. 119.

R.

Ratihabitio an ſufficiat ut valeat hereditatis reſtitutio. 331.

Rationes quid ſint. 258. rationum reddendarum conditio libertati adſcripta an cenſeatur repetita in legato pecuniario. 257. 258. rationum reddendarum onus an remitti poſſit. 249.

Recuſari hereditas quando poſſit. 286. recuſatio hereditatis quomodo differat a repudiatione. *ibid.*

Redintegrato matrimonio an dos redintegrata intelligatur. 53. 67. redintegrato matrimonio vel ſponſalibus an major culpa remiſſa intelligatur. 114.

Regula Catoniana an locum habeat in omnibus legatis. 263.

Relativum adjectum, quando conditionem faciat, quando demonſtrationem. 268.

Rem emiſſe an videatur qui mandavit emi. 383. rem an habere videatur qui vel

vel pretium vel actionem habet. 143. 372. 385.
Remiſſis rationibus, quid remiſſum intelligatur. 249. remiſſo pignore, quæ ſuperſit actio. 35.
Renunciatio beneficii facta ægrotanti præſumitur in fraudem ejus, qui primum vacaturum expectabat. 120.
Repetitionis an vim habeant hæc verba, hoc amplius. 253.
Repræſentatio legati vel fideicommiſſi an ſit ſpecies donationis. 243. 289. 337.
Repudiare an poſſit qui non poteſt adire. 127. 132. repudiare an videatur ex priore qui putat poſterius valere. 184. repudians bona ſuperſtitis quid agat. 136. 183. repudians inſtitutionem an poſſit ſubſtitutionem agnoſcere. 174. 193. repudiatio quid differat a remiſſione. 184. 201. hereditatis a rogato facta an valeat. 296. repudiatum an redintegrari poſſit. 262.
Repudium miſſum ægrotanti præſumitur in fraudem patris. 120.
Res, alienata ab herede ob juſtam cauſam, an poſſit revocari a fideicommiſſario. 372. abeſſe an videatur, quæ per actionem ſalva fieri poteſt. 189. dotales an ſint mulieris. 108. emptæ ex pretio rerum hereditariarum, vel permutatæ ab herede, quare veniant in fideicommiſſum. 241. emptæ ex pecunia dotali quandonam videantur dotales. 54. 62. quomodo æſtimanda ſit. 278. quæ dicebatur cognitionis. 376.
Reſpublica in quibus cum tutore conveniat. 13.
Reſtituendum an ſit quod heres conſecutus eſt ex pacto vel ſententia erronea. 353.
Reſtituens majorem partem quam rogatus ſit, quomodo differat ab eo qui retinet certam rem vel ſummam quam percipere juſſus erat. 358. non retenta quarta an credatur hoc facere per errorem. 371.
Reſtituitur, an non, qui jure communi utitur. 132.
Reſtituta hereditate an inſtantia transferatur in fideicommiſſarium. 388. ex Trebelliano, quæ transferantur actiones. 273. 274. 318.
Reſtitutio hereditatis, quæ ſit coacte per pattem filio exiſtenti in poteſtate, an ſit inanis. 301. ſine juſſu patris vel domini facta cur convaleſcat ratihabitione, non autem aditio. 323. ex Trebelliano an fiat, licet non adſit voluntas defuncti. 358. quare volenti, non invito fieri poſſit pro parte. 364. an magis ſit facti quam juris, ut ſolutio. *ibid.* an ſpectetur tantum ut ſolutio, an etiam ut ſucceſſio. *ibid.* quare fieri poſſit ipſi domino ſine conſenſu vel miniſterio ſervi, non autem aditio, aut petitio bonorum poſſeſſionis. 364. 365. an ſit neceſſaria. 372. reſtituta hereditate an ſolvatur confuſio obligationum & actionum per aditionem contracta. 375.
Reſtitutio minoris in integrum an proſit fidejuſſori. 181.
Reſtitutionis auxilium in eadem cauſa an iterum concedatur. 198.
Retentio dotis ex quibus cauſis fiat. 100.
Reus capitis ante ſententiam quid retineat, quid amittat. 179.
Rogatus reſtituere hereditatem, ſi ſine herede deceſſerit, cur cenſeatur rogatus, ſi ſine liberis. 266. hereditatis portionem reſtituere an prælegatum reſtituat. 284. poſt mortem ſuam reſtituere an poſſit ante. 291. 334. in diem vel ſub conditione an cogi poſſit adire ante diem vel conditionem. 293. quid ſi ſit ex parte tantum inſtitutus. *ibid.* reſtituere an cogi poſſit indiſtincte, licet dubitet de jure teſtamenti, vel fideicommiſſi. 294. rem certam vel quantitatem reſtituere an cogi poſſit oblata cautione indemnitatis. 297. generaliter pecuniam vel peculium reſtituere quare cogi poſſit adire. *ibid.* reſtituere deducto ære alieno & legatis an cenſeatur rogatus de univerſitate juris. 298. reſtituere hereditatem Mævii cur non transferat actiones reſtituto fideicommiſſo. 318. 319. adoptare, an cogatur adoptare, & reſtituere. 303. qui reſtituit omiſſa quarta quam condictionem habeat. 309. 310. reſtituere, quam culpam præſtet. 311. 312. ſimpliciter reſtituere, ad quem modum alienare poſſit. 340. reſtituere quod ex hereditate ſupererit, quantum alienare poſſit. 340. 351. reſtituere accepta certa ſumma, quid imputet in falcidiam. 349. 350. reſtituere acceptis centum ab eo, cui nihil ante relictum eſt, quo jure ea capiar. *ibid.* reſtituere coheredi accepta certa ſumma, quid diſtet a rogato reſtituere retentis certis prædiis. *ibid.* bona communicare, quomodo poſſit petere fideicommiſſum. 381. V. *Heres*.

S.

SAtis lucratur qui diſcedit a lite. 389.
Scientia filii vel ſervi in quibus ſpectetur. 151.
Secundus creditor ſortem & uſuras ſolvens primo creditori an imputet debitori uſurarum ſolutarum uſuras. 349.
Sæpe in jure evenit, ut quod quis non

Digitized by Google

habet per ſe, id habeat per alium. 251.

Sævitia in propriis culpanda, in aliis coercenda. 108.

Sententia dicta cum herede, aut heredis renuntiatio, ſeu litis ceſſio, an noceat fideicommiſſario. 344. 357. lata adverſus heredem quare ſit executoria adverſus ſubſtitutum. 344. iniqua, poſt decendium ad quem effectum transeat in rem judicatam. 365. venalis quæ dicatur, & an valeat. *ibid.* adverſus contumacem abſentem an fieri poſſit. 286. *μονομερῶς* interpoſita quam vim habeat. 392. ſententiæ non jure dictæ quare parendum ſit. 365.

Servitus quare morti comparetur. 120.

Servitutem an quis ſibi debere poſſit. 375. ſervitutes an extinguantur confuſione. *ibid.*

Servus pœnæ quare non adquirat hereditatem fiſco. 144. dotalis quid marito, quid uxori adquirat. 159. 160. inſtitutus an a coherede libertatem accipiat. 165. redemptus ab hoſtibus, & a redemptore inſtitutus, an fiat neceſſarius. 170. ſemel liber redire an poſſit in ſervitutem. *ibid.* inſtitutus an ſemper fiat neceſſarius. *ibid.*, & 171. an obligetur ex contractu. 226. communis duorum an duorum vicem gerat. 230. quare neceſſitudinem ſeu cognationem & affinitatem non habeat. 257. actor an præſtet nomina eſſe idonea in futurum. 270. quo loco rationes reddere debeat. 272. an habeat aditum ad prætorem. 311.

Simplicitas vana an noceat. 165.

Socius præſumitur in dubio in re communi ſuo jure uti. 174.

Solemnia nuptiarum quomodo implebantur olim. 212.

Solutio an probetur redditione chirographi vel cautionis. 53. per partes facta ad quid valeat in totum. 172. partis an liberet debitorem. *ibid.* ſolutum ex naturali obligatione an condici poſſit quaſi indebitum. 362.

Spado, & caſtratus in quibus differant. 56.

Species lucri eſt beneficii debitorem ſibi adquirere. 393.

Spes legati conditionalis vel inſtitutionis quare non an tranſmittatur, ſpes vero ſtipulationis conditionalis tranſmittatur. 243. 251.

Stipulatio an aſſumat naturam contractus, cui apponitur. 10. uſurarum ſimpliciter facta cur non valeat. 21. cum morieris dotis nomine tot dari cur valeat. 51. alteri facta quibus in caſibus valeat. 77. 353. quam facit pater dotem ſibi reddi, filia mortua in matrimonio, ad quas nuptias pertineat. 82. conditionalis an & quando pro pura habeatur. 268. ſi ſit interpoſita fideicommiſſi cauſa an origo obligationis ex teſtamento inſpiciatur. 357.

Subrogatum ſapit naturam ejus, cui ſubrogatum eſt. 219. 355.

Subſtituti cauſa an potior ſit cauſa coheredis. 167.

Subſtitutio non dum delata an ſit in bonis noſtris. 162. 176. vulgaris vel fideicommiſſaria an vitietur interruptione graduum. 169. reciproca nominibus appellativis facta quomodo differat ab ea, quæ propriis nominibus facta eſt. 313. 314. fideicommiſſaria quid diſtet a directa. 346. 379. quid a vulgari. 360. quibus verbis inducatur. 378. directa codicillis facta an trahatur ad fideicommiſſum. 379. pupillaris collata poſt mortem duorum an valeat uno mortuo. 384. reciproca inter coheredes qualis ſit ex ſui natura. 392. una an declaretur per aliam. *ibid.* unde recipiat interpretationem. *ibid.*

Subſtitutus an renuntiare poſſit juri non dum quæſito. 133. an præferatur conjuncto. 142. directo, & per fideicommiſſum, an poſſit eligere. 288. filio impuberi hoc modo, *quisquis mihi heres erit*, an coactus adiens, & paternam, & pupillarem hereditatem reſtituat. 316. in partem ſupremi morientis, & ſubſtitutus ſupremo morienti, quid differant. 327. an teneatur ante reſtitutionem cavere de indemnitate heredi, qui adminiſtravit. 328. an præferatur coheredi, & excludat jus adcreſcendi. 306. ſubſtituere patrem filiæ cur nemo intelligatur. 261. ſubſtitui idem an poſſit & vulgariter, & per fideicommiſſum. 360.

Succedens in alterius locum an ex ejus perſona debeat quaſi ex ſua. 58.

Succeſſio in univerſum jus quid diſtet a ſucceſſione in bonis. 125. ex voluntate defuncti an ſit potior legitima. 169. ex teſtamento, unde reguletur, ſeu ordinetur. 347.

Sumptus facti in præſentem quid differant a factis in perpetuam utilitatem. 225. an repetantur, deducantur, aut compenſentur cum fructibus. 309.

Superficium prædii dotalis an poſſit alienari. 54.

Suus heres an effectus ſit qui nec ſe immiſcet, nec pro herede gerit. 133. an poſt abſtentionem poſſit conveniri a creditoribus hereditariis. 139. in quibus diſtet ab extra-

Digitized by Google

traneo . 179. 207. an deſinat eſſe heres poſt abſtentionem . 201. qui ſemel abſtinuit an facile redintegretur . 201. 202. an poſſit inſtitui ſub conditione . 239. 363. impubes ſe immiſcens quid diſtet a pubere. 590.

T.

TEmpora quot ſpectentur in inſtitutione . 267. an media noceant . *ibid.*

Tempus, poſt ſententiam judicatis a lege datum, an ſit liberum ab uſuris . 8. an ſit modus inducendæ & tollendæ obligationis . 11. exiſtentis conditionis an ſpectetur in diſpoſitionibus . 175. 263. adeundi, quibus inſtantibus præfigi ſoleat a judice . 189. ad deliberandum an ſit definitum . *ibid.* & 126. 198. quod ſpectetur in contractibus aut legatis conditionalibus . 190. heredi datum ad inventarii confectionem an liberum ſit & tutum a creditoribus hereditariis & legatariis . 197. an poſſit per illud tempus convenire debitores hereditarios . *ibid.* ad deliberandum volenti & petenti datur. 198. ad parendum conditioni, a qua die computetur . 231. 232.

Teſtamentum a quo gradu poſſit incipere . 168. an aliquando ſumatur pro hereditate ex teſtamento . 169. patris an ſuſtineatur uno ex coheredibus adeunte . 316. ſuperius an rumpatur per poſterius, in quo ex certis dumtaxat rebus heres inſtitutus eſt . 322. ſuperius quo jure valeat, cum voluit teſtator in poſteriori, ut valeret . *ibid.* in teſtamentis voluntas defuncti totum facit, & pro lege habetur . 213. teſtamento ſi quis confeſſus ſit, ſe centum debere, nec apparet de debito, an detur actio de debito . 226. pro parte reſciſſo per querelam inofficioſi, an pro parte exoneretur heres legatis & fideicommiſſis . 228. relicta ſine die & conditione, qua die peti poſſint . . 204. 378.

Teſtator, ex continenti an præſumatur receſſiſſe a priori voluntate . 200. an interſit cum quo loquatur ad fideicommittendum . 354. teſtatoris voluntas an ſuppleatur interpretatione prudentum . 265. ejuſdem conſilium & præceptum quomodo differant . 375.

Teſtes in contractibus noti eſſe debent contrahentibus . 196. quot requirantur in ultimis voluntatibus. 396.

Totum dicens, nihil excludit . 284.

Tradita mihi res an videatur, quæ tradita ſit procuratori meo . 366. traditione rerum, & juſſu fideicommiſſarii, an fideicommiſſum reſtitutum intelligatur . *ibid.*

Tranſactio de hereditate an reſcindatur ob læſionem ultra dimidiam juſti pretii . 389. an bona fide facta reſcindatur prætextu inſtrumentorum poſtea repertorum . *ibid.* quomodo valeat facta de his, quæ pendent ex teſtamento . *ibid.* de fideicommiſſo teſtamento relicto an excludat petitionem fideicommiſſi relicti codicillis . *ibid.* tranſactioni de certa re adjecta clauſula generalis, ad quas lites pertineat. *ibid.*

Trebelliano an locus ſit in fideicommiſſo ab inteſtato . 274. an indiſtincte locus ſit in teſtamento militis . 275. an ſemper locus ſit quoad retentionem quartæ, & tranſlationem actionum . 276. an locus ſit in heredibus ab inteſtato . 286. quando locus ſit, quando non . 284. 313. Trebellianica cujus gratia inducta ſit . 313. Trebellianum quare non habeat locum in fideicommiſſo hereditatis, quæ pervenerat ad teſtatorem . 312.

Tutor, ſolus ſine pupillo an adire poſſit hereditatem pupillo delatam . 188. 329. an illi ſoli reſtitutio fieri poſſit fideicommiſſi nomine . 192. quando liberetur periculo tutelæ . 270. ubi ſit conveniendus & rationes reddere debeat . 272. quare tutori pupillus non poſſit reſtituere, adultus vero poſſit curatori . 277. tutori an tuto dari poſſit quod pupillo dandum eſt implendæ conditionis cauſa . 211. quæ nomina præſtat . 348. quas res pupilli vendere teneatur . 351. an repellatur a legato, ſi tutelam non ſubeat . 381.

V.

VEndere an videatur, qui pretium venditionis exacturus non eſt . 48. 49.

Venditio ſimplex, & venditio dotis cauſa in quibus differant . 50. 62. prædii dotalis & traditio, quæ non valuit ab initio, an poſſit convaleſcere . 90.

Verſum quid videatur . 240.

Via, quæ ducit ad libertatem, non eſt anguſtanda . 220.

Vir & uxor an recte paciſcantur, ut partus dotalium ancillarum ſint communes. 47.

Viventis hereditas an eſſe poſſit . 183.

Una & eadem res an poſſit diverſo jure cenſeri . 82. 230. una aditio an ſufficiat in utramque cauſam & inſtitutionis & ſubſtitutionis . 163.

Voluntas coacta an ſit voluntas, & quid a ſimulata differat . 178. 291. voluntas teſtatoris regit conditiones . 231. intuenda magis an ſit in fideicommiſſis, quam verba . 285. 346. unde colligatur . 303. an

potentior ſit lege. 396.

Uſucapio quomodo uſurpetur abſentis gratia. 236.

Uſuræ an debeantur ex mora & pacto. 5. 6. an præſtentur a donatore propter moram. 8. an debeantur ex quantitate, aut ex corporibus, ſeu ſpeciebus. 9. an præſtentur ex auro vel argento facto. *ibid.* & 35. an debeantur in futurum ex diuturna præſtatione. 11. 31. an debeantur promiſſæ ultra modum legitimum. 10. 27. 28. 29. an debeantur ſi ſint præſtitæ aliquando ex pacto. 11. 31. quare præſtentur fructuum perceptorum ante petitionem hereditatis, 14. quare & a quo tempore debeantur pretii fundi venditi. 15. an recte exigantur ab eo, qui fructus fundi venditi non percepit. *ibid.* an omiſſæ per decem annos vel viginti, poſtea peti poſſint præteritæ. *ibid.* an propter lucrum petentium, aut moram non ſolventium, infligantur. *ibid.* quibus caſibus, debeantur ex nudo pacto etiam in ſtrictis judiciis. 21. an debeantur ex mutuo in ſtipulationem deductæ, non expreſſo modo. 27. an indebitæ, ſortis debitæ, repetantur. 30. an ex nudo pacto ſervari poſſint per retentionem pignoris in uſuras obligati. *ibid.* an majores promiſſæ, tacite remittantur receptione minorum. 30. 31. frumenti & aliarum ſpecierum quare ex nudo pacto præſtari ſoleant. 32. 33. in actione dotis, ex qua mora debeantur. 22. an earum cauſa potior ſit cauſa ſortis. 34. an aliquo pacto in ſortem redigi poſſint, ut pariant uſuras. 37. an deberi poſſint ultra duplum. *ibid.* provenientes ex contractu defuncti quomodo differant a provenientibus ex contractu heredis. 333. 334. an præteriti temporis debitæ mortis tempore, veniant in actionem fideicommiſſi, quaſi pars hereditatis. 347. an poſteriores, id eſt quæ currunt a die, quo actio confuſa eſt aditione, uſque ad diem fideicommiſſi, præſtentur fideicommiſſario. *ibid.* cur poſt mortem teſtatoris perceptæ non veniant in reſtitutionem, non perceptæ veniant. 348.

Uſusfructus jus quid differat a perceptione & commodo fructuum. 68. uſusfructus, ſi in dotem datus ſit, quare fructus percepti conſtante matrimonio non reſtituantur. 44. ſemel extinctus an reſtituatur. 68. quæſitus patri per filium an morte aut capitis deminutione patris extinguatur. 175.

Utile per inutile in quibus vitietur, vel non. 18.

Uxor rogata reſtituere partem hereditatis non deductis legatis, quid deducat. 338. quibus ex cauſis amittat legatum ſibi relictum, dum erit cum filio. 209.

F I N I S.

603868

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google